

Speciosiora Nova, non Meliora.

GOTHOF. VOIGTI,

SS. Theol. Licent. & Rectoris
Scholæ Joanneæ Hamburgensis
τοῦ μακαρίτου

Thysiasteriologia,

sive de

ALTARIBUS

Veterum Christianorum
Liber postumus,
Nunc primum in lucem editus
à
JO. ALBERTO FABRICIO
D. Prof. Publ. ac Gymnasii h. a. Scholæque Joanneæ Rectore,
Qui delineationem Thesauri Antiquitatum Hebraicarum & Ecclesiasticarum
atque Jo. Died. Winckleri.
Auctoris Vitam præmisit. Hamb. 1737.

HAMBURGI, sumtu CHRISTIANI LIEBEZEIT.
Typis SPIERINGIANIS, 1709.

l.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

VIRO
Nobilissimo Amplissimoque
RUTGERO RULAND,
Juris utriusque Doctori Consultissimo,

S. D.

JO. ALBERTꝰ FABRICIUS.

Donare cuiquam vel legare ea quæ jam proprie sunt ipsius, non modo prudentissimis

Jurisconsultorum tuorum scitis & legibus, sed communis etiam vitæ formula ridetur atque exsibilatur. Neque id immerito. Quis enim ferat eum velle hoc ambitiose imputari sibi in munus & gratiam, quod vel si habeat alteri debet referre in acceptis, vel quia non habet, ut suum, impudenter sibi arrogat, aliis nedum legitimo Domino dispensanda. At nemo unquam improbavit vel reprehendit suum cuique reddere, neque adeo laudis sed potius debiti atq; officii hoc semper visum est, restituere bona fide quod benevolentia fautoris utendum acceperis. Reddo igitur & ego Tibi, Vir Nobilissime

ſime, eruditum hunc fœtum Tui quondam cum in Joanneo noſtro ante quinque luſtra ſtudiis auſpicato operarere Præceptoris, quem pro benevolentia in me Tua & in litteras amore mecum ut ederem communicare dignatus es. Reddo autem magnis conceptiſſimisq; cum gratiis, quas mecum Tibi agunt omnes ſacrarum litterarum & Antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſi, qui tam inſigni opuſculo, auctos à Te ac locupletatos ſe certe lætantur. Ipſi etiam auctoris τȣ̃ μακαρίτȣ *manes, ſi quis horum eſt ſenſus, atque ſi hæc cura beatos ſollicitat, gaudent iſtud non infimum induſtriæ ſuæ monumentum in*

Tuas incidisse manus, quæ illud non inviderent communi utilitati, nec paterentur cum tineis blattisque inglorium bellum gerere, sed permitterent luci quâ est dignissimum, & in manus exire hominum juberent. Quod superest, Tuo me commendatum favori cupio, atque oro DEUM, *ut Te in* P*atriæ usus diu superare faxit rebus florentibus lætisque. Scripsi Hamburgi X. Calendarum Octobr. Anni Christiani* cIɔ Iɔ cc *VIII.*

Ad
Lectorem,
Præfatio Editoris.

TAm judicio omnium jucunda tamque digna scitu res jampridem visa est, antiquitates ritus moresque veterum perspectos habere, ut quamplurimorum virorum ingenia in isthoc genere elegantis doctrinæ versata fuerint & industriam suam posuerint cum summo hominum applausu. Neque inficiari licet interiorem harum rerum notitiam incredibiliter facere ad rectius intelligenda infinita loca non extervorum tantum modo scriptorum sed sacrorum quoque. Quod si igitur omne punctum tulere qui Græcos & Romanos ritus feliciter nobis exposuerunt atque interpretati sunt, quas laudes gratiasq; deberi putabimus iis qui ritus Hebræorum vel Christianorum veterum diligentiore studio rimati ex fide dignis monumentis eruerunt atq; illustrarunt.

runt. Utrorumque vero non minor exstat copia atque multitudo, quam ut ex illis facile liceat præstantissimorum duumvirorum exemplo qui Romanarum Græcarumque Antiquitatum thesauros δωδεκαπύχους condidere, similiter seligere thesauros Antiquitatum Judaicarum & Christianarum prioribus neque mole neque pretio concedentes. Ejus utriusque qualemcunque delineationem hoc loco dare constitui, accuratiori eruditorum delectui neutiquam hoc pacto præscripturus, sed ad illum facilius faciendum fortasse præiturus.

Thesauri Antiquitatum Hebraicarum

Tomus I.

1. Maimonides de studio Legis, cum versione & notis Roberti Clavering.
2. Jo. Benedicti Carpzovii Introductio in Theologiam Judaicam.
3. Joannis à Lent Theologia Judaica recentior.
4. Ej. de Pseudo Messiis Judæorum.
5. Josephi de Voisin Theologia Judæorum.
6. Antonii Vandale de Origine ac progressu Idololatriæ & superstitionum, de vera ac falsa Prophetia & de divinationibus Idololatricis Judæorum.
7. Petri Jurieu Historia Critica dogmatum rituumque, ex Gallico latine.
8. Jo. Seldenus de Diis Syris, cum observationibus Andreæ Baieri.

9. Atha-

9. Athanasius Kircherus de Ægyptiorum, Syrorum, Hebræorumque Diis, ex Tomo I. Oedipi Ægyptiaci.
10. Christiani Wormii de corruptis Antiquitatum Hebræarum apud Tacitum & Martialem vestigiis.
11. De vita & morte Mosis libri tres, cum notis Gilberti Gaulmini, quibus variæ antiquitates illustrantur.

Tomus II.

12. Bernardi Lamy apparatus Biblicus methodicam Antiquitatum Hebraicarum dispositionem exhibens.
13. Thomæ Godvvini Moses & Aaron cum notis Joh. Henrici Reizii.
14. Claudii Fleury liber de moribus Judæorum, ex Gallico latine.
15. Hadriani Relandi Compendium Antiquitatum Hebraicarum.
16. Augusti Pfeiferi delineatio Antiquitatum Hebraicarum cum observationibus Johannis Jacobi Schudt.
17. Ej. de ritibus quibusdam Hebraicis.
18. *Thesauro dos Dinim* ex Lusitanico Menassæ ben Israël, Latine.
19. Leonis Mutinensis Historia rituum Hebræorum præsentis temporis ex versione Jo. Valentini Grosgebaueri, cum Jacobi Gaffarelli præfatione quæ Italicæ editioni Paris. 1637. præmittitur, & Rich. Simonis col-

latione rituum Judaicorum cum Christianis.

20. Jo. Buxtorfii Synagoga Judaica.

21. Lancelloti Addisonii de præsenti statu Judæorum in Barbaria, ex Anglico latine.

22. Christiani Pauli Mayeri ex Judæi de ritibus hodiernorum Judæorum per totum annum, ex Germanico latine.

23. Hermanni van der Hardt Antiquarium Judaicum.

24. Jo. Wulferi theriaca Judaica.

25. Henrici Hahnii Διατάγματα de rebus Judaicis, ex jure Cæsareo & Pontificio concinnata.

26. Sam. Bocharti notæ in Ecclesiæ Gallicanæ decreta quædam in Judæos sancita. Ex T. I. Opp. p. 1243. seq.

27. Formula Græca renunciandi Judaismo, è Cotelerii notis ad Patres Apostolicos T. I. p. 499. seq.

Tomus III.

28. Balthasaris Scheidii scripta ad Antiquitates Hebraicas facientia, quæ MSS. Gryphisvvaldiæ servat Magnificus D. Jo. Fridericus Mayerus.

Tomus IV.

29. Theodori Dassovii Theologi Kiloniensis Antiquitates Hebraicæ hactenus ἀνέκδοτοι.

Tomus V.

30. Eusebii liber de locis Hebraicis cum vers. Hie-

Hieronymi & Bonfrerii, notisque integris ejusdem Bonfrerii, Jo. Marcianæi, Jo. Clerici & obſervationibus Jacobi Rhenferdi.

31. Nic. Sanſonii Geographia ſacra ex editione Jo. Clerici.

32. Eucherius & Beda de ſitu Hieroſolymæ & locorum ſanctorum.

33. Jo. Phocas, Epiphanius Hagiopolita, & Perdiccas de locis Palæſtinæ, ex edit. Leonis Allatii.

34. Itinerarinum à Burdegala Hieroſolymam usque.

35. Marini Sanuti Torſelli deſcriptio Hieroſolymæ ex T. 2. Collectionis Bongarſianæ cui titulus *Geſta DEI per Francos.*

36. Benjamini Tudelenſis Itinerarium ex edit. *Ariæ* Montani, cum notis Conſtantini l'Empereur, & ineditis Matthiæ Friderici Beckii.

37. Itinerarium R. Petachiæ, cum verſione Wagenſeilii.

38. Itinera mundi per Abrahamum Peritſol, cum Thomæ Hyde verſione & notis.

39. Hermanni Witſii Hiſtoria Hieroſolymæ, ex T. 2. Miſcell. Sacr.

Tomus VI.

40. Maimonides de templo, ex verſione Lud. Compiegne de Veil.

41. Jacobus Juda Leo de tabernaculo, ex Hiſpanico latine.

42. Ej. libri IV. de templo, ex edit. Jo. Sauberti.

43. Jo.Henr.Cocceji & Campegii Vitringæ libri de templo Ezechielis, è Belgico latine.
44. Leonhardi Chriſtophori Sturmii Sciagraphia templi Hieroſolymitani.
45. Samuel Lee de templo & ſacerdotio, ex Anglico latine.
46. Jo. Jacobus Cramerus de templi ſecundi ara exteriore.
47. Theod. Daſſovii altare exterius ad mentem Hebræorum veterum delineatum.
48. Ej. de imaginibus rerum Hebræarum quæ noſtra ætate circumferuntur.
49. Lud. Compiegne de Veiel de cultu divino apud Hebræos.
50. Salomo van Till de Muſica veterum Hebræorum, ex Belgico latine.
51. Chriſtiani Zoëga de buccina Hebræorum.

Tomus VII.

52. Jo. Seldenus de anno civili Judæorum.
53. Auguſtus Varenius de annis Sabbaticis & Jubileis Judæorum.
54. Nic. Mulleri Judæorum annus lunæ-ſolaris & Turcarabum annus mere lunaris.
55. Maimonidis deſcriptio initiationis novilunii cum Henningi Bernhardi Witteri verſione & præf. Jo. Andreæ Danzii.
56. Jo. Jonſtonus & Aug. Pfeiferus de feſtis Hebræorum.
57. Theodorus Thummius de feſtis Judæorum & Chriſtianorum.

58. Adriani Coquii obſervationes de rebus naturalibus in V. T. memoratis, Diisque Syris & Hebræorum feſtis.
59. Jo. Mayerus de origine & cauſis feſtorum Judaicorum.
60. *Joſephi* de Voiſin de Jubilæo ſecundum Hebræorum & Chriſtianorum doctrinam.
61. Chriſtoph. Wagenſeilii diſſ. de Jubilæo Hebræorum.
62. Groſſii Bozei libellus ejusdem argumenti, è Gallico Latine.
63. Friſchmuthi & Mich. Waltheri Diſſertationes de via Sabbati.
64. Jo. Andreæ Danzii de curatione CHRISTI ſabatica.
65. Joh. Buxtorffii diſſ. de cœnæ Dominicæ primæ ritibus & forma, ejusque adverſus Lud. Capellum Vindiciæ.
68. Theod. Daſſovii de accubitu ad agnum Paſcſchalem.
67. Liber rituum Paſchalium cum verſione Jo. Stephani Rittangelii.
68. Gabr. Groddeckii diſſertationes de cerimonia palmarum.
69. Jo. Jacobi Schudt de Voto Jephthæ.
70. Hermanni Witſii diſſ. de Rechabitis.
71. Theod. Daſſovii Vota Monaſtica & Hebræorum collata.
72. Maimonides de jure pauperis & peregrini apud Judæos, cum notis Humfredi Prideaux.

73. Pau-

73. Pauli Slevogti diss. de proselytis Hebræorum.
74. Jo. Andreæ Danzii de proselytorum baptismo.
75. Herm. von der Hardt Juris Judæorum Canonici prodromus de circumcisione.

Tomus VIII.

76. Maimonides de sacrificiis ex versione Lud. Compiegne de Veiel.
77. Guil. Outrami de sacrificiis Judæorum libri II.
78. Jo. Frischmuthi de sacrificiis, cumprimis iis quæ sancti Viri haud longe ab initio rerum leguntur obtulisse.
79. Jo. Saubertus de Hebræorum sacrificiis.
80. De sacerdotibus Hebræorum.
81. Pauli Slevogti diss. de XXIV. Ephemeriis sacerdotum apud Hebræos.
82. Andreæ Adami Hochsteteri de festo expiationis.
83. Jo. Rhenferdi collatio expiationis Pontificis Maximi & JESU CHRISTI.
84. Theod. Dassovii dissidium Pontificis Romani & Hebræi.
85. Ej. de Lustratione Hebræorum.
86. Jo. Frischmuthi de hirco emissario.
87. Jo. Benedictus Carpzovius de vacca rufa.
88. H. Dodvvelli de uno sacerdotio & uno altari. Ex Anglico latine.
89. Jo. Braunii de vestitu Sacerdotum Hebræorum.

90. Jo. Prideaux de vestitu Aaronis.
91. Jac. Altingii diss. de mitra, stola, Ephod &c. Heptade VIII. dissertationum T. 5. Opp.
92. Ben. David Carpzovius de Pontificum Hebræorum vestitu sacro.
93. Theod. Dassovii diss. de Coma Hebræorum licita & interdicta.
94. Antonius Bynæus de calceis Hebræorum.

Tomus IX.

95. Herm. Witsii Oratio de Theocratia Israëlitarum.
96. Hadr. Houtyni de Monarchia Hebræorum ante Saulem, una cum scriptis contrariis Sam. Pufendorfii & Adami Rechenbergii.
97. Gustavi Georgii Zeltneri liber de adolescentia Reip. Israëlitarum sub temporibus Judicum.
98. Guil. Schickardus de jure Regio cum notis Jo. Benedicti Carpzovii.
99. Jo. Frischmuthi diss. de rege apud Hebræos eligendo & deponendo.
100. Ej. & Jo. Vorstii de Synedriis Hebræorum.
101. Jo. Clerici de magno Synedrio Hebræorum.
102. Præcepta DCXIII. Hebraice & latine ex edit. Jo. Leusdenii, subjectis observationibus Sim. Episcopii.
103. Guilelmi Welvvood collatio juris divini cum jure civili Romano.
104. Paganini Gaudentii de differentia legum Mosaicarum & Romanarum.

106. Ex Jo. Seldeno de decimis excerpta, Jo. Clerico interprete.
107. Ex H. Dodvvelli & Humfredi Hodii ſcriptis contrariis excerpta de Pontifice Max. à Rege Salomone depoſito. Ex Anglico latine.
108. Maimonides de juramentis Hebræorum cum verſione Miegii & Juſti Chriſtoph. Dithmari notis & Jacobi Perizonii præfat.
109. Jac. Lydii ſyntagma de re militari & de jure jurando Hebræorum cum notis Salomonis van Till.
110. Theod. Daſſovii diſſ. de ſuſpendio hominis lapidibus obruti.
111. Claudii Salmaſii liber de Cruce.
112. Henr. Kippingii de Cruce diſſertationes.
113. Jac. Alting de ſervis Hebræorum, ex Hetade VII. diſſertationum.
114. Jo. Georgii Abicht Profeſſoris Lipſ. de ſervorum Hebræorum acquiſitione & ſervitiis.

Tomus X.

115. Julii Bartoloccii Bibliotheca Rabbinica contracta, emendata & ſuppleta ex Strimero, Plantavitio, Buxtorfio, Hottingero &c.
116. Petri Stevartii Catalogus ſcriptorum Græcorum & Latinorum Anti Judaicorum, auctus & in hæc tempora continuatus.

To-

Tomus XI.

117. Jac. Altingii Hiſtoria Academiarum & promotionum Academicarum.
118. Ej. *Studioſus* & Doctor Hebræus.
119. Henr. Ottonis Hiſtoria CXXX. Doctorum Miſchnicorum.
120. Georgii Urſini antiquitates Hebraicæ Scholaſtico Academicæ.
121. Jo. Held de Judæorum Synagogis & ſcholis.
122. David Clodii de Synagogis Judæorum.
123. Campegii Vitringæ ArchiSynagogus & de decem Otioſis Synagogæ.
124. Jac. Rhenferdi de decem otioſis Synagogæ, Synogogus ἀυτοκατάκριτος, & ſpecimen animadverſionum &c.
125. Jac. Altingii de Concionibus Judæorum poſt reditum è Babylonia.
126. Jo Chriſtoph. Wagenſeilii de Concionibus Judæorum noſtræ ætatis. (Tel. ignea Satanæ p. 245. ſeq.)
127. Rich. Simonis Diſſertatio de Caraitis & Samaritanis, ex Gallico latine.
128. Hadr. Relandus de Samaritanis.
129. Samaritanorum Epiſtolæ ad Scaligerum, Ludolfum & fratres in Anglia.
130. Chronologia Samaritarum auctore Ed. Bernhardo. (in Actis Erud. A. 1691.)
131. Zemach David, ſive Chronologia R. Da-

vid Ganz cum notis Guil. Henrici Vorstii.

132. Jac. Triglandii de Caraitis. Scaligeri, Drusii, Serarii de tribus sectis Hebræorum.

133. Jac. Rhenferdi dissertationes de fictis Judæorum hæresibus.

Tom. XII.

134. Eduardus Bernhardus de mensuris & ponderibus antiquis, & de mari Salomonis.

135. Henr. Guntheri Thulemarii de variis siclis & talentis Hebræorum.

136. Andreæ Beyeri siclus sacer & Regius appensus.

137. Julii Bartoloccii Diss. de numis Hebr. ex T. IV. Bibl. Rabbin. p. 518. seq.

138. Raphaëlis Avellini Declaratio numismatis Hebraici Davidis & Abrahami, ex Italico Latine.

139. Wagenseilii de numis quibusdam Hebraicis ex Commentario ad Sotam p. 275. seq.

140. Kircheri de eodem argumento ex T. 2. Oedipi.

141. Herm. Conringii paradoxa de numis Hebræorum.

142. Hadr. Relandi, Harduini & Gagnerii de Numis Samaritanorum.

143. Wagenseilii de Judæorum in non Judæos usuris.

144. Martini Mauritii liber de Hebræorum sortitionibus.
145. Wagenseilii diss. de lusibus Hebræorum, ex libro ejus de Norimberga cap. XXII.
146. Thomæ Hyde de ludis Orientalium.
147. Jo. Buxtorfius de sponsalibus & divortiis Hebræorum.
148. Tho. Pius de divortiis Hebræorum.
149. Jo. Buxtorfii de lotione Judaica ante & post cibum.
150. Martini Geieri de luctu Hebræorum.
151. Frid. Mulleri libri III. de sepulchris veterum Hebræorum.
152. Jo. Nicolai de sepulchris Hebræorum.
153. Jo. Henr. Hottingeri cippi Hebraici.
154. Monumenta antiqua Judaica Augustæ Vindel. reperta cum notis Matthiæ Frid. Beckii.
155. Menassæ Ben Israel de resurrectione.
156. Theodori Dassovii de mortuorum resurrectione ex mente Vet. Hebræorum.

Vides me omisisse in hac collectione non modo scriptores illos qui in Criticis Anglicanis, in Apparatu Waltoniano, & in præclaro Surenhusii Mischnico opere occurrunt, sed etiam scripta Virorum doctissimorum quæ in plurium manibus habentur, ut Seldeni, Lightfooti, Spenceri, Witsii, Lewsdenii aliorumque, vel nuper recusa sunt ut Scacchi Myrothecium, Pocockii Miscellanea, Sigonii, Cunæique, & Leydeckeri de Hebræorum Rep. tum opera Menochii, Riberæ, Sopranis, Villal-

pandi & aliorum, Lexicaque Buxtorffii & Ortonis: multa etiam alia præteriisse quæ novis voluminibus adjungendis facile sufficerent. Sed jam huic thesauro Hebraicarum alterum etiam Ecclesiasticarum Antiquitatum sive qualemcumque illius designationem subjungere juvat.

Thesauri Antiquitatum Ecclesiasticarum

Tomus I.

1. Jo. Frontonis Epistola de moribus & vita Christianorum in primis Ecclesiæ seculis, aliæque ejusdem Epistolæ Ecclesiasticam rem spectantes.
2. Paganinus Gaudentius de vita Christianorum ante tempora Constantini.
3. Claudius Fleurius de moribus Christianorum. Ex Gallico latine.
4. Guil. Cavei primitivus Christianismus. Ex Anglico latine.
5. Nic. Vedelius de prudentia Ecclesiæ Veteris.
6. Jo Stephani Duranti de antiquis Ecclesiæ ritibus.
7. Barthol. Gavanti thesaurus sacrorum rituum.
8. Christophori Marcelli de ritibus Ecclesiæ Catholicæ.

Tom. II.

9. Edmundi Martene de antiqua Ecclesiæ disci-

ſciplina circa ſacramenta, ritus benedictionis & Politiam Eccleſiaſticam libri VI.

10. Ej. de antiqua Eccleſiæ diſciplina in divinis celebrandis officiis.

11. 12. Jo. Antonii Dandini Alteſerræ Aſcetica ſive Origines Monaſticæ, & Edmundi Martene de antiqua Monachorum diſciplina.

Tom. III.

13. Euchologium Græcorum cum notis Jacobi Goari.

14. Græcorum Pontificale cum notis Iſaaci Haberti.

Tom. IV.

15. Lud. Creſollii Myſtagogus.

16. Jo. Ludovici de la Cerda Adverſaria ſacra.

Tom. V.

17. Auberti Miræi libri V. de notitia Epiſcopatuum Orbis Chriſtiani.

18. Commanvillii tabulæ Geographicæ & Chronologicæ omnium Archi Epiſcopatuum & Epiſcopatuum Orbis: è Gallico latine.

19. Catalogus Pontificum Romanorum è Papebrochii propylæo ad Acta Sanctorum Maji.

20. Benedicti Bacchini de Eccleſiaſticæ Hierarchiæ origine libri III.

21. Guil Cavei de regimine Veteris Ecclesiæ. Ex Anglico latinè.
22. Jac. Gothofredi, Sirmondi & Salmasii de regionibus suburbicariis.
23. Victorini Canon Paschalis cum commentario Ægidii Bucherii.

Tom. VI.

24. Jac. Usserii de Macedonum & Asianoum: Anno solari.
25. Lud. Thomasinus de diebus festis, è Gallico latine.
26. Hadriani Bailleti Historia festorum mobilium & immobilium, è Gallico latine.
27. Caroli Guieti Heortologia sive de festis propriis locorum.
28. Jo. Baptistæ Thiers de festorum dierum imminutione.

Tom. VII.

29. Jo. Ciampini Synopsis Historica de sacris ædificiis à Constantino M. constructis.
30. Ejusdem vetera monumenta, & scripta alia ad antiquitates Ecclesiasticas spectantia.
31. Jac. Ledarchii diss. Historica de sacris Basilicis SS. Martyrum Marcellini Presbyteri & Petri Exorcistæ.
32. Georgii Wheleri relatio de templis primitivorum Christianorum. Ex Anglico latine.

33. Leo Allatius de Templis Græcorum, & de Narthece Veteris Ecclesiæ.
34. Pompeji Sarnelli antiqua Basilicographia, Ex Italico latine.
35. Jo. Baptistæ Thiers dissertationes Ecclesiasticæ de altaribus & choris Ecclesiarum. Ex Gallico latine.
36. Jac. Lobbetius de religioso templorum cultu.
37. Antonii van Dalen diss. de consecrationibus templorum, personarum ac rerum sacrarum.
38. Angelus Roccha de campanis.
39. Jo. Baptistæ Thiers liber de Campanis, è Gallico latine.

Tom. VIII.

40. David Clarkson de non statis in Ecclesia veteri liturgiis, cum Tho. Comberi refutatione. Ex Anglico latine.
41. Jo. Bona de divina Psalmodia.
42. De veteri more inter standum orandi. E Gallico latine.
43. Joach. Hildebrandi rituale orantium, sacræ antiquitates de precibus &c.
44. Jac. Thomasii diss. de ritu precandi versus orientem.
45. Wilh. Ernesti Tenzelii de ritu lectionum sacrarum.
46. P. Allixii diss. de Trisagii Origine.

47. Tho-Smithi diatriba de hymnis Græcorum.
48. 49. Joh. Baptistæ Ferrarii de Veterum Christianorum Concionibus libri III. & Joach. Hildebrandi liber ejusdem argumenti.
50. 51. 52. Ferrarii de variis Epistolarum Ecclesiasticarum generibus & Gerhardi Rodolphi Graviensis de litteris Canonicis, Philippi item Priorii de litteris Canonicis, tractoriis & Synodicis.
53. Andreæ Saussæi Panoplia Sacerdotalis.

Tom. IX.

54. Jac. Usserii de Rom. Ecclesiæ Symbolo Apostolico vetere.
55. Severus Alexandrinus de ritibus baptismi, Syriace & latine.
56. Josephi Vicecomitis de antiquis baptismi ritibus libri V.
57. Gerhardi van Mastricht schediasma de susceptoribus sive patrinis.
58. Lucas Holstenius de forma & ministro sacramenti confirmationis.
59. Henricus Hammondus de Confirmatione.
60. Sainctebeufius de Confirmatione contra Dallæum.
61. Josephus Vicecomes de antiquis Missæ ritibus.
62. David Blondellus de Eucharistia Veteris Ecclesiæ.
63. Henrici Rixneri de instituto veterum Christianorum circa Eucharistiam.

64. Jo.

64. Jo. Filesaci syntagma de pœnitentia, & Jac. Sirmondi historia pœnitentiæ.
65. Ægidius Strauchius de priscis pœnitentium ritibus.
66. Boileavii Historia flagellantium.
67. *Joh. Baptistæ* Thiers examen Historiæ Boileavianæ. E Gallico latine.
68. Ejusdem tractatus de superstionibus circa sacramenta. E Gallico latine.
69. Historia Critica consuetudinum superstitiosarum quibus in errorem abduci vulgus & eruditos admiratione suspensos teneri contigit, auctore P. Brun, S. Oratorii Presbytero. E Gallico latinè.
70. Conformitas rituum hodiernorum cum veteribus. E Gallico latine.
71. De antiquis cerimoniis, sive quibus gradibus paulatim defecerint ad superstitionem. E Gallico latine.

Tom. X.

72. David Blondellus & Henr. Hammondus de Episcopis & Presbyteris.
73. Pompeji Sarnelli Epistolæ Ecclesiasticæ, ex Italico latine.
74. Jo. Launoji Regia in Matrimonium potestas.
75. Dominici Galesii Ecclesiastica in matrimonium potestas.
76. Jo. Launoji contentorum in Galesiii Eccle-

siasti-

ſiaſtica in matrimonium poteſtate erratorum Index.

77. Gerbaſii Theologi Sorbonici tractatus Irenicus de Eccleſiæ & Principum in matrimonium poteſtate.

78. Franciſcus Duſſeldorpius Lugdunenſis de non ineundo matrimonio cum iis qui extra Eccleſiam ſunt.

79. Joach. Hildebrandus de nuptiis Veterum Chriſtianorum.

80. Jacobi Gretſeri de benedictionibus & maledictionibus libri III.

81. Joach. Hildebrandi de Natalitiis veterum.

82. Proſperi Stellartii de coronis & tonſuris Paganorum, Judæorum & Chriſtianorum libri III.

83. Jo. Baptiſtæ Thiers de capillamentis. E Gallico latine.

Tom. XI.

84. Joach. Hildebrandi praxis Vet. Eccleſiæ circa moribundos & de morientium virtutibus.

85. Jo. Andreas Boſius de Clinicis Veteris Eccleſiæ.

86. Jo. Launojus de ſacramento unctionis infirmorum.

87. Jacobi Gretſeri de funere Chriſtianorum.

88. Onuphrius Panvinius de ritu ſepeliendi mortuos apud veteres Chriſtianos & de eorum cœmeteriis.

89. Hen-

89. Henrici Spondani Cœmeteria ſacra, ſive de ritibus ſepulturæ apud Judæos, gentes, & maxime Chriſtianos.
90. Ludovici Antonii Muratorii diſſertatio de more intra templa humandi fidelium cadavera.
91. Caſp. Sagittarii de Natalitiis & cruciatibus martyrum.
92. Antonii Gallonii de cruciatibus Martyrum.
93. Angelus Roccha de Canoniſatione ſanctorium.
94. Antonii Macedo de Diis tutelaribus Orbis Chriſtiani.
95. Diſſertationes Eccleſiaſticæ Caſparis Ibannes de Segouia & Peralta pro gloria antiquorum tutelarium contra fictiones recentes, ex Hiſpanico latine.
96. Catalogus Sanctorum quorum nomina tractu temporis corrupta ſunt, excerptus ex Originibus Gallicis Ægidii Menagii.
97. Simonis de Peyronet Catalogus Sanctorum.

Tom. XII.

98. Pauli Aringhi Roma ſubterranea.
99. Franciſci Mariæ Torrigii cryptæ ſacræ Vaticanæ. Ex Italico latine.
100. Joannis Herbinii Cryptæ Kijovienſes.
101. Jo. Mabillonii Epiſtola de cultu Sanctorum ignotorum cum reſponſione ad eandem & Mabillonii Apologia.

In

In hac quoque designatione facile intelligis me de industria omisisse scripta pleraque, quæ non essent prætermittenda, nisi in omnium manibus versarentur, ut Vossii, Dallæi, Morini, Petavii, Thomasini, Mabillonii. Alia etiam superesse novis tomis addendis, quæ his nec raritate cedant nec præstantia.

Verum ut ad præsens denique opusculum de altaribus veterum Christianorum, propter quod tota instituta est, nostra deveniat oratio, habes illud jam à me monumentum singularis industriæ quam ut in aliis ita in hoc quoque genere litterarum posuit Vir Doctissimus Godfridus Voigtius ὁ μακαρίτης. Equidem in Bibliotheca Theologica Lippenii pag. 29. jam velut Rostochii A. 1678. excusus memoratur Jo. Gothfr. Voigtii de altaribus Christianorum veterum liber quo altarium nomen, conditores, fama, materia, finis &c. explicantur. At enim sive in Catalogo quodam quales in Nundinis exponi solent legerit, sive aliunde hunc titulum acceperit Lippenius, quoniam fortassis auctor circa illud tempus Rostochii hunc librum edere voluit: tamen nescio quas ob causas lucem tum non vidit sed MStus in præsens usq; tempus delituit. Quanquam vero alii quoque hoc argumentum præter Voigtium attigerunt, ut Petrus Molinæus in libello de altaribus & sacrificiis Christianorum, Petrus Berthaldus libro doctissimo de ara, sed quo aras Romanorum veterum à Christi nomine alienorum potissime persequitur, tum Balthasar Bebelius insignis ille Argentoratensium Theologus in Exercitatione de aris & mensis Eucharisticis veterum, Jo. Andreas Bosius in erudita diss de ara ignoti DEI, Rev. Viri Helmstadienses Theologi Jo.

Fabri-

Fabricius de aris veterum Christianorum, & Joh. Andreas Schmidius de aris portatilibus (Richardi enim Montacutii Thysiasteriologia, quod sciam, lucem non adspexit) & qui de templis scripserunt, Hospinianus, Georgius Chladnus, aliique, tum Matthias Zimmermannus in farragine Antiquitatum Christianarum quam sub titulo commentarii in dictum Tertulliani fiunt non nascuntur Christani *in lucem edidit pag. 12. - - 33. Quamvis etiam nonnulla nostro dicta occuparunt Georgius Rittershusius de asylis libello, & Caspar Zieglerus Witebergæ suæ cum viveret decus libro de Diaconis, Joannes item Doughtejus libro de calicibus Eucharisticis: affirmare tamen non dubito, quod per te opusculo inspecto Lector senties, neminem præter nostrum tam diligenter, tamque accurate de aris Christianorum veterum scripsisse. Erunt fortasse aliqui paullo delicatiores quibus methodus displicebit nonnullis in locis* σχολαστικωτέρα, *& quod, uti Panætium fecisse queritur Cicero, in re non dubia testibus utitur aliquando non necessariis, quodque est ubi velut lectori suo diffidens à formatis syllogismis non abstinet: nam & Natali Alexandro exprobrari à Samuele Basnagio V. C. video quod non veritus sit propositis syllogismis veluti pulvere scholastico conspergere Historiam. Neutiquam tamen hæc ejusmodi sunt quæ apud æquum lectorem possint libro tam elaborato adimere pretium, de quo securus, vitam auctoris & scriptorum Catalogum subnectere atque ita præfationi huic finem imponere volo.*

GODFRIDI VOIGTII *Vita ex Programmate funebri ſcripto à Rudolpho Capello, Prof. Publ. in Gymnaſio Hamburgenſi.*

Novimus illum Delitii in Miſniâ, A.C. 1644. m. Aprili, Honeſtiſſimis natum eſſe parentibus, ABRAHAMO VOIGTIO Mercatore integerrimo, qui Caſtiſſ. Virginem SIBYLLAM SCHMIDIAM, uxorem duxerat, piè denati DN. VOIGTII Matrem, profeciſſe in Schola Altenburgenſi, inque illuſtri tandem Leucoreâ nunquam mihi ſine encomio dicendâ, percepimus. Ibi literis incubuit magno ardore, & Philoſophiæ Magiſter renunciatus; paulatim inclaruit, datis editisque ore & ſtilo eximiis in Theologia & Philoſophiâ Sanâ & Sobria ſpeciminibus. Aſſiduus in oratione, lectione & meditatione. Concionator, declamator & diſputator, publicè privatimque, prout res, ratio & occaſio ferebat, in palæſtrâ illâ probè ſubactus, moribus antiquis ſtiloque Majorum, rem bene gerebat. Natus annos quatuor & viginti, à Sereniſſimo & Celſiſſimo Principe ac Domino GUSTAVO ADOLFO Duce Megapolitano, ad regimen Scholæ Guſtrovienſis vocatur, præviâ quorundam Excellentiſſimorum Profeſſorum, (quibus virtutes ejus innotuerant,) commendatione. Paruit lubens, & officio hoc cum laude per annos tredecim functus eſt. Honorem Licentiati in Sacroſanctâ Theologiâ, in inclytâ Giſſenâ, (quam DEus tu-

eatur

eatur & omni felicitate augeat,) legitimè, Anno ætatis ſuæ 35, Chriſtiano vero 1678. obtinuit.

Anno Chriſtiano hujus XVII. Seculi 80, m. VIIIBR. electus & vocatus Scholæ Johannææ Rector ad nos venit, ſolemni introductione in hoc officio confirmatus, ſequentis anni 81. Februario currente. Quam difficulter à Clementiſſimo Suo Principe dimiſſionem obtinuerit, loquantur alii. Quâ diligentiâ & fide, per menſes ſeptemdecim ærumnoſo hoc munere functus ſit, ipſe teſtis eſſe poſſum, quamvis tot adſint teſtimonia, ut meo hic jam non ſit opus. Loquantur oculati & auriti. Sed quid ego ad homines provoco? DEUS Ipſe loquetur; Ipſe teſtis erit & Judex. *Euge ſerve fidelis*, huic quoque dicturus, qui tales המשכילים ומצדיקי הרבים ſui oris teſtimonio probatos, cœleſti ſplendore ornabit. In conjugio, vixit per annos 14. ex Nobili & virtute conſpicuâ virgine *Lidumilla Jani*, Pl. Rev. & Nob. Viri Dni *Danielis Jani* Epiſcopi ſive Superattendentis Eccleſiæ Guſtrovienſis & in Sacris inque Conſiſtorio Conſiliarii filiâ cariſſimâ tres reliquit filias: *Annam Catharinam* natu maximam, tum *Magdalenam* & *Mariam Eliſabetham*; moeſtæ matri, honeſtiſſimæ præſtantiſſimæque fœminæ aſſidentes: quæ ipſa, lacrymis ſine fine obortis, creboque ſingultu verba animo devorat, in hoc luctu inopinato acerbiſſimoque. Vidi ipſe & audivi flebiles queſtus puellarum Matrem imitantium, manantesque ordine lacrymas, ſeriò & ex animo profectas.

 Non

Non hic dolis confictas, non falſas aliquot lacrymulas vi expreſſas habes. Decubuit, Deo ſic volente, per tres ferè hebdomadas, & 1682. 7. Jul. animam ſuam à DEO Patre creatam, ſanguine Chriſti lotam & à Spiritu Sancto illuſtratam, DEO Suo & noſtro, matutinis horis reddidit. Efferetur corpus ejus & terræ in Templo Nicolaitano mandabitur m. Julii d. 12. Decumbens, toto morbi tempore, plus de Scholâ quam de domo ſuâ ſollicitus erat, ſubinde ingemiſcens: *Sancte Spiritus, rege teneros & flexiles animos & illumina puerorum corda.* Vidi decumbentem, ſimulque exemplum pietatis & patientiæ.

Salve & Vale triſtiſſimum

GOTHOFREDO VOIGTIO

SS. Theol. Licent. & Scholæ Hamburgenſis Johanneæ Rectori meritiſſimo,

Amico inter paucos certiſſimo atque ob eruditam pietatem & piam eruditionem ſuaviſſimo, poſt perbrevem converſationis jucundiſſimæ uſuram in gratam & debitam ejus memoriam dictum atque ſcriptum ore & manu lugubri

L. ANTONII REISERI, Auguſtani Paſtoris ad S. Jacobi apud Hamburgenſes.

Salve

Salve

NOn ita pridem, ante hoc videlicet ſeſquiennium, Virorum amiciſſime & amicorum conjunctisſime, dixi, cum DEI digitus, Illuſtris Viri commendatione, omnium bonorum voto & communi Eruditorum adplauſu Te Hamburgum ad regimen Scholæ deduxit, ſed quod ominis fortè minus boni loco potuit haberi, ore non admodum læto, verùm ad non planè nullam compoſito triſtitiam, de quo feret teſtimonium Achates ille fidus, quem in officio expertus es Collegam addictisſimum, præſens tum, & vota votis adjungens. Salve hinc fuit triſtiſſimum, quo dextras Amicitiæ junximus vice primâ. Cauſa non fuit una, nec occulta, ob quam primus noſter hic concurſus animum utriusque non parum commovit, quæ poſthac etiam non ſemel, quando inter concatenatos Labores datum fuit convenire, occaſionem præbuit Diſcurſibus pareiſſimè jucundis. Nimirum intuitus cum aliquo horrore corporis Tui à pertinaci ſtudio & quotidianis Lucubrationibus conſtitutionem valdè debilem, iis plerumque communem, qui libris & legendis & ſcribendis potius, quam quotidianis in Theatro Mundi Vanitatibus atque delitiis malunt tempus, pretioſiſſimum

 quip-

quippè thesaurum, impendere, imò etiam immori; simul verò considerans rationem statûs Scholæ, cui operam à DEO vocatus addixisti, quæ hominem non Eruditione tantùm omnigenâ, sed viribus quoque corporis, iisque robustissimis præditum requirere videbatur, facilè potui prævidere, Te ostendi tantùm ad breve tempus Hamburgo, nec prolixè nos, qui Dona cœlitùs in Te collata ex debito sumus venerati, Tuâ gavisuros præsentia. O me Vatem nimis veridicum! Equidem ubi Sermone inaugurali *de Vitiis Scholarum* Auditoribus ex omni ordine eminentissimis Te animo & corpore magis vegetum stitisti, quàm facies perpallida videbatur promittere, quod idem nuper quoque factum, quando post Examen Vernale *adversùs Scholas publicæ hujus rei privatas*, ab aliquo tempore, non sine maximo ordinariæ Informationis detrimento, justo amplius auctas, verba cum singulari & simul prudenti libertate loquendi ad eos fecisti, penes quorum stat authoritatem, pristinum Scholæ decus restituere, novâ spe visi sumus erecti, qui Hamburgo precamur benè, credentes, fore, ut DEUS subindè novas largiretur vires, quæ possent sufficere ad præstandum illud, cujus causâ Te huc existimavimus translatum. At, *ô spes hominum fallaces*! Si, quid mihi de brevitate Tuæ inter nos Conversationis & vitæ videatur, ad dictamen Conscientiæ

licet

licet absque fuco cum venia Lectoris apertè profiteri, ægrè non feret, ſcio, Apoſtolorum maximus, ſi Ejus utar verbis, quibus indicem fidelium Sanctorum Teſtamenti veteris plurimâ cum ſignificatione obſignavit, ac Te eorum numero adcenſeam, quibus ille Mundum non fuiſſe dignum ſcripſit. Si enim tempora Seculorum antecedentium cum hiſce noſtris conferamus, hæc certè præſentia non meliora inveniemus, quàm illa, ſi non certo quodam reſpectu longè pejora. Dudum eſt, quod boni quidam & publici amantes Viri varia de temporum præſentium peſſimorum ſeria emendatione inierunt conſilia, ſemper tamen deprehendentes, malitiam Seculi omnem ſuperare & reſpuere Medicinam. Indè orta ſunt pia plurium ad Chriſtianismi ab antiquâ Pietate devii aliquam reſtaurationem Deſideria, hinc etiam *Gravamina non injuſta* ſuper inolitis in omni Statu praviſſimis conſuetudinibus. Et, ut Inſtituti præſentis habeatur ratio, quis neſcit eorum conatus & ſtudia, qui rem Scholaſticam in ordinem debitum redigere laborarunt hactenùs quidem ſtrenuè, at plerumque, quæ Seculi labes eſt deploranda, in vanum & irritum, potiſſimis tritum illud occinentibus: ô cives, cives, quærenda pecunia primum eſt, Virtus, Pietas, Eruditiò poſt numos: & ô utinam ad huc poſt numos, ita ut non apud multos hi

obtinerent ſoli, ſanctâ hâc Triade omninò miſſâ in Exilium! Sunt nempè, qui, ne Chriſti Doctrinæ, quâ impoſſibile oſtendit, DEO & Mammonæ ſimul inſervire, videantur eſſe contrarii, huic tantùm ſe totos addicunt & conſecrant, DEI cultum aliquem non alia ratione, quàm pro formâ, uti ſolet dici, præ ſe ferentes, ne videlicet pro Atheis vel antitheis habeantur, quamvis neque hoc profiteri publicè in pleno irreligioſitatis libertinismo intutum amplius videatur, Mundo, ſi porrò ſtabit, eò tandem per juſtiſſimam DEI contemtum Verbi hâc ratione punientis permisſionem deventuro, ut nihil amplius credat, niſi quod in oculos incurrit. Hunc peſſimum & verè deteſtandum Seculi præſentis omni ex parte depravatiſſimi morem quando Tu, Virorum & Amicorum exoptatiſſime, ad animum ſeriò vocâſti, in propriâ expertus Statione, quod alii etiam pluribus deplorant lacrymis, obſervans ſimul, præter gemitus & ſuſpiria nihil eſſe ſuper, ac eſſe rem penitùs deſperatiſſimam; fieri non potuit, quò minus aliquod Vitæ inter fruſtraneas ſollicitudines agitandæ tædium Tibi quoque cum aliis obreperet. Et quia probè noſti, ſine juſſu Imperatoris ſummi ſtationem ſemel concreditam, propter obcurrentes hîc & ibi difficultates deſerere minus eſſe licitum, ideò animum conſtanter & firmiter ſtatuiſti obfirmandum ad omne

omne id pro viribus agendum, quod officii ratio postulabat. Neque id tantùm debitâ cum fide à Te fuit præstitum, ut Momus etiam non haberet, quod jure quidem ac meritò carperet; sed, ne ulla unquam superesset occasio, quæ post labores ordinarios alacriter quotidiè superatos è contemplatione variarum hujus Seculi Vanitatum & plurium indè fastidiorum posset animum sacratioribus studiis addictum aliquatenus adfligere atque commovere, Instituto valdè salubri horas laborum subsecivas, quas alii diversi generis recreationibus solent consecrare, in otio non otioso sed literario & librario consumere decrevisti, quam primum delitias hasce primoribus labris degustare Cœli favore fuit concessum, malens pallescere inter chartas scriptas, quam rubere inter pictas & pocula, semper aliquid ex Authoribus non quibusvis, sed magno cum judicio, nec minori pretio undiquaque conquisitis colligendo in Thesauros non tam privatos, quam publicos suo tempore Luci & omnium Eruditorum oculis exponendos. Natæ hinc sunt *Delitiæ* tuæ *Physicæ*, ab Eruditioribus Anglis etiam commendatæ, quibus ostendisti Tuum diligens in Regno Naturæ Scrutinium, ad quod ipse DEUS antehac Ijobum inter mortales sui temporis uti piissimum, sic etiam forte sapientissimum prolixiori discursu

invitavit, ut Majestatem pariter ac summam Creatoris optimi Sapientiam agnosceret. Quia vero hæ Naturales Delitiæ tuum satiare animum nequiverunt, inde plus ultra progressus ad regnum Gatiæ te contulisti, Theologiam, non illam, quæ communi voce dicitur Scholastica, atque plus subtilitatis, quam utilitatis exhibet, sed quæ Scripturam, quam vocamus Sacram, pro sola agnoscit credendorum & agendorum norma, omnis studii & laboris publici & privati scopum præfigens; non tamen omnino seposita vel plane omissa diligenti lectione Patrum & Conciliorum, non recentiorum, quibus nova superbit Roma, sed potius & rectius illorum, qui proximis à tempore Apostolorum seculis floruerunt, quæque ante Papatum vere Anti-Christianum ab Ecclesiis adhuc in Fide & vita purioribus magna utilitate fuerunt celebrata, Imperatoribus Christianis singulari cum Zelo causam DEI promoventibus. Non possum hic, quin unà tecum serio ingemiscam, quoties video & audio, studium hocce à non paucis adeò contemtim haberi, ut credant, aliisque velint persuasum, id omnino inutile ac minus necessarium esse, ad nos quippe non pertinere, quid Patres antiqui quondam docuerint, quidve Ecclesiarum Synodi decreverint, ideo præsertim, quia Doctores Romanos

nos in defendendis dogmatibus erroneis ad eorum earumve teſtimonia & conſenſum ſolent audacter provocare; minus conſiderantes, hoc ipſum non planè nullam Evangelicis Doctoribus, incomparabili præſertim *Chemnitio* & aliis impoſuiſſe neceſſitatem, has etiam venas adcuratius ſcrutandi, ad eluendam inuſtæ Novitatis maculam, & oſtendendum, doctrinam *Lutheri* meâ laude ſuperioris miniſterio è Verbo DEI Eccleſiæ reſtitutam non ita eſſe ab humana etiam Auctoritate deſertam, ut non per omnia fere Secula liceat in medium producere *Catalogum* vel Indicem *Teſtium Veritatis & Confeſſionis Catholicæ*, in potiſſimis Fidei capitibus idem planè docentium, quod nobis hodie ſub propudioſo ſuſpectæ ſemper Novitatis titulo objicitur. Idem certe tuum ita accendit animum, ut non quieſceret prius, quàm omnium & ſingulorum Patrum Scripta evolveret, Conciliorumve decreta penitus agnoſceret, & quidem ſtudio non ſuperficiali, ſed tanta contentione, ut, quid quovis Seculo doctum vel creditum fuerit publice, quive ritus in Eccleſia hac vel illa obtinuerint, quæ mutationes utrobique occurrerint, quidque ab hoc vel illo notatu dignum fuerit geſtum, adcuratiſſime obſervaret. Inde opus illud grande & laboris maximi *Antiqui-*

tatum Eccleſiaſticarum, quod in pluteis adhuc jacet privatis, dignum Mecœnate ac Patrono, qui manus præbeat obſtetrices, & partum hunc Eruditionis rariſſimæ ſumtibus propitiis in publicam trahat lucem, cui Auctor potisſimam vitæ partem poſt publicæ Functionis labores, quibus nihil unquam fuit detractum, DEO clementer adſtite impendit. Prægustum aliquem qui deſiderat hujus operis, evolvat *Exercitationem Hiſtoricam de SS. unius Divinitatis Triade*, Speciminis ergo editam ante hoc octennium, & ex ungue non Leunculum, ſed Leonem agnoſcet, ſublimiori Statione dignum, niſi in pulvere etiam Scholaſtico ad DEI nutum vivere duxiſſet conſultum. Aliud ſuper adhuc eſt, quod proximè typis alibi excudendum tradere paulo ante obitum paravit ſub titulo Θυσιαστηριολογίας, in quâ diverſam rationem Altarium apud veteres Chriſtianos elegantisſima methodo poſuit ob oculos, iis cum obſervationibus erudititiſſimis, quibus ſe non modo condum diligentem eorum, quæ apud plures notârat Auctores, ſed etiam inſuper promum valde ordinatum oſtendit. Diſputationes atque Tractatus non unius argumenti, quibus Virorum Laborioſiſſime, cornu copiæ ac penu latentis Theſauri non ſuperciliosè pro more Seculi oſtentare,

tare, sed officio satis ex asse pro viribus facere, syrtesque ac scopulos Vanitatis Mundanæ omni studio evitare laborasti, nunc quidem recensere supersedeo, hisce contentus, quæ sufficiunt, ut constet orbi Christiano & erudito, vitæ in hâc Mortalitate per summi Statoris decretum peractæ Annos, qui non integra implent octo Lustra, non turpi otio, sed multo certê negotio fuisse insumtos, atque plus olei, quam Vini à Te consumtum fuisse. Verum, hîc esto pausa laboris! En, beatissime nunc Vogti, rudem ante ætatem justam cœlitùs Tibi ex singulari Gratia donatam! Nempê, finis est hic omnium hujus Seculi fastidiorum, quæ Tuam quoque mentem, ut aliorum quorumvis bonorum, non semel turbârunt. Beatum te dico ac prædico non ter aut quater, non centies, vel millies etiam, sed in perpetuum ac beatam Æternitatem. Vere etiam de Te potèst pronunciari, quod quarto capite libri Sapientiæ de morte Justi in oculis hominum præmaturâ legitur. Placuisti DEO, ac ideò ante tempus, videlicet molestæ Senectutis, animam Tuam ex Mundo hoc immundo & non nisi Vanitatis Theatro eduxit & eripuit. Jam versaris cum choro Angelorum ac omnium fidelium inter delitias non amplius Regni Naturæ, sed Gloriæ, ea vi-

videns atque audiens, quæ nullus unquam mortalium in hac vitâ vidit vel audivit, cum summa admiratione percipiens ἄῤῥητα ῥήματα, quæ Paulus in tertium raptus Cœlum audivit quidem, ſed verbis exprimere non potuit. Nunc à novitatibus quotidianis Seculi hujus in quævis momenta mutabilis liberatus & ereptus contemplaris Antiquitates verè cœleſtes, quæ Mentem tuam ſatiant, imò, nunquam ita poſſunt ſatiare, ut non ſemper creſcat deſiderium cum Sanctis cœlitibus Myſteria, quæ hic in ſtatu cognitæ imperfectionis ex parte tantum cognoſcimus, cognoſcendi adcuratius & amplius; Myſterium inprimis SS. Triados, quam ordini Seraphinorum junctus cum Triſagio venerabundus & humilis adoras. Quin & in numero eorum, qui ad Altare viſi & auditi ſunt Johanni Apocalyptæ DEum Vindicem invocare, conſtitutus veſte candida ſuperbis coram Throno tui & omnium fidelium Salvatoris, ſingulari cum deſiderio expectans, usque dum ſequantur, quos in hoc orbe triſtes ſuper obitu Tuo reliquiſti, cœleſtem repetens DEO vocante Patriam, ubi benè, ubi optimè eſt Tibi, nobisque erit, quando Cœli calculus volet nos Tua premere veſtigia. Inter id luget domus Tua, atque in ea Tuæ in his terris per tria tantum Luſtra vitæ & thori fidelis Socia

cum

cum triade filiarum, agnoſcens ſe cum eis Viduam & orbam, hoc tamen Solatio, DEUM vi factæ promisſionis gratioſisſimæ Patrem fore & Tutorem. Luget Schola, quæ Tuo regimine multo cum fructu & emolumento, majori adhuc ſpe incrementi, at, proh dolor, brevi valdè temporis ſpatio fuit gaviſa, infelicem ſe prædicans, quod ſpes benè concepta cum vitæ Tuæ temporalis filo ſit abrupta, non per Parcarum gentilium iniquitatem aut invidiam, quod cogitare vel eloqui per Fidei noſtræ rationem prohibemur Chriſtiani, ſed quia, quod ante dixi, & adhuc ſemel repetendum duco, Mundus te dignus non fuit, DEI ejus ingratitudinem hoc etiam modo graviter puniente. Verum, luget etiam Curia ac in ea ordo Senatorum, qui Scholam benè ordinatam ac Gubernatore fideli ornatam publicæ rei Seminarium ex antiquorum prudentum obſervatione agnoſcentes, de Tuâ dexteritate in Juventutis ad Pietatem & Artes bonas manuductione quævis optima ſibi promiſerunt, atque hinc non immeritò dolent, ſe votorum compotes non eſſe factos. Luget Collegium Scholarcharum, lugent omnes ſeriæ Eruditionis cultores, & inprimis quoque amantes poſteritatis, ſi quæ futura eſt. Lugent Amici, qui Tuas dotes candidè æſtimarunt,

marunt, interque eos, qui hoc VALE triſtisſimum, inter Meditationes Sabbathicas, mente non parum turbata, manu non ſemel tremula ſcripſit, luctum hunc non depoſiturus; usque dum ejusdem Cœli favore ex hoc Theatro Vanitatis tandem eductus ore lœto Tibi dicturus
eſt æternum

Salve!

S.

D. O. M.

GOTHOFREDUS VOIGTIUS,

Delitia-Miſnicus,

Bonarum Artium & Philoſophiæ Doctor digniſſimus,

SS. Theologiæ Licentiatus itidem Celeberrimus,

primum illuſtris Gymnaſii Guſtrovienſis

dein Scholæ Hamburgenſis Johan. Rector Meritiſſimus,

Quod

Quod à Naturâ poſt triſtem lapſum habuit mortale,
ex nutu Creatoris optimi hic depoſuit,
Anima in Cœlis inter brachia
Salvatoris Triumphante,
Memoria Ejus apud bonos manente in Benedictione,
quia non tantum fuit bonus; verum & doctus,
ne quis credat
Eruditionem obeſſe Pietati.

Et quia Vir verè bonus & piè doctus
vivus Martyr eſt in Mundo
hoc immundo
quamvis fortè incruentus;
ideo mirum videri debuit
minimè,
quod & VOIGTIUS hinc
noſter
ſua habuit Martyria.

Dum

Dum namque in ſtatione Divinitus con-
credita
ſerio injunctum ſibi exiſtimavit,
auſu fere & verè Herculeo
pro viribus
pugnare adverſus ſeculi Impietatem
Atheiſmo proximam,
Zelo ardere contra Juventutis à Paren-
tibus neglectæ mores depra-
vatos,
omnique ſtudio obcurrere Barbariei
mox rediturae,
niſi
ex machina DEUS præſtet
auxilium;
evitare non potuit,
quo minus Hydra hæc mul-
ticeps
plurimum faceſſeret negotii,
multumque exprimeret ſudorem,
ea objiciens faſtidia,
quæ Mentem etſi fortiſſimam

non
potuerunt
non
fortiter concutere.
Inde ſenſim animi corporisque virium decrementa,
quæ Martyrium perbreve promittebant.
Equidem his minime obſtantibus ſemper contra
audentius eundum eſſe
ratus noſter GOTHOFREDUS,
in DEO, non mundo hoc immundo habens Pacem,
nihil à laboribus quotidianis remiſit,
quamdiu potuit per vires,
imo, quandoque viſus agere ſupra vires.
At, ſatis laboratum,
ſatis quoque in Pulvere ſcholaſtico ſudatum!

Vocatus nunc est à summo Brabeuta
ad
Academiam Cœlestem,
Tiara ornatus Doctorea.
Tu
Lector bone & docte,
imitare Exemplum
&
simile præmium
tibi promitte
à
DEO.

Catalogus Scriptorum
GOTHOFREDI VOIGTII.

Opusculum Theologicum de fide Infantum. Witeb. 1666. 8.

Curiositates Physicæ de resuscitatione brutorum ex mortuis. De resurrectione plantarum. De cantione cygnea. De congressu & partu viperarum & de Chamæleontis victu. Gustrov. 1668. 8. Lips. 1698. 12.

Dissertatio contra Nivis albedinem. Gustrov. 1669. 8.

Musæ Gustrovienses, in quibus de usu manuum &c.

Deliciæ Physicæ in quibus agitur de stillicidio sanguinis ex interempti hominis cadavere, præsente occisore: De lacrymis Crocodili. De catulis ursarum. De amore ovis & lupi. De piscibus fossilibus atque volatilibus. De conventu sagarum ad sua sabbata. De infantibus supposititiis. 4. & Rostoch. 1671. 8. Confer Transactiones Philosoph. Anglicanas num. LXXVII. T. 5. p. 3017.

Imago SS. Trinitatis ante tempore Christiana etiam in Ecclesia creditæ, extra Ecclesiam in scriptis Gentilium subobscure scintillans, nunc ex iisdem in apertam lucem prolata, & a calumniis Socinianis de Origine Triados Platonicâ vindicata, inter-

intermixtis singularibus quibusdam argumentis Historicis. Accessit appendicis loco catalogus librorum Socinianorum cum editorum tum MSS. Rostoch. 1680. 4.

Epistola ad viros doctos florentissimæ liberæque Civitatis Hamburgensis super controversia quadam quæ ei intercessit cum Dan. Butnero Prof. Publ. Hamb. 1682. 4.

Indices latinitatis, post obitum auctoris editæ ibid. 1686. 8.

De altaribus Veterum Christianorum liber.

Inedita.

Controversiarum de altaribus Veterum Christianorum Orthodoxa disceptatio.

Lexicon Antiquitatum Romanarum.

Antiquitates Ecclesiasticæ.

Logica Reformata.

Miscellanea Philosophica.

Physicalischer Zeitvertreiber.

Meletemata Physica: De similitudine & dissimilitudine fœtus respectu parentum. De lapide netili & & ex eo conficiendis lucernis perpetuis. De unguento armario. De miris lapidum figuris. De lapidibus prægnantibus. De plantis metalliferis. De oculis cancrorum. De rubedine cancrorum coctorum. De cornibus cervorum. De exuviis animalium. De regeneratione partium amissarum in animalibus. De viribus lunæ.

lunæ. De Physica verborum virtute. De Struthionis σιδηροπεψία. De Psittaci loquela. De Gallinis aureis. De lupi visu & vestigiis. De Salamandræ ortu & victu. De Basilisci generatione ex ovo galli. De galli cantu. De pelecano emortuos pullos sanguine suo vivificante. De agno vegetabili. De anseribus Scoticis. De iis qui noctu vident. De emersione cadaverum submersorum. De coaxatione ranarum. De vita mortuorum & anima inanimatorum. De metamorphosibus sanguineis. De lapidibus fulminaribus &c.

CAPITUM ELENCHUS.

1. De Origine Vocabuli Altaris, variisque terminationibus.
2. De Homonymia Altaris. p. 7.
3. De Altaris Synonymis. p. 72.
4. De Altaris veterum definitione p. 80.
5. De Altarium conditoribus sive causa efficiente, p. 85.
6. De Materia Altarium p. 99.
7. De forma Altarium p. 111.
8. De fine Altarium. p. 121.
9. De Altarium Divisione p. 142.
10. De Origine Altarium p. 149.
11. De consecratione Altarium p. 158.
12. De ornatu Altarium p. 209.
13. De loco & situ Altarium p. 232.
14. De numero altarium p. 243.
15. De Corporibus & Reliquiis sanctorum ad Altaria vel sub iis etiam conditis. p. 250.
16. De sanctitate Altarium p. 257.
17. De Altarium ἀσυλίᾳ sive jure Asyli. pag. 274.
18. De Ministris Altaris sive Diaconis, p. 314.
19. De iis quæ Ecclesia ad Altaria, vel in iis agere olim suevit. p. 404.

20. De exclusione certorum Hominum ab Altari. p.427.
21. De cognatis Mensæ sacræ. p. 438.
22. De violatione Altarium p. 445.
23. De Abusu Altarium p. 449.
24. De Altaribus Hæreticorum. p. 456.
25. De Aris Gentilium p. 470.

GOTHO-

GOTHOFREDI VOIGTI, L.

THYSIASTERIOLOGIA,

Sive

DE ALTARIBUS CHRISTIANORUM VETERUM LIBER.

CAPUT I.

DE ORIGINE VOCIS ALTARIS, VARIISQUE TERMINATIONIBUS.

I. Altare olim appellatum *Altar*.
II. *Altarium* quoque.
III. Etymon varium. Quidam dictum volunt ab ardore
IV. Alii ab alendo.
V. Nonnullis vox composita ex duabus aliis videtur, ut sit quasi *alta ara*. Rejiciuntur ista.
VI. Ab altitudine simpliciter appellari ostenditur. Affertur ratio etymi. Gabriel Biel notatur.

§. I.

ALtare quod hodie vocamus, idem olim dicebatur *Altar*, abjecto e. Obſervat id *Caſp.Barthius* lib. XLIII. Adverſ. cap.XV. f. 1958. & exempli loco affert illud Prudentii: *Altar tepeſcit ore, ſaxum pectore*, ex hymn. IX. de S. Caſſiano. Nec tamen negat, plus ſemel ita poſitum *Prudentio.* Et recte quidem. Idem enim reperimus Hymn. II. περὶ ςεφάνων v. 515.

Altar quietem debitam
Præſtat beatis oſſibus.

Et hymn. III. in Eulalia verſ. 211.

Sic venerarier oſſa libet,
Oſſibus altar & impoſitum.

Quo loco tamen ultimam *ar* in ea voce male corripi, in Theſauro *Fabri* nuper recognito bene notatur. *Prudentium* imitatus *Alcuinus* Poëm. 241. f. 1735.

Bartholomæus habet præſens hoc Apoſtolus Altar.

Beda item in vita Cutberti cap. XXXI.

Cras myſtica, dixit, ad altar
Obtulero cum ſacra.

Et cap. XXXVI.

Sacer reſidens antiſtes ad altar
Pocula deguſtat vitæ.

Et Amœnus Enchirid. V. & N.T. p. 750. ubi de Chriſto altar uſurpat.

II. Ap-

II. Appellabatur etiam *altarium*, ad eundem ferè modum, quo *exemplarium* & *lupanarium* in Jure Civili usurpantur; vel quo præter *cochlear* & *cochleare*, etiam *cochlearium* legitur ap. *Plinium* lib. XX. cap. 22. p. 969. & lib XXVIII, 17. Exempla occurrunt passim apud Patres. *Sulpicius Severus* sacr. Hist. lib. I. cap. 32. p. 104. *Hæc ferè Moyses ad populum verba Dei retulit, altariumq; ex duodecim lapidibus sub monte constituit.* & Dial. I. cap. 2. p. 577. *Cum jam altarium, sicut est solenne benediceret.* Ambrosius in 1. Cor. IX. Tom. V. Oper. f. 268. *Qui altario deserviunt, altari participantur.* & in cap. X. f. 272. *Cum mensæ dæmoniorum communicat, mensæ Domini,* i. e. *altario obstrepit.* Hieronym. epist. ad Ocean. Tom. II. oper. f. 324. circa finem: *Vespere in Circo, mane in altario.* Augustinus epist. 118. ad Januar. Tom. II. Oper. f. 557. *Autoritate antistitis debet quisque ab altario removeri ad agendam pœnitentiam & eadem auctoritate reconciliari.* Auctor sermonis XI. de sanctis Tomo X. Oper. Augustini f. 1187. *Recte sub altario justorum animæ requiescunt.* Isidorus Hispalensis de Eccl. Offic. lib. II. cap. 10. f. 610. *Isti* (Subdiaconi) *vasa corporis & sanguinis Christi Diaconibus ad altarium offerunt.* Anonymus, cujus homiliam Gennadio de Eccles. dogmat. adjecit Elmenhorstius pag. 52. *Oblationes quoque, quæ in altario consecrentur, offerte.* Paul. Warnefrid. II. de gest. Longobard. 13. *Altarium in honorem B. Martini confessoris constructum.* Verum ut *altar* & *altarium* Ecclesiasticis

tantum ſcriptoribus frequentata legimus, ita minus Latine dici arbitramur, quam *altare* quod puriſſimi Latini ſermonis auctores uſurparunt.

III. De origine vocis non una omnium ſententia eſt. Sunt, qui ab *ardore* dici putant, quod victimæ, altaribus impoſitæ, ardore deflagrarint. Sic *Gabriel Biel* lect. XIII. in Can. f. 17. *Altare*, inquit, *dicitur ab ardore, quia in lege veteri holocauſta cremabantur in altari, ex qua lege traxit originem.* Verum non multo melior hæc etymologia eſt, quam illæ ſunt, quas ex Lombardica Hiſtoria *Jacobi de Voragine* nobis exhibet *B. Eraſm. Schmidius* in Calendar. Etymol. Papiſt. ubi inter alia *Thomas* dici putatur, quaſi *totus means* ſcil. in DEI amore: *Stephanus*, quaſi *ſtrenue fans*, i.e. regens *anus* nempe viduas: *Magdalena* quaſi *manens rea*: *Pancratius* quaſi *totus citogratus*: *Vitalis*, quaſi *vivens talis &c.* Nec mirum, ſimilem hic Bieli in mentem veniſſe, quando ipſe fuit ſimilis Jacobi illius, id eſt, rudis atque expers eorum, quæ ad humanitatem pertinent.

IV. Aliis ab *alendo* altare nomen videtur mutuatum, quod in eo alatur ignis. Quam ſententiam non diſplicuiſſe video *Mario Servio Honorato*, veteri illi Virgilii interpreti, cujus de proprietate & differentiis Latini ſermonis libellum reperio inter auctores L. Linguæ à *Dionyſio Gothofredo* in unum corpus redactos, & inter alia hæc ibi lego p. 1364. *Aræ dictæ ab aridi-*

tate,

tate, quia in iis adoletur ignis: altaria ab alendo, quia igni adduntur alimenta. Verum hujus notationis ratio etiam aris convenit, in quibus etiam adolebatur & alebatur ignis. Vid. *Sext. Pompej. Fest.* de Verb Signif. p. 249.

V. Melius ſentiunt, quibus altare dici putatur, quaſi *alta ara.* Probat hanc etymologiam *Beda* comment. in Pſ. XXV. Tom. VIII. Oper. f. 555. *Iſidorus* Orig. lib. XV. cap. IV. p. 1197. *Walafrid. Strabo* de reb. Eccleſ. cap. VI. f. 74. *Balth. Meiſn.* Philoſ. ſobr. Part. II. ſect. I. quæſt. 19. p. 174. *Gabriel Biel* l. c. & alii. Quippe alta non tantum erant, ſed & in altis locis excitari ſolebant, teſte Hiſtoria cùm Romana, tùm Græca. At vocem *aræ* cum *altitudine* hic conjungi, ut inde fiat *altare* quaſi *alta ara*, non adeo videtur eſſe veriſimile. Alias enim *Cochleare* dicendum eſſet quaſi *Cochlea-ara*, & *Laqueare* quaſi *lacus ara*, & *Collare* quaſi *Colli ara*, & id genus alia, quorum terminatio ſimilis.

VI. Optime igitur faciunt, qui ſimpliciter ab *altitudine* altare dictum eſſe exiſtimant, terminationem *are* habentes pro mera derivationis adjectione, cujusmodi in citatis etiam vocabulis reperitur & in multis aliis. Sic à *Lacu, lacunar* & *lacunarium*; à *calce, calcar, calceus* & *calcearium*; à *vivo, vivarium*; ab *aqua, aquarium*; à *libro, librarium.* Similter ab *alto, altare, altar* & *altarium.* Hanc ſententiam amplectuntur *Sextus Pompejus Feſtus* l. c. *Ambroſ. Calepinus* cum not. Paſſeratii f. 85. *Becmannus* de orig. L.L. voce Ara p. 238.

238. *Joan. Ludovic. de la Cerda* Comm. in Virgil. Æneid. XII. v. 81. n. 16. Tom. III. f. 729. *Matthias Martinius* in Lexic. Philol. f. 40. *Faber Lexic.* f. 110. *Bellarmin.* lib. I. de Miſſ. cap. 2. Tom. III. f. 197. & ex parte *Mart. Servius Honoratus*, & *Gabriel Biel* ll. cc. Sed in ratione notationis diſſentiunt. *Feſtus* & ex eo *Calepinus* ideo ab altitudine dici putant, quod à terra ſint exaltata. Similiter *Cerda* ab eminente forma ſcribit appellata. *Martinius*, quod altis locis excitari ſolita, vel quia alta fuerint, quæ ratio omnium videtur commodiſſima. Minus placet illa interpretis Statii, qui ait: *Nominata ſunt altaria, ad quæ ſacrificantes manus porrigimus in altum.* Hoc enim externum quiddam erat, nec perpetuum. Nulla autem omnino *Gabrielis Bielis* eſt, qui ratione ſacrificii altiſſimi, corporis ſcil. & ſanguinis Domini ita dicta ſcribit l. c. Primo enim altaris vox Latinis veteribus illis admodum antiquis accepta referenda, quibus nihil conſtitit de altiſſimo quodam ſacrificio. Deinde eadem S. etiam Patres legimus uſos. At altiſſimum illud ſacrificium, quale hic *Biel* fingit, omnino ignoraſſe certum eſt. Denique ſi quid hæc ratio valet, vix aliud quid efficiet, niſi hoc, Pontificiorum altaria ab altiſſimo etiam ſacrificio corporis & ſanguinis Chriſti ita dici, quod non negamus; at recte fieri, pernegamus.

CAPUT II.

DE VARIIS VOCIS ALTARIS SIGNIFICATIONIBUS APUD SCRIPTORES N. T. CUM θεοπνεύστους, TUM ECCLESIASTICOS.

I. Vocis potestas multiplex tenenda.
II. Significationes vocis altaris sunt vel Biblicæ vel Ecclesiasticæ.
III. In N. T. vel proprie vel improprie sumitur.
IV. Explicantur aliquot loca Scripturæ N T. ubi proprie sumitur de altari Hebræorum, ut Matth. V. 23. 24. cur Christus usus voce altaris sit.
V. Matth. XXIII, 18. 19. 20 25. Juramentum per altare. Magna & parva. Per res creatas quomodo vera.
VI. Luc. I, 11. ἐπιφάνειαι.
VII. Luc. XI, 51 Matth. XXIII. 35. ubi Zacharias occisus sit. Locus altaris holocaustorum.
VIII. Rom XI. 3. an DEus interdum probaverit cultum in Excelsis.
IX. 1. Corinth IX. 13.
X. Jacob. II. 21. Altare, in quo Isaacus immolandus, cujusmodi fuerit.
XI. Explicantur loca N. T. ubi vox altaris impropriè usurpatur. 1. Cor. X 18. Dionysius Carthus. notatur.
XII. Hebr. VII, 13.
XIII. Apoc. XI, 1. Dionys. Carth. iterum notatur.
XIV. Apoc. XIV, 18.
XV. Hebr. XIII, 10.
XVI. Apoc. V, 9. Altare Christus. Altare Hebræorum asylum. An Salomon recte jusserit Joabum ad altare occidi?
XVII Apoc. VIII. 3.
XVIII Apoc. IX, 13.
XIX. Significationes vocis altaris Ecclesiasticæ. Altare, crux Christi, & quidem propriè. Figura

ra altarium apud Græcos.

XX. Altare cœleste. Origenis dictiones periculosæ. Col. I, 20.

XXI. Altare cœleste speciatim exponitur.

XXII. Altare fidei.

XXIII. Altare Cordis, animæ, mentis.

XXIV. Altare corporis.

XXV. Ecclesia, populus DEI, fideles, pii, pauperes, misericordes, altaria mystica.

XXVI. Altare cultus divini, religionis & doctrinæ Christianæ. *Altare contra altare erigere*, quid sit.

XXVII Ministerium sacrum; altare mysticum.

XXVIII Locus, ubi sacra reposita mensa, altare dictus.

XXIX Sacræ mensæ dictæ altaria.

XXX Afferuntur testimonia; ex I. secul. Ignatii.

XXXI. Ex II. Sec. an quisquam mensam altare nominarit?

XXXII. Ex III. sec. Tertulliani, Origenis, Cypriani. Stationes.

XXXIII. Ex IV. Sec. Eusebii, Optati Milev., Gregor. Nazianzeni, Ambrosii, Nysseni, Hieronymi, Ruffini, Prudentii, Chrysostomi.

XXXIV. Ex V. Sec. Augustini, Synesii, Paulini Nolani, Sulpicii Severi, Cyrilli Alex. Theodoriti, Sidonii Apoll. Socratis, Sozomeni, Petri Chrysologi, Salviani.

XXXV. Ex VI. Sec. Cæsarii Arelat., Ennodii, Alcimi Aviti, Aratoris.

XXXVI. Ex VII. Sec. Gregorii M. Isidori Hispal.

XXXVII. Ex VIII Sec. Bedæ.

XXXVIII. Ex IX. Sec. Paschasii Ratberti, Amalarii Trevirens., Walafrid. Strabonis.

XXXIX Ex X. Sec. Concil. Engilenheimensis & Landavensis.

XL. Mensæ dictæ altaria, non ob sacrificium aliquod propriè ita dictum.

XLI Causæ veræ appellationis: prima.

XLII. Altera.

XLIII. Tertia.

XLIV. Quarta, &c.

§. I.

§. I.

MUltiplex omnino vocis altaris potestas ac significatio est, quam ignorare non debet, quisquis rationem altarium Christianorum cognoscere cupit. Neglecta, animos hominum in errores sanè præcipitat gravissimos, quod vel in Pontificiis videre est. Hi enim si proprias hujus vocis significationes & metaphoricas rectius discernerent, quam solent, abstinerent, credo, à nudâ voce suæ adjumentum arcessere Missæ commentitiæ.

II. Possunt autem variæ istæ significationes commode dividi in *Biblicas* & *Ecclesiasticas*, pro diversitate scriptorum. Biblicæ sunt vel V. vel N. T. Illas in præsenti in medium afferre, non opus esse videtur, quod de altaribus Christianorum nunc soliciti sumus. Has igitur inprimis considerare juvat.

III. Sumitur vero in N. T. altaris vox vel *proprie*, vel *minus proprie*. Proprie vel illud significat, in quo Judæi olim DEO obtulerunt sacrificia proprie dicta; vel illud, quod Deo ignoto legimus ab Athenienfibus erectum, Actor. XVII, 23. Istud Israelitarum; hoc gentilium fuit. Illud Græce θυσιαστήριον, hoc βωμὸς appellatur. De posteriori etsi multa disputant, quæ vide sis in *Joh. Andr. Bosii* Differt. Philol. ad h. l. nemo tamen, quod scio, negavit, fuisse altare

proprie dictum. Quare non est, quod plura nunc de eo dicamus.

IV. Prius intelligitur Matth. V, 23. 24. in istis: *Si offers munus tuum ad altare* &c. Ubi Christus usus voce altaris, tanquàm isto tempore usitata, nec aliter loqui potuit, quod nondum abrogata erant sacrificia Levitica. Pontificii quidem hîc altare Missæ putant intelligi oportere. Sed quàm absurdè, alio loco ostendam.

V. Eodem modo intelligitur Matth. XXIII, 18 19. 20. 25. ubi mentio fit *juramenti per altare*, quod apud Judæos usitatum erat, & inter alias jurandi per res creatas formulas reperitur in Tosapht ad Nedarim c. I. Conf. *Maym.* de juram. c. 12. Nimirum Hebræorum magistri, observante *Grotio* in h. l. juramenta alia magna, alia parva censebant. Magna per ipsum DEum, cui æquabant juramentum κορβᾶν, quod δῶρον θεῦ vertit *Josephus* lib. I. contra Appion. Id autem erat duplex, aut donum, quod altari superponebatur, cujus in Levitico sæpe est mentio, ubi idem δῶρον vertunt LXX; aut pecunia missa in Gazophylacium, quod κορβανᾶ vocat Matthæus XXVII, 6. Per utrumvis horum siqvis jurasset, per DEum ipsum jurasse censebatur, quia illa dona DEI erant propria. Juramenta autem per templum & altare minoribus juramentis accensebantur. Hæc magistri Hebræorum. Sed contra Servator noster h. l. templum & altare majora esse docet, quàm aurum & donum, juramenta quoque per illa facta in ipsum redundare

dare DEum, adeoque jurantem obligare. Neque tamen inde ſequitur, ejusmodi juramenta eſſe licita, cum fiant per res creatas, per quas jurare nefas Devt. VI, 13. & X, 20. conf. Matth. IV, 10. Exod. XXIII, 13. Sophon. I, 5. Jerem. V, 7. Matth. V, 34. 35. 36. add. can. 23. Synodi. II. S. Patricii Tom. VII. Concil. edit. Pariſ. f. 325. Vera quidem ſunt ratione *finis & effectus*, quatenus indirecte in ipſum feruntur DEUM adeoque hominis conſcientiam obligant; ſed non item ratione *formæ*, quia iis non invocatur DEus teſtis dictorum & fallentium vindex. Nec ſi pejerare per res creatas nefas, ideo fas per easdem jurare. Pejerare enim ſimpliciter prohibitum Matth. V, 33. ac proinde nec per creatorem, nec per res creatas pejerare licet; jurare vero non item, ſed tantum per res creatas comm. 34. 35. 36. per DEum autem jurare non tantum permiſſum, ſed etiam præceptum Deut. VI, 13. Cæterum quod iſto Matthæi loco cap. XXIII. nonnulli permiſſa eſſe putant juramenta per res creatas, quæ tamen cap. V, 35. 36. prohibita, id totum nihil eſt. Neque enim ibi Chriſtus formas juramenti approbat uſurpandas, ſed factas obligare tantum docet, ut ex B. *Dorſchei* collegio Adiaph. MSS. obſervat *Matthias Zimmermann*. Analect. Miſcell. menſ. VI. §. III. pag. 306. Nulla itaque caput inter V. & XXIII. pugna, nulla juramenti per res creatas permiſſio. Quid alii hic tradant, vide in *Walcheri* noſtri Harmon. Bibl. ad Matth. V. p. 745. ſeqq. De juramentis

mentis per Sanctos & Deos falsos vid. *Balduinum* Cas. Consc. lib. II. cap. IX. cas. 2. & 3. pag. 244. seqq. De gentilium juramentis variis ac ridiculis lege *Alexandrum ab Alex.* dier. genial. lib. V. cap. 10. p. 266. seq. Sed eo revertimur, unde digressi sumus; quippe diximus, altaris vocem, isto loco intelligendam esse proprie. Ratio non deest. Ut enim in juramentis per cœlum, terram, Hierosolymam, caput, voces cœli, terræ, Hierosolymæ, capitis intellectæ proprie sunt, quemadmodum videre est ex illarum descriptione Matth. V, 34, 35, 36. Ita & in juramentis per templum, aurum, altare, donum, voces templi, auri, altaris, doni intellectas proprie fuisse, & ratio similium efficit, & addita isto quoque loco descriptio Matth. XXIII, 18, 19, 20. Sunt quidem è Veteribus nonnulli, qui hic ad mysticum sensum (qui tamen proprie & stricte loquendo sensus Scripturæ non est) confugiunt, & altaris vocem improprie explicandam esse putant, ut *Origenes*, qui Tract. XXV. in Matth. f. 122. altare ibi vult esse hominis cor: *Altare*, inquit, *quod votum sanctificat, est hominis cor*; & *Augustinus*, qui lib. I. Quæst. Evang. cap. 34. Tom. IV. fol. 333. interpretatur ipsum Christum: *Intelligendum* ait *Templum & altare ipsum Christum: aurum & donum, laudes & sacrificia precum, quæ in eo per eum offerimus.* At nihil tale Spiritus S. hic intendit nec per verba, nec per res verbis significatas. Quare illatis allegoriis interpretationes illas annumeramus, quibus

non verborum ſenſus exprimitur, ſed res ipſæ alio referuntur, præter intentionem Spiritus Sancti.

VI. Sunt & alia loca N. T. in quibus altaris vox proprie de altari Judæorum uſurpatur, quæ conſiderare breviter, animus eſt. Luc. I, 11. *Angelus Domini* dicitur *apparuiſſe Zachariæ, ſtans à dextris* τοῦ θυσιαστηρίου τοῦ θυμιάματος *altaris incenſi.* Intelligi hic altare proprie dictum, haud puto quenquam negare. Introducitur enim hic ſacerdos proprie dictus, Zacharias, isque dicitur ingreſſus eſſe in templum Domini proprie dictum & feciſſe θυμίαμα *ſuffitum* proprie dictum comm. 9. quî ergo altare hic proprie dictum locum non haberet? Dum vero τῇ ὥρᾳ τοῦ θυμιάματος viſum Zachariæ angelum eſſe lego comm. 10. illud recordor. quod ex Rabbinorum ſcriptis tradidit *Druſius*, ſcilicet ſolitas ſacerdotibus ἐπιφανείας contingere eo maxime tempore, cum adolebant. Adde *Joſephum*, qui lib. XIII. Antiqv. cap. XVIII. f. 403. DEUM ſcribit reddidiſſe oraculum Hyrcano ἐν τῷ ναῷ θυμιῶντι *in templo adolenti.*

VII. Luc. XI, 51. & Matth. XXIII, 35. mentio fit *Zachariæ* cujusdam *occiſi* μεταξὺ τοῦ θυσιαστηρίου καὶ τοῦ οἴκου (ναοῦ) *inter altare & ædem* (*templum.*) Ubi altare proprie dictum intelligere ipſa nos hiſtoria jubet II. Paral. XXIV, 21, 22. recenſita, ad quam hic reſpexiſſe Chriſtum, præterquam quod nullius alterius Zachariæ occiſi S. Literæ meminerunt, vel ipſe cædis locus evincat.

cat. Facta enim est sub dio in atrio, quod חצר vocant Hebræi, αὐλὴν Græci, Josephus ὕπαιθρον, in quo erat altare holocaustorum, ita ut subdivalis pars aliqua inter altare & ædem templi, quæ hic ναὸς stricte dicitur, Hebræis היכל intercederet: quem locum etiam in historia περὶ ἁλώσεως lib. V. *Josephus* eodem nominat μέχρι τοῦ βωμοῦ καὶ τοῦ νεώ. In Thalmude Babylonico de mensuris templi cap. V. dicitur, inter porticum & hoc altare spatium fuisse XXII. cubitorum. Situm autem altare holocaustorum sub dio fuisse in atrio exteriori, *Glassius* Phil. S. lib. I. Tr. II. p. 155. erudite ostendit ex Ezech. VIII, 16. II. Paral. IV, 1. altaris item usu, & analogia Tabernaculi federis Exod. XL, 29. Idemque testatur *Josephus* in descriptione τρίτου περιβόλου his verbis: ὁ ναὸς ἐν τούτῳ καὶ πρὸ τούτου βωμὸς ἦν, ἐφ' οὗ τὰς θυσίας ὁλοκαυτοῦμεν τῷ θεῷ. Et in descriptione templi Salomonici, istis: τὸ δὲ θυσιαστήριον τὸ χάλκεον ἵστησι πρὸ τοῦ ναοῦ &c. Hecatæus Abderita etiam: Ἐνταῦθα δ' ἐστὶ κατὰ μέσον μάλιστα τῆς πόλεως περίβολος λίθινος, μῆκος ὡς πεντάπλεθρος, εὖρος πηχῶν ἑκατὸν, ἔχον διπλᾶς πύλας· ἐν ᾧ βωμός ἐστι τετράγωνος, nec non Philo de vita Mosis, ubi ait, ὁ μὲν οὖν βωμὸς ἵδρυτο ἐν ὑπαίθρῳ τῶν εἰσόδων τῆς σκηνῆς ἀντικρύ &c. Similiter libr. περὶ θυόντων scribit, quod ἐν ὑπαίθρῳ παρὰ ταῖς τοῦ νεὼ προβάσεσιν ἵδρυται καὶ γέγονε πρὸς χρείαν τὴν τῶν εναίμων, *sub dio situm fuerit prope templi vestibulum, ejusque usus positus in victimarum immolatione sit.* Vid. *Grot.* in l.c.

Matth.

Matth. f. 394. Inter iſtud ergo θυσιαςήϱιον *holocauſtorum altare* (non θυμιατήϱιον ſive *altare incenſi*, quod in Sanctuario poſitum erat) & τὸν ναὸν *templum*, ut Matthæus, ſive ut Lucas habet τὸν οἶκον *adem Domini* ſtricte & proprie ita dictam: Sive ut eſt II. Paral. XXIV. בחצר בית יהוה *in atrio domus Domini* (in quo altare illud erat) interfectus eſt Zacharias, atque adeo *extra templum*, ſi *templi* vocem accipias *ſtricte* pro ea parte, quæ tecto erat operta; ſin *late*, pro toto illo ſpatio ſacro, quod muris erat clauſum, *in templo*. Simile quid apud Chriſtianos & gentiles quoque contigiſſe *Job. Pricæus* annot. in Matth. h. l. f. 154. & Luc. l. c. f. 325. videtur oſtendere velle, & nos infra de eo pluribus. Plura interim, quæ ad hunc locum pertinent, qui cupit, ei *Glaſſius* adeundus l. c. In ipſa explicatione modò traditâ nobis conſentit è SS. Patribus *Hieronymus* comm. in Matth. lib. IV. Tom. IX. Oper. f. 70.

VIII. Rom. XI, 3. commemorantur verba Eliæ ad DEum, conquerentis inter alia de everſione altarium: *Domine*, inquit, *Prophetas tuos occiderunt* καὶ τὰ θυσιαςήϱιά σου κατέσκαψαν *& altaria tua ſuffoderunt*; Sive, ut Hebræa habent 1. Reg. XIX, 10. את—מזבחתיך הרסו *altaria tua deſtruxerunt*. Ubi altaris vox proprie intelligenda, ſive dicamus cum *Job. Quiſtorpio* Annot. in 1. Reg. XIX, 10. pag. 313. loqui hic Eliam de altaribus, quæ in excelſis exſtructa fuerunt, quorum crebra in Regum libris & Chronicis

cis fit mentio, in quibus populus Iſrael verum DEum colens, prohibitus templo Hieroſolymitano, DEO ſacrificabat. Cujusmodi cultum in caſu neceſſitatis à vere piis exhibitum DEum non improbaſſe putabat, quod & ante exſtructum templum in excelſis ei ſacra tantum fuerint facta 1. Reg. III, 2. nec pii extra caſum neceſſitatis excelſa removerint 1. Reg. XV, 14. XXII, 44. 2. Chron. XV, 17. ut adeo juſta fuerit Eliæ querela, de Achabo, altaria odio cultus divini deſtruente: Sive cum aliis interpretemur de altaribus in honorem Dei à Patriarchis olim exſtructis, ſed per idololatriam Baaliticam tum temporis pollutis: quam pollutionem quidem Propheta non probavit, improbavit autem impium Iſraelitarum animum in demolitione illorum manifeſtatum: Sive tandem cum *Mich. Walthero* harm. Bibl. in Rom. XI. pag. 982. ſtatuamus, Pluralem hic Numerum pro Singulari, more Hebræorum eſſe poſitum, ſiquidem unum tantum altare Hieroſolymis eſſe debuit. Ex mente horum omnium altaris vox intelligenda proprie eſt de altari Judæorum, in quo ſacrificia proprie dicta oblata. Ut autem miſſa ſignificatione propria ad Metonymicum confugiamus, & altare hic improprie interpretemur de cultu Levitico in altari peracto, quemadmodum *Junius & Tremellius* not in h. l. volunt, cauſa ſatis gravis ſubeſſe non videtur. Etſi enim ſublatis altaribus cultus quoque ſublatus ſit, in iisdem peragi, ſolitus; tamen ſublatio cultus

non

non ἀμέσως & proxime ſignificatur per everſionem altarium, ſed tantum mediate & conſequenter, ut ita loquar: quippe demolitionem altarium ſecuta vel concomitata eſt ſublatio cultus.

IX. 1. Cor. IX, 13. οἱ τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντες τῷ θυσιαστηρίῳ συμμερίζονται i. e. *altari aſſidentes cum altari partem capere* dicuntur. Ubi altare ſimiliter proprie intelligendum de altari Judæorum eſt, quia οἱ τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντες *altari aſſidentes*, ſacerdotes & Levitæ Judæorum ſunt, ut recte explicant *Chryſoſt.* homil. 22. in 1. Cor. IX. f. 512. *Ambroſ.* in h. l. Tom. V. f. 268. *Theophylact.* in h. l. f. 234. At hi curabant ſacrificia proprie dicta, aſſidebant altari proprie dicto, & cum eo partem de ſacrificiis capiebant (pars enim vorabatur quaſi ab altari) idque ex Lege Levit. II, 3. 10. &c.

X. Jacob. II, 21. *Abraham juſtificatus* eſſe dicitur *offerens Iſaac filium ſuum* ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον *ſuper altare*, המזבח illud nempe altare, cujus in narratione hujus rei mentio fit Gen. XXII, 9. Quidam è Judæorum magiſtris dixerunt, eſſe altare, quo Adam eſſet uſus, ut eſt ap. *R. Aramam* comm. in h. l. ſuper quo etiam Noah ſacrificia ſua obtuliſſet, quemadmodum videre eſt ap. *R. Abarbenel* f. 76. idque vetuſtate collapſum inſtauratum tantum ab Abrahamo eſſe, & hinc dici Abrahamum ædificaſſe המזבח illud altare. Verum etſi forte Adam & Noe illo in loco ſacrificaſſe potuerunt, quod non negat *B. Lu-*

therus Comm. ad h. l. f. 299. b. non tamen altare illud Abrahami id ipsum esse videtur, quo vel primò Adam, vel postea Noah usi sunt. Nec præfixum ה id efficit: cum alias etiam העצים *illa ligna* hic intelligenda essent, quibus iidem illi sacrificia olim sua combusserunt. Emphasin inesse isti ה non negamus; at Emphasin illam id spectare, quod isti volunt, non patimur nobis persuaderi. A Genere ad speciem N. V. C. Et quanquam verbum בנה de operis collapsi instauratione quodam loco usurpetur, ut Ps. CII, 17. non satis tamen causæ videtur esse, cur à communiori illa magisque usitata ac trita significatione hic recedamus, qua בנה de iis rebus dicitur, quæ non ante exstiterunt, sed nunc primum exstruuntur, ædificantur. Atque ita etiam h. l. intellexisse videtur *Philo* lib. de Abraham f. 374. quum ait: ὁ μὲν πατὴρ συνεκόμιζε λίθους, ἵνα δείμαιτο βωμόν. *Ipse Pater lapides congerit, ut altare exstruat.* Ita nimirum, facere S. Patriarcha solitus erat. Suffragatur ipse *R. Arama* l. c. suorum diserte refellens opinionem. Sed quicquid sit, sive fuerit altare Noachi instauratum, sive aliud primum exstructum, proprie dictum tamen fuisse oportet, quia sacrificia proprie dicta in eo peracta.

XI. Cæterum *minus* quoque *proprie* altaris vox in N. T. usurpatur, idque vel *Metonymicè*, vel *Metaphoricè*. Metonymice per Meton. Subjecti pro Adjuncto, *cultum* olim in altari peragi solitum, i. e. Leviticum seu religionem Judaicam significat, ut 1. Cor. X, 18. *Nonne qui edunt hosti-*

hostias, κοινωνοὶ τοῦ θυσιαστηρίου εἰσί; *participes altaris sunt?* i. e. cultus qui exhibetur in altari. Propositum enim hic Apostolo est Corinthios deterrere ab esu idolothytorum, idq; inter alia persuadet hac ratione, quod qui vescantur idolothytis, ipsorum simul sacrorum participes & idololatrarum socios se faciant: quemadmodum de sacris Levitarum cibis edentes, ipsorum simul sacrorũ se participes faciant & profiteantur socios Ecclesiæ Judaicæ, approbentq; cultum in altari DEO exhibitum. Sed de hoc alibi pluribus *Dionysius Carthusianus* Enarr. in h. l. f. 50. b. per altare intelligit ea, quæ in altari offeruntur. Quo ipso Metonymiam quidem hîc in voce altaris non negat aut destruit; verùm id dicit, quod Apostolus non intendit, quod cum verbis etiam minus bene congruit. Cum enim hostiæ & victimæ fuerint ea ipsa, quæ in altari oblata sunt, quid quæso dixisset Apostolus, si hoc voluisset: *Nonne qui edunt hostias, participes sunt eorum, quæ in altari offeruntur*, i. e. *hostiarum?* Sane edere hostias, & participem fieri hostiarum sive eorum, quæ in altari offeruntur, ad sacrificandum nempe, vel eadem sunt, vel parum differunt. Tum nec hoc negabant Corinthii, se nimirum edendo de rebus sacrificatis, participes fieri eorum, quæ in altari oblata erant. Quod si enim negassent, mente vix constare videri potuissent, cum cibi sacrificati sint nihil aliud, nisi ea quæ in altari oblata sunt, edere quoque nihil aliud significet, nisi participare cibos, adeoque vel eadem sint, vel certe alterum alterum necessariò consequa-

tur,ut qui edit de cibis ſacrificatis,particeps quoque fiat eorum, quæ in altari oblata ſunt. Hoc autem videbantur ignorare, quod qui ederet de cibis iſtis & quidem in publico convivio, particeps fieret cultus idololatrici ſeu dæmonibus præſtiti. Quam opinionem ut ex animis eorum radicitus evelleret Apoſtolus, iisque perſuaderet, dæmoniorum participem fieri, quisquis de idolothytis iſto modo ederet, tria potisſimum attulit argumenta, quibus id planum faceret. Primum eſt ab exemplo conſecrati Calicis & panis, cujus qui particeps fit, particeps ſimul fit rerum ſignatarum, i.e. corporis & ſanguinis Chriſti & ſocius religionis Chriſtianæ comm. 16, 17. Alterum ab exemplo ſacrificiorum Leviticorum, de quibus qui edunt, participes quoque fiunt cultus Levitici comm. 18. ut ſupra dictum. Tertium à definitione idolothytorum, quæ cum dæmonibus immolata ſint comm. 20. ideo etiam eum faciunt participem dæmoniorum, qui illa edit. Ex quibus jam ſatis intelligi licet, quæ fuerit initio Corinthiorum perſuaſio, quæ poſtea Apoſtoli intentio, quæque proinde vera ſit vocis altaris, citato commate, interpretatio.

XII. Simili metonymia uſurpatur Hebr. VII, 13. *In quem enim dicuntur hæc, de alia tribu fuit, de quâ nullus* προσέσχηκε τῷ θυσιαστηρίῳ *attendit altari.* Ubi altaris voce *Sacerdotium* ſignificatur per Metonymiam Subjecti occupantis ſeu Objecti pro Adjuncto occupato, ſeu eo,

quod

quod versatur circa objectum illud: cujus generis exempla permulta *Glassius* collegit Rhet. S. Tr. I. cap. III. pag. 1076. 1077. hoc tamen prætermisso. Id enim agit Apostolus, ut ostendat, sacerdotium Leviticum fuisse imperfectum. Ostendit autem dum alium ait promissum & exhibitum sacerdotem extra ordinem Leviticum. Quod si enim ordo Leviticus fuisset perfectus, perfecti sacerdotii Pontifex non fuisset promittendus extra hunc ordinem. Sed est promissus & exhibitus extra hunc ordinem. Ergo Leviticus ordo non fuit perfectus. Major habetur comm. 11. ejus probatio comm. 12. & parenthesi præcedentis. Minoris confirmatio traditur comm. 13. eoque ostenditur, Christum esse promissum & exhibitum extra illum ordinem Leviticum; nempe quia fuit de tribu Juda, de qua nullus *altari attendit* i. e. sacerdotio functus est. Ita nimirum altaris vocem intelligere, Apostolica probandi ratio nos jubet. Ita etiam explicatur ab ipso Apostolo comm. 14. ubi quod ante dixerat: φυλῆς ἑτέρας μετέσχηκε, ἀφ᾽ ἧς ὐδεὶς προσέσχηκε τῷ θυσιαστηρίῳ, *alterius tribus particeps fuit, de qua nullus attendit altari*; illud nunc ita exprimit: ἐξ ἰύδα ἀνατέταλκεν ὁ κύριος ἡμῶν, εἰς ἣν φυλὴν ὐδὲν περὶ ἱερωσύνης Μωυσῆς ἐλάλησε, *Ex Juda ortus est Dominus noster, in quam tribum nihil de sacerdotio Moses est locutus.* Similiter hunc locum interpretati è veteribus *Theophylactus*, cujus verba hæc sunt: ὐδεὶς προσέσχηκε, τυτέστι, προσέστη τῷ θυσιαστηρίῳ καὶ ἐπεμελήθη τῶν ἱερατικῶν ἔργων.

 Nemo

Nemo præsto fuit, *i. e. adstitit altari curamque gessit sacerdotalium operum*. Et *Dionysius Carthusianus*, qui per altare intelligit *ministerium altaris*, quod sane ipsum est sacerdotium.

XIII. Sed & τȣ̃ illud, in quo altare cœleste, μετωνυμικῶς dictum θυσιαστήριον est Apoc. XI,1. ubi Johannes *metiri* jubetur *templum & altare*, *& adorantes in illo*, non item atrium exterius. Distinguitur ergo θυσιαστήριον à templo DEI, & opponitur τῇ αὐλῇ τῇ ἔξωθεν τȣ̃ ναȣ̃ seu *exteriori templi atrio*, nonnulli etiam ἐν αὐτῷ προσκυνεῖν *adorare in ea* dicuntur. Ex quibus non difficile est colligere, ad atrium interius referendum, non ad ipsum altare, in quo adorantes non erant. Quid autem hic significetur mystici, de eo nondum convenit inter interpretes. Optimum videtur, voce templi, *Ecclesiam*; altaris, *doctrinam veram* intelligere. Hæc enim mensuræ capax est, veluti Ecclesia, mensuranda videlicet calamo, id est, judicanda ex verbo tanquam certissimo canone & calamo mensorio Gal. VI,16. Esa. VIII,20. Et quemadmodum olim in atrio interiori erat altare thymiamatum Levit. IV,7,18. XVI,18. 1. Reg. IX, 25. erat candelabrum aureum Exod. XL,24. erat mensa & super ea panis propositionis Hebr. IX, 2. Ita & in doctrinâ orthodoxa est altare Christus Hebr. XIII,10. Apoc. VIII, 3. est candelabrum aureum fidei lucens per bona opera Matth. V,16. est mensa Eucharistiæ 1 Cor. X,21. & super eâ panis vitæ 1 Cor. X,16. Joh. VI,35.48

Et

Et in hâc DEum adorant veri Christiani, & quicquid cum canone hujus altaris non congruit, id omne cum atrio exteriori rejiciunt nec habent pro altari, veluti & adorationem, quæ non est secundum canonem adorationis ad altare DEI, tanquam non adorationem ad altare DEI æstimant. Nimirum hoc est illud judicium, quod in Ecclesiâ fit & fieri debet: quod non est secundum canonem, non admittere, Rom. XVI, 17. *Pareus* hic *Christum* putat iterum intelligi p. 453. Verum Christus non mensurandus ab hominibus est. Metiri quidem idem esse vult quod instaurare, reparare, at hoc de Christo commode dici non potest; potest autem de doctrina. Nisi forte Christum tanquam κηρυσσόμενον hic considerare malit, qui certa ratione mensurari potest norma verbi divini: an videlicet Christus κηρυσσόμενος s. prædicatus idem sit, qui revelatus in S. Scriptura. *Dionysius Carthusianus* cum prius dixisset, altare hic esse *perfectos & contemplativos*, quorum auxilio aliorum sacrificia innitantur, ut sensus sit, singulorum capacitatem, perfectionem, mensuram considerandam, ut unicuique secundum suam capacitatem & modum verbum DEI proponatur; Deinde subjicit, posse quoque de *altari materiali* atque inanimato accipi, hoc sensu, altaria & templa per totum mundum esse construenda. Verum *prior* explicatio cùm intentioni S. Johannis minus congruit, utpote qui hîc tradit compendium quasi totius Væ tertii, & descri-

bit, quis ſtatus Eccleſiæ futurus ſit itemque teſtium Chriſti, regnante Anti-Chriſto; tùm adeò obſcura eſt, ut alia explicatione indigeat, quo pateat, quales ſint illi perfecti & contemplativi, quod & quale auxilium, quæ & qualia ſacrificia, quæ iſto auxilio inniti debeant. A lapſu certe primorum parentum non ſunt perfecti inventi in Eccleſia Eccleſ. VII, 21. 1. Reg. VIII, 4. Phil. III, 12. & ſi qui perfecti ex gratia dicuntur, illi non ſunt contemplativi, ſed Practici Jacob. I, 22. quorum auxilio Chriſtianorum ſacrificia niti non debent, ſed ſolo DEO Pſal. CXVIII, 8. Chriſtique merito Joh. XVI, 23. XIV, 13, 14. *Poſteriorem* non admittit ratio Spiritus S. qui vult in hac prophetia typo & cultu veteris Eccleſiæ adumbrare ſtatum & cultum novæ Eccleſiæ: non quod tales typi in ea eſſe debeant, ſed quod res typis illis figuratæ novæ Eccleſiæ conveniant. Et certe ſi templum & altare de ædificiis proprie intelligenda, ad eundem etiam modum atrium & civitas ſancta comm. 2. intelligenda eſſent. Quod tamen abſurdum & ab ipſo *Dionyſio* improbatur, qui per atrium peccatores non pœnitentes, per civitatem vero ſanctam, Eccleſiam DEi intelligit. Quale hic ergo atrium, qualis civitas, tale & templum & altare: at illa ſunt metaphorica & myſtica. Talia igitur & hæc erunt. Accedit *menſuræ* ratio, quæ proprie dicta eſſe debet, ſi altaria & templa manu facta intelliguntur. At Johannes metiri jubetur cum templo & altari etiam τοὺς προσκυνοῦντας ἐν αὐτῷ *adorantes*

in

in illo, qui certe proprie dimetiendi non ſunt. Improprie igitur intelligenda omnia, cum menſura, tum menſuræ objectum, templum & altare, &, quod excluditur, atrium exterius.

XIV. Non aliâ Metonymiâ, aliâ tamen ſignificatione poni videtur altaris vox Apoc. XIV, 18. Ut enim commate 17. ἐκ τοῦ ναοῦ *ex ſanctuario* exierat unus angelus: ita nunc ἐκ τοῦ θυσιαστηρίου alius comm. 18. quod de altari proprie dicto dici nequit. Dici autem commode poteſt de *atrio interiori*, & hîc quidem de *myſtico*, de *cæleſti*, in quo θυμιατήριον Chriſtus Apoc. VIII, 3. Hujus ἐξουσία ſ. poteſtas atrii locum videtur obtinere: inde enim mittuntur angeli: inde habuit miſſus ille angelus ἐξουσίαν ἐπὶ τοῦ πυρὸς *poteſtatem in ignem*: inde poteſtatem accepit *loquendi & deprædicandi juſta DEI judicia* Apoc. XVI, 7.

XV. Denique *Metaphoricè* quoque vox illa uſurpari ſolet de *Chriſto*, ut Hebr. XIII, 10. ἔχομεν θυσιαστήριον &c. quo de loco viſum eſt alibi agere commodius, ubi argumenta Bellarmini confutavi, quibus idem efficere conatur, altare propriè dictum Chriſtianis eſſe. (vid. Diſp. meam inaug. de calice & menſa Domini ac Dæmoniorum, Gieſſæ habitam A. 1678.)

XVI. Ad eundem modum uſurpatur quoque in Apocalypſi Johannis non uno in loco. Cap. VI, 9. vidiſſe ſe ſcribit S. Johannes ὑποκάτω τοῦ θυσιαστηρίου *ſub altari animas hominum interfectorum propter verbum DEI & propter teſtimoni-*

um agni, quod habebant. Ubi altare alii aliud intelligunt. *Franciſcus Ribera*, Comm. in h. l. pag. 213. intelligit *locum* in cœlō deſignatum *martyrum animabus*, ut in eo quieſcant, qui ideo altare appelletur, quod in terrâ martyrum corpora ſub altari requieſcant. Atque ita etiam intellexiſſe putat *Auguſtinum* ſerm. XI. de Sanctis, & *Hieronymum* in Eſaiæ VI, 6. Verum iſta conſuetudo reliquias ſanctorum ſub aris recondendi, multis poſt ſeculis demum in Eccleſiam invecta fuit, non ab Apoſtolis introducta. Quare non potuit eò reſpexiſſe Johannes, cum id prorſus ignorarit, improbaſſet etiam ſine dubio, ſi futurum ſciviſſet, eo quidem fine & modo, quo poſtea legimus factitatum. De *Auguſtini* citato loco quid judicandum ſit, dicemus infra. *Hieronymus* vero non magis ad ſepulchra martyrum reſpexiſſe exiſtimandus eſt, quàm ipſe Johannes, cujus præter verba nihil aliud dicit: *Quod autem altare*, inquit, *ſub quo animæ martyrum ſunt videatur in cœlo, & Johannes in Apocalypſi loquitur*, Tom. V. f. 30. Dionyſius Carthuſianus Enarr. in h. l. f. 132. b. altare interpretatur *ſecretarium laudis æternæ, quod eſt ſublime altare triumfantis Eccleſiæ.* Melius omnino quàm *Ribera*. Auctor explic. Apocalypſ. quæ *Auguſtino* adſcribitur, homil. VI. Tom. IX. f. 667. per aram DEI *Eccleſiam* intelligit, ſub cujus oculis martyres effecti ſint. Verum hic non conſiderantur martyres, quatenus in conſpectu Eccleſiæ ſunt; ſed quatenus poſt mortem eorum ani-

animæ clamant. Clamant autem non in conspectu Ecclesiæ militantis, sed triumfantis, nec sub triumfante sunt, sed in ea. Ipsa triumfans sub altari cœlesti, id est, Christi præsidio est. Ita & Martyrum animæ. E nostris B. *Hoë* Tom II. in Apoc. f. 422. significari altaris voce putat *Thronum Dei* s. sedem æternæ beatitudinis, quæ in forma altaris splendidissimi oculis Apostoli objecta fuerit. At cap. VIII, 3. altare diserte à throno DEi distinguitur. *Johannes Cluverus* comm. in h. l. Tom. II f. 248. refert ad *beneplacitum DEI* erga nos in Christo propitiatore. *Joh. Gerhardus* Not. ad h. l. pag. 46. explicat de ipso *Christo*, qui in ara crucis sese obtulit in odorem suavitatis Eph. V, 2. quem habemus altare Hebr. XIII, 10. in quo spirituales nostras hostias offerimus 1. Petr. II, 5. in cujus etiam manu & præsidio sunt animæ pie defunctorum, præsertim Martyrum Sap. III, 1. Act. VII, 59. 1. Petr. IV, 19. Subscribunt huic interpretationi è Nostris *Gerh. Graven* expl. Apoc. pag. 67. *Daniel Cramerus* Apoc. p. 26. è Reformatis *Junius & Tremellius* in h. l. pag. 438. *David Pareus* comm. in h. l. pag. 255. *Petr. Ravanell.* Bibl. S. voc. Altar. num. 1. f. 78. *Jacob* Brandmüllerus Anal. typ. Apoc. p. 333. Atque ita etiam ante illos explicari illud altare posse existimavit Dionys. Carthusianus. *Vel*, inquit, *subtus altare, i. e. sub Christi custodia & quiete. Christus enim uno modo altare vocatur, in quo & super quod cuncta, quæ immolamus, offerre debemus.* Eodem modo de Christo istam vocem accepisse

Hay-

Haymonem & Anselmum, *Ribera* l.c. pag 212. tradit. Forte non multum aberrat *Bernhardus*, qui corpus Christi hic intelligit serm. IV. in Festo omnium SS. f. 58. Nos nihil obstare videmus, quo minus commodissime hic cum istis *Christum* asseramus per altare intelligi. Altare certe Hebræorum refugium erat supplicum & asylum, ubi isti tuti erant, nec sine piaculo inde avelli poterant. Divina lex jubet, ut ab altari avellatur voluntarius homicida Exod. XXI, 14. Invitus ergo qui hominem occiderat, relinquendus erat: alias non voluntarium præcipue, sed omnem omnino homicidam avelli, DEUS jussisset. Perspectum id exploratumque Adoniæ erat, ideoque à Salomone sibi metuens ad altare confugiebat. *Grotius* ex gentium more eo confugisse putat, non ex legis instituto, comm. in h. l. f. 266. vid. de J. B. & P. lib. II. cap. 21. §. 5. Quicquid sit, si nullum in altari præsidium posuisset, eo non confugisset. Nec Joab id fecisset 1. Reg II, 2, 28. Nec Benajas timuisset primò eum isto in loco occidere, comm. 30. quanquam postea jussu Salomonis, & volente ita Joabo, id fecerit comm. 31. 34. Rectè ne, an injuria, nunc equidem disquirere nolo. Vid. *Georg. Mœbius* Asylol. disp. I. §. 16. p. 18. qui pluribus hanc controversiam persecutus est, & eo tandem devenit, ut diceret, vel extraordinarium aliquem motum Spiritus hic agnoscendum esse, vel aliquam præcipitationem & incogitantiam. Prius tamen ei videtur magis verisimile.

Cum

Cum igitur altare olim in populo Iſraelitico ſecuritatem iis attulerit, qui eo confugerant; ideo perquam oppoſite h. l. animæ Martyrum quieſcere dicuntur ſub altari, Chriſto: ad hunc enim confugerant, cum adhuc eſſent corporibus alligatæ: ad eundem ſe recipiunt corporibus ſolutæ: atque is idem tutum iis præſtat perfugium, & ſecuram affert quietem. Hinc pii animas ſuas commendare ſolent DEO fideli conditori 1. Petr. IV, 19. Act. VII, 59. non ignorantes, quod animæ piorum ſint in manu DEI Sap. III, 1.

XVII. Cap. VIII, 3. alius *angelus* dicitur *ſtetiſſe* ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου *ad altare, habens thuribulum aureum*, *data* quoque ei θυμιάματα *multa, ut daret orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod ante thronum DEi*, & comm. 4. *Angelus thuribulum impleviſſe* dicitur *de igne altaris &c.* Hîc altaris vocem iterum non intelligunt omnes interpretes uno eodemque modo. *Dionyſ. Carthuſianus* in h. l. f. 135. putat intelligi poſſe vel de *Eccleſia*, vel de *ara crucis*, vel de *menſa Domini*, vel de *Converſationis Chriſti merito*, vel de *corpore Chriſti* ejusque paſſione. *Joh. Coccejus* cogit. de Apocal. l. c. p. 92. *dignitatem Deitatis* intelligit. *Cluverus* l. c. p. 293. de *beneplacito* divino interpretatur. *Fr. Ribera* in h. l. p. 253. in altari aureo ipſum *Chriſtum* ſignificatum eſſe putat, quæ interpretatio etiam placet *Davidi Pareo* Comm. in h. l. p. 330. Noſter quoque *Gerh.* not. in h. l. p. 57. Chriſtum hic ſignificari

cari putat, tanquam unicum N. T. sacerdotem, sacerdotale suum officium etiam in cœlo facientem Hebr. VII, 22. 27. quæ sententia omnium videtur optima, ita ut per *altare* ipse *Christus tanquam sacerdos*, sive *intercessio ejus sacerdotalis* intelligatur μεταφορικῶς. Altare enim requirit sacerdotem, & intercessio illa cœlestis sacerdotem requirit, qui est unus & solus Jesus Christus Hebr. VII, 24. 25. 26. Altare sacrificium postulat, & intercessio illa cœlestis sacrificium crucis postulat, quo tanquam fundamento innitatur; postulat eadem sacrificia precum Deo offerenda Hebr. V, 7. Apoc. V, 8. VIII, 3. Altare ad DEum respicit, & intercessio illa sacerdotalis fit ante thronum DEI Apoc. VIII, 3. Cum altari conjunctus ignis sacrificalis est incendens sacrificia, & cum intercessione Christi sacerdotali conjunctus ignis Spiritus S. est, incendens sacrificia precum, ut adscendant ad DEum Joh. IV, 24.

XVIII. Eadem ejusdem vocis significatio est cap. IX, 13. ubi Johannes audivisse se scribit *vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod coram DEO est.* Christum significari iterum, sed quatenus *cruentatus* est non tantum sanguine suo, sed forte etiam Martyrum, *Coccejus* putat. Non sine ratione. Hîc enim initium judiciorum DEI est. Cornua autem altaris adspergi fuisse solita sanguine victimarum, patet ex Levit. IV, 7. 18. XVI, 18. Consentiunt plerique supra nominati, quantum ad Christum attinet,

præ-

præter *Dionysium Carthusianum*, & *Auctorem* Explic. Apoc. inter Opera Augustini homil. VII. f. 672. qui *Ecclesiam* malunt intelligi. Cum quibus etiam facere hic videtur *Cluverus*. Sed quatuor illa cornua alius aliter explicat. *Gerhardus* noster l. c. p. 69. quatuor Evangelistas iis significari existimat, quorum vox in toto orbe sonuit, *Cluverus* quatuor mundi cardines, ex quibus omnibus preces ad DEUM fundi & vicissim responsa ejus exspectari debent. *Pareus* medium altaris aurei. Quicquid sit, hoc negari non potest, altaris vocem hic intelligendam metaphorice esse, sive Christum, sive Ecclesiam significet, quod nobis in præsenti sufficit.

XIX. Hactenus *Biblicas* vocis altaris significationes vidimus. Nunc *Ecclesiasticas* considerare juvat. Hîc autem S. Patres premere vestigia scriptorum θεοπνεύστων videmus. Nam perinde ut illi altaris vocem intelligunt vel *propriè* vel *impropriè*. *Propriè* vel de *altaribus Judæorum*, vel de *aris gentilium*, vel de *cruce Christi* usurpant. De illo & isto afferre testimonia, nihil attinet, quando nemo negat, nec ulla inde redundat utilitas. Hoc autem firmare testimoniis non abre est. *Origenes* Tom. I. Oper. homil. VII. super Levit. f. 70. F. *Ubi verò tempus advenit crucis suæ, & accessurus erat ad ALTARE, ubi immolaret hostiam carnis suæ: accipiens, inquit, calicem, benedixit, & dedit discipulis suis dicens: Accipite & bibite ex hoc. Vos, inquit, bibite, quia modo accessuri non estis*

ad

ad altare dicit de se: Amen dico vobis, quod non bibam de generatione vitis hujus, usq; quò bibam illud vobiscum novum in regno patris mei. Ambrosius lib. I. ep. II. Tom. III. Oper. f. 63. *Annon tibi videtur effudisse sanguinem suum, de cujus latere supra ipsum passionis ALTARE aqua cucurrit & sanguis?* & serm. III. in Psalm. 118. Tom. IV. Op. f. 614. *Mirabile illud ALTARE, in quo unius agni sacrificium tulit peccata mundi.* Auctor sermonis 130. de Tempore, qui Augustino tribuitur Tom. X. Oper. f. 881. *Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. Et ubi immolatus est? dicitur in altitudine crucis. Novum est ALTARE sacrificii hujus, quoniam & immolatio nova & admirabilis.* &c. & postea: *Vidisti, quomodo simul & hostia & sacerdos factus est, & ALTARE erat crux.* Venantius Fortunatus hymn. de Pass. Christi p. 695. *Salve ARA, salve victima, de passionis gloriâ.* Crucem Christi autem fuisse altare propriè ita dictum, si non adstricta, tamen laxâ vocis significatione inde patet, quod fuerit ejusmodi structura, in quâ sacerdos propriè dictus, Jesus Christus, sacrificium propriè dictum, seipsum nempe, DEO Patri obtulit. Formam externam non fuisse eandem, quæ cæterorum altarium esse solet, id ne mireris. Sacrificium singulare erat, sacerdos singularis. quidni & altare singulare? Nec altarium propriè dictorum forma externa eadem apud gentes fuit. Græcorum sanè aras alias rotundas, alias quadratas, oblongas alias, alias denique pluribus distinctas fuisse angulis, apud veteres legi

legi & in Antiquitatibus meis Græcis annotavi. Nec tamen desierunt esse aræ propriè dictæ. Quare nec Crux Christi propter formam crucis desinet esse altare, nec sacrificium proprium à sacerdote propriè dicto in ea peractum sinet, non esse altare. Consentit Thomas, qui in Hebr XIII. ita scribit: *Crucem Christi rectè propriéq; vocari altare, nulla dubitatio est.* Idem sentiunt è nostris *Dorscheus* Myst. Miss. cap. 8. *Danhawer.* Hodom. Calvin. Phant. 6. & *Bebelius* Diss. de Aris, & Mensis §. 2. qui & Reformatos quosdam hujus sententiæ laudat testes.

XX. Sequuntur altaria *minùs propriè* ita appellata. Sunt autem varia. Nos melioris distinctionis gratiâ alia *superna*, alia *interna*, alia *externa* appellabimus. *Supernum* vel *generatim* Patres describunt, dicentes, esse in cœlis aliquod altare; vel *speciatim* explicantes, quodnam & quale sit istud. *Generatim* de altari superno loquitur *Irenæus* adv. Hæreses lib. IV. cap. 34. f. 363. *Sic & ideo nos quoq; offerre vult munus ad altare frequenter sine intermissione. Est ergo altare in cœlis. Illuc enim preces nostræ & oblationes nostræ diriguntur: & ad templum, quemadmodum Johannes in Apocalypsi ait: Et apertum est templum DEI & tabernaculum.* Fevardentius quidem annot. ad citat. libr. cap. 20. f. 337. altare, propriè dictum hîc contendit intelligi oportere. Sed nihil agit, quemadmodum alio loco demonstrabitur. Ita etiam *Origenes* homil. I. in Esaiam Tom. II. oper. f. 101. C. *Deferatur ergo mihi de altario cœlesti forfex, ut tan-*

 gat

gat labia mea. Forfex Domini si tetigerit labia mea mundat ea, & circumciderit à vitiis, aperiam verbo DEI os meum. & homil. IX. super Levit. Tom. I. op. f. 79. C. *Necessarium fuit, dominum ac Salvatorem meum non solùm inter homines hominem nasci, sed etiam ad inferna descendere, ut sortem apopompæi tanquam homo paratus in eremum inferni deduceret, atque inde regressus, opere consummato adscenderet ad patrem, ibique plenius apud altare illud cœleste purificaretur, ut carnis nostræ pignus, quod secum evexerat, perpetua puritate donaret.* & homil. I. in Levit. f. 54. F. *Sed & hoc fortasse non sine causa sit, quod cùm superius dixisset, applicabit eum ad ostium tabernaculi testimonii, in posterioribus repetit, & iterum dicit: ad altare, quod est ad ostiū tabernaculi testimonii, quasi non eundem locum sub eadem ratione semel designasse suffecerit. Nisi quia fortè hoc intelligi voluit, quod sanguis JEsu non solum in* Hierusalem *effusus est: ubi erat altare, & basis ejus, & tabernaculū testimonii; sed & quod supernum illud altare, quod est in cœlis, ubi & Ecclesia primitivorum est, idem ipse sanguis adspersus erit. Sicut & Apostolus dicit: quia pacificavit per sanguinem crucis suæ, sive quæ in terrâ sunt, sive quæ in cœlis. Rectè ergò secundo nominat altare, quod est ad ostium tabernaculi testimonii, quia non solùm pro terrestribus, sed etiam pro cœlestibus oblatus est hostia Jesus: & hîc quidem pro hominibus ipsam corporalem materiam sanguinis sui fudit: in cœlestibus vero ministrantibus, si qui illi inibi sunt, sacerdotibus, vitalem corporis sui virtutem, velut spirituale quoddam sacrificium immolavit.* Notant hunc locum Centuriarum Magdeburgensium conditores Cent.

III.

III. cap. IV. p. 51. & ad ea referunt, in quibus periculosis & absurdis opinionibus lusit *Origenes*. Nec errant, si per *cœlites*, pro quibus *Origenes* Christum dicit oblatum hostiam esse, *Angeli* intelliguntur. Quemadmodum enim Christus non angelos, sed, semen Abrahæ assumsit Hebr. II, 16. Ita etiam non pro angelis, sed pro semine Abrahæ, solisque adeo hominibus est mortuus. Sin per cœlites *beatos homines* intellexisset, tolerari quidem posset ista locutio: cum omnes, qui in V. T. ante mortem Christi pie exspiraverant, cœlo asserti fuerint per virtutem sacrificii Christi in externis sacrificiis adumbrati, adeoque licet actus certo tempore contigerit, vis tamen ejus & efficacia jam per omnia se exseruit retro secula. Verum cum homil. II. in Levit. ita se explicuerit, ut Christum dixerit, *in cœlis non pro peccato, sed pro munere oblatum esse; in terris autem, ubi ab Adamo usque ad Mosen regnarit peccatum, oblatum esse pro peccato*, ideo merito nos id genus dictiones tanquam ab ὑποτυπώσει ὑγιαινόντων λόγων 2. Tim. I, 13. abhorrentes suo relinquimus auctori, & ab iis abstinemus. Cæterum ad ejusmodi quid statuendum induxisse eum videtur male intellectus locus Apostoli Coloss. I, 20. quem etiam bis citavit. At non habet hanc sententiam, quam verba *Origenis* præ se ferunt. Sed conciliasse ibi dicitur Servator noster τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, *ea quæ sunt in terris*, nempe homines natura à DEO aversos, & τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *ea quæ sunt in cœlis*, puta

DEUM & angelos, homini iratos ob defectionem, ut adeo pacificatio per ſanguinem ejus facta ſit 1. inter DEUM & hominem, 2. inter angelos & homines reſpectu ſui, 3. inter angelos & homines reſpectu Chriſti, quem acceperunt commune caput, 4. inter Eccleſiam militantem & triumfantem, ut bene obſervat noſter *Balduinus* comm. ad h. l. f. 1051. conf. Eph. I, 10. II, 16. Similiter interpretatus locum iſtum S. *Hieronymus* eſt Comm. in Epiſt. ad Coloſſ. cap. I. Tom. IX. Oper. f. 369. ubi: *Terrena*, inquit, *cœleſtibus* (conciliavit), *quæ ab eis per contrarietatem vitæ fuerant ſeparata. Unde orare docemur, ut voluntas DEI quemadmodum celebratur in cœlis, ita fiat & in terris.* Similiter *Chryſoſtomus* homil. III. in Coloſſ. I. f. 1337. *Quid eſt autem illud, Quæ in cœlis? Nam quæ in terra quidem ſunt, merito! Repleta enim erant inimicitiis & diviſa erant in multa, & unus quisque noſtrum ſecum diſſidebat & cum multis. Quæ autem ſunt in cœlis, quomodo pacificavit? Illic quoque erat bellum & pugna. Et quomodo oramus dicentes: Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra? Quid ergo eſt? Abſciſſa erat terra à cœlo, bellum gerebant angeli adverſus homines, videntes ſuum Dominum probro & contumelia affectum. Dicit, omnia inſtaurari in Chriſto quæ ſunt in cœlis & quæ ſunt in terra. Quomodo ea, quæ ſunt in cœlis? Illuc commigrare fecit hominem: inimicum, qui odio habebatur illis reddidit.* Nec aliter *Theophylactus* Comm. in h. l. qui ut ſententiam, ita & verba fere Chryſoſtomi retinuit. *Dionyſ. Carthuſ.* quoque Comm.

in h. l. f. 100. viatores & comprehenſores, vel angelos & homines per ſanguinem Chriſti hic dici conciliatos ſcribit. Plures non addam. Addam autem, quæ alii Patres de altari cœleſti generatim tradunt. *Gregor. Nazianzenus* Apologet. ſ. Orat. I. f. 31. *Quis eſt, qui veritatis propugnatorem unius dieculæ ſpatio, velut è luto ſtatuam fingit: illum, inquam, qui cum angelis ſtabit, cum Archangelis glorificabit*, καὶ ἐπὶ τὸ ἄνω θυσιαστήριον ἀναπέμψαντα τὰς θυσίας, *& qui ad ſupernum altare ſacrificia transmittet*? Et Orat. XLII. quæ eſt II. in Paſcha f. 692. *Mactemus non vitulos novellos, nec agnos cornua producentes & ungulas, quæ magna ex parte mortua ſunt ac ſenſu carent*: ἀλλὰ θύσωμεν τῷ θεῷ θυσίαν αἰνέσεως ἐπὶ τὸ ἄνω θυσιαστήριον μετὰ τῶν ἄνω χοροστασίας, *verum DEO in ſuperno altari cum cœleſtibus choris ſacrificium laudis immolemus*. Ambroſius lib. II. de Jacob & vita beata cap. XI. Tom. IV. Oper. f. 306. *Quis dubitet de ejus beatitudine, quæ ſeptem turribus circumdata, in Paradiſi ſedem caput extulit: quæ ſeptem filiis cincta, ſacratiſſimum DEO chorum, non ſolum canorum vocibus, ſed etiam paſſionibus ad concinendas Domini laudes cœleſtibus invexit altaribus*. Et Enarr. in Pſal. 36. Tom. IV. f. 486. *Cum autem ſibi ſubjecerit* (Chriſtus) *omnia, cum intraverit plenitudo gentium, cum ſalvus factus fuerit omnis Iſrael, & toto orbe unum fuerit corpus in Chriſto: tunc erit & ipſe ſubjectus, munus ſuum DEO Patri offerens, & quaſi princeps omnium ſacerdotum, ut cœleſtibus compos altaribus, ut ſit ſacrificium fides omnium*. Gregor.

 Nyſſe-

Nyssenus de S. Christi Nativitate f. 68. *Prophetarum & Apostolorum tubæ venerunt, quas lex idcirco corneas appellat, quod ex vero unicorni confectæ sint, quæ per virtutem Spiritus vehementem & concitatum veritatis sermonem cecinerunt, ut auribus à peccato obrutorum & quasi obturatorum apertis unus fiat concors dies festus per constipationē & ornationem scenopegiæ inferna creaturâ cum excellentibus & præeminentibus circa supernum altare virtutibus consonante.* &c. August. Enarr. in Psl. 25. T. VIII. Oper. f. 126. *Est & altare coram oculis DEI, quò ingressus est sacerdos, qui pro nobis se primus obtulit. Est cœleste altare, & non amplectitur illud altare, nisi qui lavat manus in innocentibus. Nam multi altare hoc tangunt indigni, & tolerat DEus pati injuriam ad tempus sacramenta sua.* & homil. L. homil. 50. T. X. Oper. f. 557. *Ad illud altare, quò præcursor pro nobis introivit Jesus, quo caput Ecclesiæ præcessit, membris cæteris secuturis, nullus eorum* (sceleratorum) *accedere poterit, de quibus ut jam commemoravi, dixit Apostolus: Quoniam qui talia agunt, regnum DEI non possidebunt. Solus enim sacerdos, sed planè ibi totus assistit, adjuncto scil. corpore cui caput est, quod jam ascendit in cœlum.*

XXI. *Speciatim* verò *altare cœleste* vel de *sublimitate Divinitatis*, vel de *Christo* exponitur. Utrumque in *Beda* legas. Illud comm. in Psalm. 42. Tom. VIII. Op. f. 655. *Hic* (scil. in verbis, Introibo ad altare) *per altare intelligitur sublimitas illa divinitatis, ad quam tunc perveniemus, cum DEum sicut est videbimus. Ad quod altare Christus Pontifex noster solus jam introivit corporaliter, sacerdos factus, & assiduè interpellans pro nobis, ut & nos introe-*

troeamus. Dicitur autem illa ſublimitas ideo altare, quia quisquis illuc ingreditur, in holocauſtum aſſumitur: & ibi vitam invenit, ſi hic cauſam diſcrevit. Et quod ſit hoc altare, determinat, q.d. Introibo ad altare, ſc. ad DEum, i.e. ad præſentiam DEI &c. Hoc autem lib. I. in Ezram T. IV. Op. f. 482. *Altare Dominus recte vocatur, quia nos ab iniquitatibus noſtris emundat, quia vota orationum noſtrarum ſuſcipiens patri commendat.* Auguſtino etiam, Chriſtum altaris voce appellari poſſe, viſum eſt Evangel. Quæſt lib. I. qu. 31. Tom. IV. f. 333. *Quod Dominus dixit, quid enim majus eſt, aurum an templum per quod ſanctificatur aurum? & item dixit: Quid enim majus eſt, donum an altare, quod ſanctificat donum? intelligendum, templum & altare ipſum Chriſtum: aurum & donum laudes & ſacrificia precum, quæ in eo per eum offerimus.* Accedit *Paſchaſius Ratbertus*, qui lib. de Sacram. cap. VIII. p. 42. altare cœleſte put.t eſſe Chriſti corpus. *Putasne*, inquit, *aliud eſſe altare, ubi Chriſtus pontifex aſſiſtit, quàm corpus ſuum, per quod & in quo Deo Patri vota fidelium & fides credentium offertur? Quod ſi veraciter corpus Chriſti Altare illud cœleſte creditur, jam non aliunde carnem & ſanguinem, quam de ipſo Chriſti corpore ſumere putabis.*

XXII *Supernum* excipiunt *inferiora* ſeu *inferna*, vel *interna*, vel *externa*. Interiora hæc ſunt: (1) FIDES. *Auguſtin.* Tom. IV. Oper. f. 1112. de ſerm. Dom. in monte lib. I. *Altare ſpiritualiter in inferiore DEI templo ipſam Fidem accipere poſſumus, cujus ſignum eſt altare viſibile. Quodlibet enim munus offerimus DEO, ſive Prophetiam, ſive*

 doctri-

doctrinam, sive orationem, sive hymnum, sive Psalmum, & si quid tale aliud spiritualium donorum animo occurrerit, acceptum esse non potest DEO, nisi fidei sinceritate fulciatur, & ei fixæ atq; immobili atq; firmæ imponatur, ut possit integrum atq; illibatum esse quod loquimur. Nam multi hæretici non habentes altare, i.e. veram fidem, blasphemias pro laude dixerunt &c. Forte huc etiam pertinet illud *Nazianzeni* Orat. XXVIII. f. 484. θυσιαστηρίων εἴρξουσιν; ἀλλ' οἶδα καὶ ἄλλο θυσιαστήριον, οὗ τύποι τὰ νῦν ὁρώμενα, ἐφ' ὃ λαξευτήριον οὐκ ἀναβέβηκεν, οὐδὲ χεὶρ, οὐδὲ ἠκούσθη σίδηρος, ἤτι τῶν τεχνιτῶν καὶ ποικίλων, ἀλλ' ὅλον τοῦ νοῦ τὸ ἔργον, καὶ διὰ θεωρίας ἡ ἀνάβασις. τούτῳ παραστήσομαι, τούτῳ θύσω δεκτὰ, θυσίαν καὶ προσφορὰν καὶ ὁλοκαυτώματα, κρείττονα τῶν νῦν προσαγομένων, ὅσῳ κρεῖττον σκιᾶς ἀλήθεια. περὶ οὗ μοι δοκεῖ καὶ Δαβὶδ, ὁ μέγας φιλοσοφεῖν λέγων, καὶ εἰσελεύσομαι πρὸς τὸ θυσιαστήριον τοῦ θεοῦ τοῦ εὐφραίνοντος τὴν πνευματικήν μου νεότητα. τούτου μὲν οὐκ ἀπάξει με τοῦ θυσιαστηρίου πᾶς ὁ βουλόμενος. *Ab altaribus arcebunt? At altare aliud scio, cujus figuræ sunt ea, quæ nunc oculis cernimus: super quod nec ascia, nec manus ascendit, nec ferrum, nec ullum artificum instrumentum auditum est, sed mentis totum hoc opus est, eoq; per contemplationem subvehimur. Huic astabo, in hoc grata immolabo, sacrificium & oblationem & holocausta, tanto iis, quæ nunc offeruntur, excellentiora, quanto veritas umbræ antecellit. De quo mihi David quoq; philosophari videtur, cum ait, Et introibo ad altare DEI, qui spiritualem meam juventutem lætificat. ab hoc altari me non abstrahet, quisquis volet.*

XXIII. (2) COR, ANIMA, MENS PIORUM. *Clemens Alexandrinus* VII. Strom. f. 717. Βωμὸν δὲ ἀληθῶς ἅγιον τὴν δικαίαν ψυχὴν, καὶ τὸ ἀπ' αὐτῆς θυμίαμα, τὴν ὁσίαν εὐχὴν λέγουσιν ἡμῖν ἀπιστήσουσιν; *Non credent nobis dicentibus, aram verè sanctam esse justam animam, & qui ab eâ emittitur, suffitum, sanctam orationem?* Origenes homil. IX. super Levit. cap. 16. f. 78. A. *Omnes nos iste sermo constringit, ad omnes pertinet, quod hîc loquitur lex. Præcepit enim, ut sciamus, quomodo accedere debeamus ad altare DEI. Altare enim est, super quod orationes nostras offerimus DEO. - - - Habes ergo sacerdotium, quia gens sacerdotalis es, & ideò offerre debes Deo hostiam laudis, hostiam orationum, hostiam misericordiæ, hostiam pudicitiæ, hostiam justitiæ, hostiam sanctitatis* Et f. 81. B. *Sed & unusquisque nostrum habet in se holocaustum suum, & holocausti sui ipse succendit altare, ut semper ardeat. Ego si renunciem omnibus, quæ possideo, & tollam crucem meam, & sequar Christum, holocaustum obtuli ad altare DEI. Aut si tradidero corpus meum, ut ardeam, habens charitatem, & gloriam Martyrii consequar, holocaustum meipsum obtuli ad altare DEI. Si diligam fratres meos, ita ut animam meam ponam pro fratribus meis, si pro justitia, pro veritate usq; ad mortem certavero, holocaustum obtuli ad altare DEI. Si membra mea ab omni concupiscentiâ carnis mortificavero, si mundus mihi crucifixus sit, & ego mundo holocaustum obtuli ad altare DEI, & ipse meæ hostiæ sacerdos efficior.* Id vero intelligi de corde, non obscurè patet ex sequentibus: *Beatus, in cujus corde invenerit* (Pontifex

Nyssenus de S. Christi Nativitate f. 68. *Prophetarum & Apostolorum tubæ venerunt, quas lex idcirco corneas appellat, quod ex vero unicorni confectæ sint, quæ per virtutem Spiritus vehementem & concitatum veritatis sermonem cecinerunt, ut auribus à peccato obrutorum & quasi obturatorum apertis unus fiat concors dies festus per constipationẽ & ornationem scenopegiæ inferna creaturâ cum excellentibus & præeminentibus circa supernum altare virtutibus consonante.* &c. August. Enarr. in Ps. 25. T. VIII. Oper. f. 126. *Est & altare coram oculis DEI, quò ingressus est sacerdos, qui pro nobis se primus obtulit. Est cæleste altare, & non amplectitur illud altare, nisi qui lavat manus in innocentibus. Nam multi altare hoc tangunt indigni, & tolerat DEus pati injuriam ad tempus sacramenta sua.* & homil. L. homil. 50. T. X. Oper. f. 557. *Ad illud altare, quò præcursor pro nobis introivit Jesus, quo caput Ecclesiæ præcessit, membris cæteris secuturis, nullus eorum* (sceleratorum) *accedere poterit, de quibus ut jam commemoravi, dixit Apostolus: Quoniam qui talia agunt, regnum DEI non possidebunt. Solus enim sacerdos, sed planè ibi totus assistit, adjuncto scil. corpore, cui caput est, quod jam ascendit in cælum.*

XXI. *Speciatim* verò *altare cæleste* vel de *sublimitate Divinitatis*, vel de *Christo* exponitur. Utrumque in *Beda* legas. Illud comm. in Psalm. 42. Tom. VIII. Op. f. 655. *Hic* (scil. in verbis, Introibo ad altare) *per altare intelligitur sublimitas illa divinitatis, ad quam tunc perveniemus, cum DEum sicut est videbimus. Ad quod altare Christus Pontifex noster solus jam introivit corporaliter, sacerdos factus, & assiduè interpellans pro nobis, ut & nos introe-*

troeamus. Dicitur autem illa ſublimitas ideo altare, quia quisquis illuc ingreditur, in holocauſtum aſſumitur: & ibi vitam invenit, ſi hic cauſam diſcrevit. Et quod ſit hoc altare, determinat, q.d. Introibo ad altare, ſc. ad DEum, i.e. ad præſentiam DEI &c. Hoc autem lib. I. in Ezram T. IV. Op. f. 482. *Altare Dominus recte vocatur, quia nos ab iniquitatibus noſtris emundat, quia vota orationum noſtrarum ſuſcipiens patri commendat.* Auguſtino etiam, Chriſtum altaris voce appellari poſſe, viſum eſt Evangel. Quæſt. lib. I. qu. 31. Tom. IV. f. 333. *Quod Dominus dixit, quid enim majus eſt, aurum an templum per quod ſanctificatur aurum? & item dixit: Quid enim majus eſt, donum an altare, quod ſanctificat donum? intelligendum, templum & altare ipſum Chriſtum: aurum & donum laudes & ſacrificia precum, quæ in eo per eum offerimus.* Accedit *Paſchaſius Ratbertus*, qui lib. de Sacram. cap. VIII. p. 42. altare cœleſte putat eſſe Chriſti corpus. *Putasne*, inquit, *aliud eſſe altare, ubi Chriſtus pontifex aſſiſtit, quàm corpus ſuum, per quod & in quo Deo Patri vota fidelium & fides credentium offertur? Quod ſi veraciter corpus Chriſti Altare illud cœleſte creditur, jam non aliunde carnem & ſanguinem, quam de ipſo Chriſti corpore ſumere putabis.*

XXII. *Supernum* excipiunt *inferiora* ſeu *inferna*, vel *interna*, vel *externa*. Interiora hæc ſunt: (1) FIDES. *Auguſtin.* Tom. IV. Oper. f. 1112. de ſerm. Dom. in monte lib. I. *Altare ſpiritualiter in inferiore DEI templo ipſam Fidem accipere poſſumus, cujus ſignum eſt altare viſibile. Quodlibet enim munus offerimus DEO, ſive Prophetiam, ſive*

 doctri-

doctrinam, sive orationem, sive hymnum, sive Psalmum, & si quid tale aliud spiritualium donorum animo occurrerit, acceptum esse non potest DEO, nisi fidei sinceritate fulciatur, & ei fixæ atq; immobili atq; firmæ imponatur, ut possit integrum atq; illibatum esse quod loquimur. Nam multi hæretici non habentes altare i.e. veram fidem, blasphemias pro laude dixerunt &c. Forte huc etiam pertinet illud *Nazianzeni* Orat. XXVIII. f.484. θυσιαστηρίων εἴρξουσιν; ἀλλ᾽ οἶδα καὶ ἄλλο θυσιαστήριον, οὗ τύποι τὰ νῦν ὁρώμενα, ἐφ᾽ ὃ λαξευτήριον οὐκ ἀναβέβηκεν, οὐδὲ χεὶρ, οὐδὲ ἠκούσθη σίδηρος, ἤτι τῶν τεχνιτῶν καὶ ποικίλων, ἀλλ᾽ ὅλων τοῦ νοῦ τὸ ἔργον, καὶ διὰ θεωρίας ἡ ἀνάβασις. τούτῳ παραστήσομαι, τούτῳ θύσω δεκτὰ, θυσίαν καὶ προσφορὰν καὶ ὁλοκαυτώματα, κρείττονα τῶν νῦν προσαγομένων, ὅσῳ κρεῖττον σκιᾶς ἀλήθεια. περὶ οὗ μοι δοκεῖ καὶ Δαβὶδ, ὁ μέγας φιλοσοφεῖν λέγων, καὶ εἰσελεύσομαι πρὸς τὸ θυσιαστήριον τοῦ θεοῦ τοῦ εὐφραίνοντος τὴν πνευματικήν μου νεότητα. τούτου μὲν οὐκ ἀπάξει με τοῦ θυσιαστηρίου πᾶς ὁ βουλόμενος. *Ab altaribus arcebunt? At altare aliud scio, cujus figuræ sunt ea, quæ nunc oculis cernimus: super quod nec ascia, nec manus ascendit, nec ferrum, nec ullum artificum instrumentum auditum est, sed mentis totum hoc opus est, eoq; per contemplationem subvehimur. Huic astabo, in hoc grata immolabo, sacrificium & oblationem & holocausta, tanto iis, quæ nunc offeruntur, excellentiora, quanto veritas umbræ antecellit. De quo mihi David quoq; philosophari videtur, cum ait, Et introibo ad altare DEI, qui spiritualem meam juventutem lætificat. ab hoc altari me non abstrahet, quisquis volet.*

XXIII.

XXIII. (2) COR, ANIMA, MENS PIORUM. *Clemens Alexandrinus* VII. Strom. f. 717. Βωμὸν ἢ ἀληθῶς ἅγιον τὴν δίκαιαν ψυχὴν, καὶ τὸ ἀπ' αὐτῆς θυμίαμα, τὴν ὁσίαν εὐχὴν λέγουσιν ἡμῖν ἀπιστήσουσιν; *Non credent nobis dicentibus, aram verè sanctam esse justam animam, & qui ab eâ emittitur, suffitum, sanctam orationem?* Origenes homil. IX. super Levit. cap. 16. f. 78. A. *Omnes nos iste sermo constringit, ad omnes pertinet, quod hîc loquitur lex. Præcepit enim, ut sciamus, quomodo accedere debeamus ad altare DEI. Altare enim est, super quod orationes nostras offerimus DEO. - - - Habes ergo sacerdotium, quia gens sacerdotalis es, & ideò offerre debes Deo hostiam laudis, hostiam orationum, hostiam misericordiæ, hostiam pudicitiæ, hostiam justitiæ, hostiam sanctitatis* Et f. 81. B. *Sed & unusquisque nostrum habet in se holocaustum suum, & holocausti sui ipse succendit altare, ut semper ardeat. Ego si renunciem omnibus, quæ possideo, & tollam crucem meam, & sequar Christum, holocaustum obtuli ad altare DEI. Aut si tradidero corpus meum, ut ardeam, habens charitatem, & gloriam Martyrii consequar, holocaustum meipsum obtuli ad altare DEI. Si diligam fratres meos, ita ut animam meam ponam pro fratribus meis, si pro justitia, pro veritate usq; ad mortem certavero, holocaustum obtuli ad altare DEI. Si membra mea ab omni concupiscentiâ carnis mortificavero, si mundus mihi crucifixus sit, & ego mundo holocaustum obtuli ad altare DEI, & ipse meæ hostiæ sacerdos efficior.* Id vero intelligi de corde, non obscurè patet ex sequentibus: *Beatus, in cujus corde invenerit* (Ponti-

fex) *tam ſubtilem, tam minutum, tamq; ſpiritualem ſenſum, & ita diverſa virtutum ſuavitate compoſitum, ut replere dignetur ex eo manus ſuas, Deoq; Patri ſuavem odorem intelligentiæ ejus offerre.* Et homil. X. ſuper Exod. Tom. I. Op. f.46. B. *Habeat*(Chriſtianus) *in ſe defixum altare, in quo orationum hoſtias & miſericordiæ victimas offerat DEO, in quo continentiæ cultro ſuperbiam quaſi taurum immolet, iracundiam quaſi arietem jugulet, luxuriam omnemq; libidinem tanquam hircos & hœdos litet. Sciat tamen ex his etiam ſacerdotibus ſeparare dextrum brachium & pectuſculum, & maxillas, i. e. opera bona & opera dextra. Nam ſiniſtrum nihil reſervet, pectuſculum quoque integrum, quod eſt cor rectum & mens DEO ſacrata, & maxillas ad verbum DEI loquendum.* Et paulo poſt: *Habeat in penetralibus pectoris ſui etiam altare incenſi, ut ipſe dicat: quia Chriſti bonus odor ſumus.* Lactantius lib. VI. Div. Inſtit. c.24. f.107. A. *In Aram DEI, quæ verè maxima eſt, & quæ in Corde hominis collocata coinquinari non poteſt ſanguine, juſtitia imponitur, patientia, fides, innocentia, caſtitas, abſtinentia.* Ambroſius epiſt. II. ad Simpl. f.80. *Neq; enim dubitaverim vos patere altaria, quarum mentes altaria DEI confidenter dixerim, in quibus quotidie pro redemtione corporis Chriſtus immolatur.* Auguſtinus de Civ. Dei lib. X. cap. IV Tom. V. Op. f. 540. *Cum ad illum ſurſum eſt, ejus* (DEI) *eſt Altare cor noſtrum: ejus unigenito eum ſacerdote placamus: ei cruentas victimas cædimus: quando usq; ad ſanguinem pro ejus veritate certamus: ei ſuaviſſimum adolemus incenſum, cum in ejus conſpectu pio*

que

ſanctoque amore flagramus: ei dona ejus in nobis nosq; ipſos vovemus & reddimus: ei beneficiorum ejus ſolennitatibus feſtis & diebus ſtatutis dicamus ſacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata ſubrepat oblivio: ei ſacrificamus hoſtiam humilitatis & laudis in ara cordis igne fervidæ charitatis. Et Enarr. in Pſ. 94. Tom. VIII. f. 1065. *Si nos ſumus templum DEI, Ara DEI anima noſtra eſt. Sacrificium DEI quid eſt? Forte hoc facimus modo. Imponimus in ara ſacrificium, quando DEUM laudamus: docet enim nos Pſalmus dicens: Sacrificium laudis honorificabit me, & ibi via eſt, ubi oſtendam ei ſalutare DEI. At vero ſacerdotem ſi requiras, ſuper cœlos eſt, interpellat pro te, qui in terra mortuus eſt pro te.* Et Enarr. in Pſ. 117. f. 1322. *Si eſt ibi* (in domo DEI) *ſpiritale ſacrificium, ſempiternum ſacrificium laudis: & ſacerdos ſempiternus eſt, & Altare ſempiternum pacata mens ipſa juſtorum.* Petrus Chryſologus ſerm. 108. p. 468. *Arripe gladium ſpiritus, Altare cor tuum pone: & ſic corpus tuum admove DEI ſecurus ad victimam.* Proſper ſent. XV. p. 627.

Quid voveat Domino, quisquis bene corde volutat,
Ipſum ſe totum præparet & voveat:
Major enim offerri nequit hoſtia mentis in Ara.

Manichæi quoque mentem cultam Aram dixerunt, teſte *Auguſtino* lib. XX. contr. Fauſtum Manich. T. VI. Oper. f. 362. ubi Fauſtum introducit ita loquentem: *Aram, mentem bonis artibus & diſciplinis imbutam* (puto.)

XXIV.

XXIV. (3.) CORPUS HOMINIS PII, quod perinde ut animam altari comparat Auctor ſerm. 255. de Tempore, quem Auguſtino vulgo tribuunt, ſed non eſſe *Cocus* in cenſur. pag. 365. & *Rivetus* Crit. S. lib. IV. cap. 16. p. 435. tradunt. Sic vero ille Tom. X. Op. Aug. f. 1163. *Videamus fratres, ne forte in nobis duo ſint altaria conſtituta, corporis ſcilicet & cordis noſtri. Deniq; duplex à nobis ſacrificium quærit DEUS, unum ut ſimus caſto corpore, aliud ut mundo corde eſſe debeamus. Ergo in exteriori Altari, id eſt, in Corpore noſtro offerantur opera bona, in corde odorem ſuavitatis redoleat cogitatio ſancta. In altari cordis noſtri jugiter, quod eſt DEO placitum, operemur. Tunc enim ordinem legitimum conſecrationis altaris cum gaudio celebramus, quando altaria cordis vel corporis noſtri munda & pura in conſpectu divinæ majeſtatis offerimus &c.*

XXV. (4.) ECCLESIA, POPULUS DEI, FIDELES, PII, PAUPERES, MISERICORDES. *Clemens Alex.* VII. Strom. f. 717. Ἔστι γοῦν τὸ παρ' ἡμῖν θυσιαστήριον ἐνταῦθα τὸ ἐπίγειον, τὸ ἄθροισμα τῶν ταῖς εὐχαῖς ἀνακειμένων, μίαν ὥσπερ ἔχον φωνὴν τὴν κοινὴν καὶ μίαν γνώμην. *Eſt ergo quod eſt hîc apud nos altare terreſtre, congregatio eorum, qui ſunt dedicati orationibus, qui veluti unam vocem habent communem & unam mentem.* Origenes homil. I. in Levit. T. I. op. f. 54. b. *Ego puto, quod ille ſacerdos detrahit corium vituli oblati in holocauſtum, & deducit pellem, qua membra ejus conteguntur, qui de verbo DEI abſtrahit velamen literæ, &*

in-

interna ejus, quæ sunt ſpiritualis intelligentiæ membra, denudat, & hæc membra verbi interioris ſcientiæ non in humili aliquo loco ponit, ſed in alto & ſancto, i. e. ſuper altare collocat, cum non indignis hominibus & humilem vitam ac terrenam ducentibus pandit divina myſteria, ſed illis, qui Altare DEI ſunt, in quibus ſemper ardet divinus ignis & ſemper conſumitur caro. Chryſoſtomus homil. XX. in 2. Cor. VIII. f. 887. ὅταν ἂν ἴδῃς πένητα πιςὸν, θυσιαςήριον ὁρᾷν νόμιζε. *Quum pauperem fide præditum cernis, ita existima, te altare videre.* Auguſtinus Qq. ſuper Exod. lib. II. Tom. IV. f. 157. *Notandum ergo, quod Moyſes ædificavit altare ſub monte, & duodecim lapides, & in duodecim tribus Iſraël. Intelligitur enim ex duodecim lapidibus altare ædificatum ſignificaſſe ipſum populum eſſe Altare DEI, ſicut eſt templum DEI.* Auctor explicationis Apocalypſ. Auguſtini inter opera relatæ Tom. IX. homil. VI. f. 667. *Aram DEI Eccleſiam dicit* (Johannes) *ſub cujus oculis Martyres effecti ſunt.* Beda Qq. ſuper Joſuam T. VIII. Op. f. 343. *Omnes, qui in Chriſtum JEſum credunt, lapides vivi dicuntur - - - - hi unum altare faciunt unitate fidei vel concordia charitatis.* Et lib. II. de Tabernac. Tom. IV. Op. f. 1233. *Tu ſi vis eſſe altare DEI, exinani teipſum & evacua ab omni contagio rerum mundanarum, quatenus in te ligna verborum cæleſtium & hoſtiæ virtutum locum poſſint habere ſufficientem.* Vide eundem pluribus de eo differentem l. c. f. 1227. cap. XI. & XII.

XXVI. (5.) CULTUS DIVINUS, RELIGIO ET DOCTRINA CHRISTIANA. *Origenes*

genes homil. IX. super Levit. f. 79. A. *Et tu ergo per gratiam baptismi consecratus es Altaribus DEI, & animal factus es mundum.* Cyprianus lib I. epist. 8. ad plebem universam p. 23. *DEUS unus est & Christus unus, & una Ecclesia, & cathedra una super petram Domini voce fundata. Aliud Altare constitui aut sacerdotium novum fieri, præter unum altare, & unum sacerdotium non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit.* Eusebius demonstrat. Evangel. lib. I. cap. VI. f. 20. Μεταπιθεμένου δὲ τοῦ θυσιαστηρίου παρὰ τὰ τῷ Μωσεῖ δοκοῦντα, ἀνάγκη πᾶσα καὶ τοῦ Μωσέως νόμου μεταβολὴν γενέσθαι. *Translato commutatoque Altari præter Mosis constitutiones atque decreta, necesse est penitus etiam legis Mosis fieri mutationem.* Ubi de Mosaica colendi DEUM ratione loquitur. Mox de Christiana similiter ait: Καὶ τούτω (τῷ μόνῳ κυρίῳ) θυσιαστήριον ἀναίμων καὶ λογικῶν θυσιῶν, κατὰ τὰ καινὰ μυστήρια τῆς νέας καὶ καινῆς διαθήκης, καθ' ὅλης τῆς ἀνθρώπων οἰκουμένης ἀνεγήγερται. *Huic quidem (soli Domino) Altare incruentarum & rationalium hostiarum, ut nova novi Testamenti mysteria postulant, per totum terrarum orbem erectum est*, i. e. nova DEUM colendi ratio. Hinc orta locutio, *Altare contra Altare erigere*, qua Patres Græci æque ac Latini describere solent *Schismaticos*, alludentes ad historiam populi Judaici. Can. 30. Apostol. Tom. I. Orthodoxogr. f. 373. Εἴ τις πρεσβύτερος καταφρονήσας τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, χωρὶς συναγωγὴν καὶ θυσιαστήριον πήξει, μηδὲν κατεγνωκὼς τοῦ ἐπισκόπου, ἐν εὐσεβείᾳ καὶ δικαιοσύνῃ καθαιρείσθω ὡς φίλαρχος. *Si quis Presbyter proprium*

prium aſpernatus Epiſcopum ſeorſum conventicula egerit, & altare erexerit, cum de nullo crimine Epiſcopum in pietate ac juſtitia condemnarit, deponitor, quaſi qui principatum ambiat. Geminus plane Canon. V. Concilii Antiocheni in *Alexii Ariſtini* Synopſi, inſerta Bibliothecæ Jur. Can. vet. Juſtelli Tom. II. f. 683. ſic enim ille habet: Πᾶς ὁ ἐπισκόπου καταφρονῶν, καὶ ἀφιστάμενος πρεσβύτερος ἢ διάκονος, καὶ οἰκοδομῶν ἄλλο θυσιαστήριον· εἰ προσκαλούμενος δὶς καὶ τρὶς παρὰ τοῦ ἐπισκόπου ἐπιμένοι τῇ ἀπονοίᾳ, καθαιρούμενος ἔξω, καὶ ἀθεράπευτος. *Omnis Presbyter aut Diaconus Epiſcopum contemnens & ab eo recedens, aliudque altare exſtruens: ſi ab Epiſcopo bis terque accerſitus in arrogantia perſiſtat, deponatur, curationis ſpe deſtitutus.* Cyprianus de ſimplic. Prælatorum f. 117. *Arma ille contra Eccleſiam portat, contra DEI diſpoſitionem repugnat: hoſtis altaris adverſus ſacrificium Chriſti rebellis, pro fide perfidus, pro religione ſacrilegus, inobſequens ſervus, filius impius, frater inimicus, contemtis Epiſcopis & DEI ſacerdotibus derelictis conſtituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, Dominicæ hoſtiæ veritatem per falſa ſacrificia profanare.* Et lib. II. epiſt. 1. ad Stephanum f. 30. *Addimus planè & adjungimus, frater chariſſime, conſenſu & auctoritate communi, ut etiam ſi qui Presbyteri aut Diaconi, qui vel in Eccleſiâ Catholicâ prius ordinati fuerint, & poſtmodum perfidi aut rebelles contra Eccleſiam ſteterint, vel apud Hæreticos à Pſeudepiſcopis & Antichriſtis contra Chriſti diſpoſitionem profanâ ordinatione promoti ſint, & contra Altare unum atque*

divi-

divinum ſacrificia foris falſa ac ſacrilega offerre conati ſint, eos quoq; hâc conditione ſuſcipi, cum revertuntur, ut communicent Laici &c. & lib. III. epiſt. 13. ad Stephanum f. 63. de Novatiano dicit, *quod Epiſcopo Cornelio in Catholicâ Eccleſiâ de DEI judicio & cleri ac plebis ſuffragio ordinato profanum altare erigere, & adulteram cathedram collocare, & ſacrilega contra verum ſacerdotem ſacrificia offerre tentaverit.* Et ad Jubaianum de Hæret. baptiz. f. 221. de eodem: *Novatianus*, inquit, *altare collocare & ſacrificia offerre contra fas nititur.* Optatus Milevitanus de ſchiſm. Donatiſt. adv. Parmen. lib. I. p. 19. *Quis Altare contra altare erexerit?* & p. 23. *Sic exitum eſt foras, & Altare contra altare erectum eſt, & ordinatio illicitè celebrata eſt.* Gregorius Nyſſenus Epiſt. ad Euſtat. Ambroſ. & Baſil. p. 35. Τί τοιοῦτον ἔχοντες ἐγκαλεῖσθαι φευκτοὶ νομιζόμεθα, καὶ ἄλλο παρά τινων ἀντεγείρεται ἡμῖν θυσιαστήριον, ὡς ἡμῶν βεβηλούντων τὰ ἅγια; *quid horum nobis objici poteſt, cur fugiendi judicemur, & cur adverſus nos Altare quidam exſtruant, quaſi ipſi ſancta pollueremus?* In Codice Can. Eccleſ. African. cap. X. edit. Juſtelli f. 337. Alypius Epiſcopus, legatus provinciæ Numidiæ dixit: *Nec illud prætermittendum eſt, ut ſi quis forte Presbyter ab Epiſcopo ſuo correptus, tumore vel ſuperbia inflatus* ἡγήσεται ὀφείλειν κεχωρισμένως ἅγια τῷ θεῷ προσφέρειν, ἢ ἄλλο ἀνορθοῦν θυσιαστήριον οἰηθείη κατὰ τῆς Ἐκκλησιαστικῆς πίστεως καὶ καταστάσεως· ὁ τοιοῦτος ἀτιμώρητος μὴ ἐξέλθῃ, *putaverit ſeparatim ſacrificia DEO offerenda vel aliud erigendum Altare contra Eccleſiaſticam fidem diſci-*

disciplinamq; crediderit, non exeat impunitus. Augustinus lib. de Unit. Eccles. Tom. VII. Oper. f. 548. *Vos* (Donatistæ) *adversus orbem terrarum, & adversus ejus verba, qui Ecclesiam suam incipientem ab Hierusalem per omnes gentes commendavit, sacrilegæ dissensionis altare erexistis.* Idem Tom. VII. Op. contra literas Petiliani Donatistæ lib. I. f. 79. *Felicianum dico Musticanum, & Prætextatum Assuritanum, de quibus interim loquor, qui numerantur inter duodecim Maximiniani ordinatores & erectores Altaris contra eorum altare, cui Primianus assistit.*

XXVII. (6) MINISTERIUM SACRUM sive Pastorum, sive Religiosorum. *Petrus Chrysologus*, Episcopus Ravennas serm. CLXV. p. 688 *Cornelius memoriæ beatissimæ vitâ clarus, cunctis virtutum titulis ubiq; fulgens, operum magnitudine notus universis, pater mihi fuit, ipse me per Evangelium genuit, ipse pius piissime nutrivit, ipse sanctus sanctâ instituit servitute, ipse Pontifex sacris obtulit & consecravit Altaribus: & ideo mihi clarum, colendum, mirabile Cornelii nomen.* Alcimus Avitus libr. ad Sororem p. 426.

Si pia te genetrix sanctis Altaribus aptans
Assueto docuit dignam concrescere templo.

& pag. 427.

Sacratum velata caput, tua munia sumsit,
Bis senos jungens sanctis Altaribus annos.

De virginis sacræ initiatione loquitur. Et hæc ferè *interiora* fuerunt altaria.

XXVIII. *Externa* restant, quæ vel *locus*, vel *locatum*. *Locum*, ubi altare seu mensa Domini reposita fuit, θυσιαστήριον seu *altare* quondam appellatum, sequentia evincunt. Concil. Laodicenum circa A. C. 364. celebratum, Canon. 44. Tom. III. Concil. illustr. p. 284. ὀυ δεῖ γυναῖκας ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ εἰσέρχεσθαι. *Non oportet mulieres ingredi ad altare.* seu potius, *Non decet feminas intra altare ingredi.* Photii Nomocanon Tit. XIII. cap. 27. Tom. II. Bibl. Justelli f. 1128. ita habet: Περὶ τοῦ μὴ εἰσιέναι γυναῖκα εἰς θυσιαστήριον, καὶ ὅτι μόνοις τοῖς ἱερατικοῖς ἔξεστι κοινωνεῖν ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ. συνόδου Λαοδικείας κανὼν ιθ΄. μδ΄. συνόδου ς΄ κανὼν ξθ΄. *De eo quod mulieres non introire debeant in altare, & quod solis sacri ordinis hominibus in altari communicare liceat. Concilii Laodiceni canon XIX. XLIV. Concilii Sexti Canon LXIX.* Simile quid, sed latius patens, sancitum legimus in Concilio Constantinop. Trullano posteriore can. 69. Μὴ ἐξέσθω τινὶ τῶν ἁπάντων ἐν λαϊκοῖς τελοῦντι ἔνδον ἱεροῦ εἰσιέναι θυσιαστηρίου. *Nulli omnium, qui sit in Laicorum numero, liceat intra sacrum altare ingredi*, Pandect. Canon. Tom. I. f. 239. De ipsâ mensâ hæc intelligi non posse, nemo non videt. Cum enim in istam nemo introire possit, annon ridiculum fuisset, prohibere, ne quis introeat? De loco ergo intelligendum, ubi sacra reposita mensa, per Metonymiam. In qua significatione etiam videtur intelligi Can. 99. ejusdem Concilii. Καὶ τοῦτο δὲ ἐν τῇ Ἀρμενίων χώρᾳ γίνεσθαι μεμαθήκαμεν, ὡς τινες ἔνδον ἐν τοῖς ἱεροῖς θυσιαστηρίοις μέλη κρεῶν ἕψοντες, προσάγουσιν ἀφαιρέματα

τοῖς

τοῖς ἱερεῦσιν, Ἰουδαϊκῶς ἀπονέμοντες. *Porrò hoc quoque in Armeniorum regione fieri didicimus, quod quidam intus in sacris altaribus carnium membra coquentes frustra offerunt sacerdotibus Judaicè distribuentes*, in Pandect. Can. Tom. I. f. 277. Nec in aliâ usurpata vox illa l. 3. Pateant C. de his qui ad Eccl. confug. desumta ex Codice Theodosiano, & quidem istis verbis: Τοῦτο δὲ τὸ διαστημάτων πλάτος διὰ τοῦτο συνεχωρήσαμεν· ἵνα μή τινι προσφευγόντων ἐντὸς τοῦ θεοῦ ναοῦ ἢ ἐν τοῖς ἄγχιστα θυσιαστηρίοις μένειν, ἢ ἐσθίειν, ἢ καθεύδειν, ἢ παννυχίζειν ἐξῇ. *Hanc spatii latitudinem ideo indulgemus, ne in ipso DEI templo & sacrosanctis Altaribus confugientium quenquam mane* (rectius, secundum Græca, *manere*; adde, quod omissum, *vel edere*) *vel vespere cubare* (s. dormire) *vel pernoctare liceat*. Et paulo post §. 2. Τοὺς τοίνυν δίχα ὅπλων τῷ ἁγίῳ οἴκῳ τοῦ θεοῦ εἴτε καὶ εἰς τὸ ἅγιον θυσιαστήριον ἐν οἱῳδήποτε ἔθνει, ἢ κατὰ ταύτην τὴν πόλιν προσφεύγοντας, ὕπνου ἐν τῷ ναῷ ἢ ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ καὶ τροφῆς μεταλαμβάνειν παρὰ τῆς κληρικῶν προσόψει κεκωλῦσθαι &c. *Proinde ii, qui sine armis ad sanctissimum Dei templum aut ad sacrosanctum altare, sive usquam gentium, sive in hâc almâ urbe confugiunt, somnum intra templum sive ipsum Altare vel omnino cibum capere ab ipsis clericis arceantur*, &c.

XXIX. Nec *locatum* altare non appellatum. *Sacras* puto *mensas*, vel quicquid earum loco adhibitum ad S. Eucharistiam celebrandam fuit. His certe altaris nomen fuisse impositum, Antiquitas testis locuples est. Nominaturi enim SS. Patres locum, ubi S. Eucharistiæ dispensa-

tio facta publice, non refugerunt dicere altare. Ibimus per omnia secula, & quantum licet, id, quod proposuimus, luculentis testimoniis planum faciemus.

XXX. Ex Sec. I. Scriptoribus si quis superest, *Ignatius* superest. Is verò epist. ad Philadelphenses (cujus antiquitatem etiam illi ipsi, qui à Calvino sunt, & adversum hîc nobis tenent, agnoscunt) non dubitat *altaris* adhibere vocem eâ significatione, quam hîc intelligimus. Adhortaturus enim eosdem, ut unâ fide, unâ prædicatione, unâ Eucharistiâ utantur, hanc affert rationem: Μία γάρ ἐστιν ἡ σὰρξ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, καὶ ἓν αὐτοῦ τὸ αἷμα τὸ ὑπὲρ ἡμῶν ἐκχυθέν· εἷς καὶ ἄρτος τοῖς πᾶσιν ἐθρύφθη, καὶ ἓν ποτήριον τοῖς ὅλοις διενεμήθη, ἓν θυσιαστήριον πάσῃ τῇ ἐκκλησίᾳ, καὶ εἷς ἐπίσκοπος ἅμα τῷ πρεσβυτερίῳ, καὶ τοῖς διακόνοις τοῖς συνδούλοις μου &c. *Una enim est caro Domini nostri JESU Christi, & unus illius sanguis, qui pro nobis effusus est, & unus panis omnibus fractus, & unus calix universis distributus, unum Altare omni Ecclesiæ, & unus Episcopus cum Presbyterorum collegio & Diaconis conservis meis* &c. Plane hîc loquitur & simpliciter, nullâ adhibitâ mysticâ vocum interpretatione. Ut ergo vocibus *Episcopi, Presbyteri, Diaconi* personas Ecclesiasticas; ita & voce *altaris*, rem Ecclesiasticam intelligere videtur.

XXXI. Ex Seculo II. superstites hodie habemus *Justinum Martyrem*, *Theophilum*, *Irenæum*, *Tatianum*, & forte etiam *Athenagoram*. Horum equidem nullum usum memini voce altaris de mensâ

mensâ Domini: nec mirum, quando non inciderunt in sermonem de loco ad S. Eucharistiam publicè celebrandam destinato, adeoque & mensæ vocabulum vel nunquam vel rarò de illo usurparunt. At verè non potuisse eos per doctrinam illius ætatis id nominis in tali adhibere significatione, non patior mihi persuaderi, quum eorum sacrificia intueor. *Justinus* certè Dial. cum Tryphone f. 260. panem Eucharisticum vocat sacrificium. Περὶ δὲ τῶν ἐν παντὶ τόπῳ ὑφ' ἡμῶν τῶν ἐθνῶν προσφερομένων αὐτῷ θυσιῶν, τουτέστι, τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας, καὶ τοῦ ποτηρίου ὁμοίως τῆς εὐχαριστίας προλέγει. *De nostris verò*, inquit, *gentium, quæ in omni loco offeruntur, sacrificiis, hoc est, Pane Eucharistiæ & poculo similiter Eucharistiæ prædixit* sc. Malachias. Idem & eodem loco preces & hymnos & similia cum S. Eucharistiâ conjuncta, sacrificia appellavit, ut infra commodius ostendetur. Num igitur dubitandum, adhibiturum illum vocem altaris de mensâ Domini fuisse, qui panem Eucharisticum ibi dispensatum & alias actiones non dubitavit sacrificia appellare? Similiter *Irenæo* lib. IV. adv. Hæres. c. 34. oblationem sanctorum munerum i. e. panis & vini ad mensam Domini *sacrificium* vocare placuit. *Igitur Ecclesiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in universo mundo, purum sacrificium reputatum est apud DEUM* &c. Quid ergo? an displicituram ei existimas altaris vocem, si usu venisset, ut locus S. Eucharistiæ appellandus fuisset? mihi quidem non videtur. Quin potius consequens

 esse

esse puto, ut qui oblationem ad mensam sacrificium vocavit, idem & mensam nominet altare.

XXXII. Ex Seculo III. Tertullianus, ante Cyprianum, mensam Domini disertè appellavit aram. Sic enim scribit de Orat. f. 798. *Similiter & stationum diebus non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit accepto corpore Domini. Ergo devotum DEO obsequium Eucharistia resolvit, an magis DEO obligat? Nonne solennior erit statio tua, si & ad Aram DEI steteris? Accepto corpore Domini & reservato utrumque salvum est, & participatio sacrificii & executio officii.* Hic certè *ad Aram DEI stare,* hanc habet sententiam, ad mensam Domini stare, & S Eucharistiæ fieri participem. Nec aliter explicari potest ex ipsius *Salmasii* sententia. Is enim epist. ad Justum Pacium pag. 71. loqui hic Tertullianum existimat de iis, qui ob votivum jejunium à S. Synaxi se abstinebant propterea, quod alias, si ad eam convenissent, Eucharistia etiam uti debuissent (Nulla siquidem Synaxis fiebat sine communione omnium, qui intererant.) Sumtione autem Eucharistiæ solvendum iis fuisset jejunium, ex instituto illorum temporum, quo ipso violatum fuisset votum. Huic ergo rei remedium afferre conatur Tertullianus, modumque ostendit, quo utrique muneri satisfacere illi possint, nempe si Eucharistiam accipiant, sed domum ferant & reservent, donec tempus dissolvendi jejunii venisset. Il-

lud autem erat veſpertinum & hora diei duodecima in jejuniis plenis ſive quæ ab Eccleſia indicerentur, ſive quæ privata quis religione ſuſciperet. At *ſtationum* diebus hora diei nona perceptione Euchariſtiæ ſolvi jejunia ſolebant. Hinc & *ſtationes* ſemiplena vult fuiſſe jejunia c. I. *Salmaſius*, ad horam nempe diei nonam tantum protracta. Dum igitur hominibus iſtis perſuadere conatur Tertullianus, ſolemniorem fore ipſorum *ſtationem* i. e. jejunium, ut *Salmaſius* interpretatur, ſi ad aram DEI ſteterint & acceperint corpus Domini: nonne aræ voce menſam Domini intelligit & exprimit, ad quam ſtabant Euchariſtiam accepturi? Neſcio annon huc etiam referendum illud ſit lib. I. ad uxorem f. 525. *Quantum fidei detrahant, quantum obſtrepant ſanctitati nuptiæ ſecundæ, diſciplina Eccleſiæ & præſcriptio Apoſtoli declarat, cum digamos non ſinit præſidere, cum viduam allegi in ordinationem niſi univiram non concedit: Aram enim DEi mundam proponi oportet.* At iſta non videntur aliena, quæ prodidit lib. de Patient f. 14. *Nemo convulſus animum in fratrem ſuum, munus apud Altare perficiet, niſi prius reconciliando fratri reverſus ad pœnitentiam fuerit.* & lib. de Orat. f. 791. *Ne prius aſcendamus ad DEI Altare, quam ſi quid diſcordiæ vel offenſæ cum fratribus contraxerimus, reſolvamus.* Tametſi enim verba Chriſti, unde iſta mutuatus eſt Tertullianus, de altari Judæorum propriè dicto loquantur; tamen ipſe *Tertullianus* eadem transferre non dubitavit ad menſam ſacram Chriſtia-

norum propter ſimilitudinem. Quemadmodum enim Judæi munera ſua offerebant ad altare: Ita & Chriſtiani veteres munera ſua ad menſam ſacram offerre ſolebant. Voce igitur altaris ipſe *menſam* intelligit, ad quam nemo accedere ibique S. Euchariſtiam ſumere debet, niſi reconciliatus fratri ſuo. Similiter iſta voce uſus, ante Cyprianum, *Origenes* homil. III. ſuper Judic. Tom. I. Oper. f. 179. H. *Nonnunquam morbus iſte ſuperbiæ penetrat non ſolum pauperes plebis, verum etiam ipſum ſacerdotalem & Leviticum ordinem pulſat. Invenies interdum etiam in nobis aliquos, qui ad exemplum humilitatis poſiti ſumus, & in Altaris circulo, velut ſpeculâ, in quibus arrogantiæ vitium fœtet, & de Altari Domini, quod deberet incenſi ſuavitate fragrare, odor teterrimus ſuperbiæ & elationis renidet.* Hîc Epiſcopum, Presbyteros cæterosque miniſtros confert ſacerdotibus & Levitis, & menſam ſacram altari Judæorum, ita quidem ut & voces ab his mutuetur, & Chriſtianorum cùm rebus tùm perſonis imponat, idque vere, ſed non proprie, ut patet. Ratio collationis hæc eſt. Quemadmodum ſacerdotes Judæorum circa altare erant: ita miniſtri Eccleſiæ Chriſtianorum in eo loco, ubi menſa ſacra erat, conſiſtebant. Sequitur ipſe *Cyprianus*, quem altaris voce de menſa ſacra uſum tantum abeſt ut quisquam neget, ut potius nonnulli eum primum ita iſta voce uſum aſſerant. Loca ſunt plurima, nobis unum tantum & alterum ſufficiat adduxiſſe. Lib. I. epiſt. III. f. 11. *Quid ſuper-*

eſt

est nisi ut Ecclesia capitolio cedat, & recedentibus sacerdotibus ac de Altari se removentibus, in cleri nostri sacrum venerandumque consessum, simulacra atque idola cum aris suis transeant &c. Ep. VII. f. 21. *Audet* (Fortunatianus) *sibi adhuc sacerdotium, quod prodidit, vendicare, quasi post aras diaboli accedere ad altare DEI fas sit.* Ep. IX. f. 25. *Quæ nunc ratio & forma in clero tenetur, ut qui in Ecclesia Domini ad ordinationem clericalem promoventur, nullo modo ab administratione divina avocentur, ne molestiis & negotiis secularibus alligentur, sed in honore sportulantium fratrum tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab Altari & sacrificiis non recedant.* - - - & postea: *Neque enim ad Altare DEI meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros suos Levitas avocare voluit.* - - - & mox: *Simul & cæteris fratribus detur exemplum, ne quis sacerdotes & ministros DEI altari ejus & Ecclesiæ vacantes ad seculares molestias devocet.* Vide eundem lib. I. epist. XII. f. 28. Lib. II. ep. I. f. 30. Lib. II. ep. X. f. 49. Lib. III. ep. I. f. 52. Lib. III. ep IX. f. 60. Tr. contr. Demetr. f. 101, Tr. de simpl. Prælat. f. 117. De idolor. vanit. f. 121. Ad Jubaian. de hæret. baptizand. f. 221. &c.

XXXIII. Ex Seculo IV. *Eusebius* Histor. Eccl. lib. X. cap. IV. f. 111. ubi laudibus persequitur ædificationem templi Tyriorum, mensam sacram inter alia in eodem exstructam ita describit: Ἀλλὰ γὰρ ὧδε καὶ τὸν νεὼν ἐπιτελέσας, θρόνοις τὲ τοῖς ἀνωτάτω εἰς τὴν τῶν προέδρων τιμὴν καὶ προσέτι βάθροις ἐν τάξει τοῖς καθόλου κατὰ τὸ πρέπον κοσμή-

κοσμήσας, ἐφ' ἅπασί τε τὸ τῶν ἁγίων ἅγιον θυσιαστήριον, ἐν μέσῳ θεὶς, αὖθις καὶ τάδε, ὡς ἂν εἴη τοῖς πολλοῖς ἄβατα, τοῖς ἀπὸ ξύλου περιέφραττε δικτύοις, εἰς ἄκρον ἐντέχνου λεπτουργίας ἐξησκημένοις, ὡς θαυμάσιον τοῖς ὁρῶσι παρέχειν τὴν θέαν. *Absoluto quoque templo ac ſedibus excelſiſſimis ad honorem præſidentium, deinde & ſubſelliis ordine per omnia collocatis, ornato, ac poſt omnia Sancto Sanctorum, Altari videlicet in medio conſtituto, rurſus etiam iſta, ut multis ſint inacceſſa, cancellis ligneis ad verticem usque artificioſa cælatura fabrefactis ita circumdedit* (Paulinus Epiſcopus) *ut admirabilem adſpectum videntibus exhibeat.* Optatus Milevitanus lib. VI. contr. Parmen. pag. 163. *Quid eſt tam ſacrilegum quam Altaria DEI (in quibus & vos aliquando obtuliſtis) frangere, radere, removere? &c.* & poſtea: *Quid eſt Altare, niſi ſedes & corporis & ſanguinis Chriſti?* & deinde: *Sed ut æſtimo, alio loco copia lignorum frangi juſſit, alio, ut Altaria raderent, lignorum inopia imperavit &c.* Et iterum: *Quid perditorum conductam referam multitudinem? Et vinum in mercedem ſceleris datum? quod ut immundo ore biberetur, calida de fragmentis Altarium facta eſt.* Prætermitto cætera loca, ſunt enim permulta. *Gregorius Nazianz.* Orat. in Gorgon. *Deſperatis omnibus aliis auxiliis ad mortalium omnium medicum confugit, atque intempeſta nocte captata, cum morbus nonnihil remiſiſſet,* τῷ θυσιαστηρίῳ προσπίπτει μετὰ τῆς πίστεως *ad Altare cum fide procumbit eumque, qui ſuper iſto honoratur, invocat &c.* Orat. XX. in Baſil. M. f. 348. Ariani deſcribuntur θυσιαστηρίων κατορ-

κατορχέμενοι, καὶ τὰς ἀναιμάκτες θυσίας ἀνθρώπων καὶ θυσιῶν αἵμασι χραίνοντες *in Altaribus saltitantes & incruenta sacrificia hominum & victimarum sanguine contaminantes.* Orat. XXVIII. f. 484. θυσιαστηρίων εἴρξεσιν; ἀλλ' οἶδα καὶ ἄλλο. *Altaribus arcebunt? at ego aliud novi &c.* Epist. 81. ad Theodor. Tyanens. Episc. f. 839. scribit, ὑβρισθῆναι θυσιαστήρια *contumeliam Altaribus illatam esse & conturbata mysteria.* Ambrosius lib. V. ep. XXXIII. Tom. III. f. 131. *Certatim hoc nunciare milites irruentes in Altaria, osculis significare pacis insigne.* Lib. I. de Virgin. Tom. I. f. 78. *Memoriæ nostræ puella dudum nobilis in seculo, nunc nobilior DEO, cum urgeretur ad nuptias à parentibus & propinquis, ad sacrosanctum Altare confugit.* In exhortat. ad virgin. T. I. f. 116. *Te nunc Domine precor, ut supra hanc domum tuam, supra hæc Altaria, quæ hodie dedicantur - - - quotidianus præsul intendas.* Lib. X. ep. 85. T. IV. f. 223. ad Sororem de inventione corporum Gervasii & Protasii: *Succedant victimæ triumfales in locum, ubi Christus hostia est; sed ille super Altari, qui pro omnibus passus est: isti sub Altari, qui illius redempti sunt passione.* Gregorius Nyssenus lib. de de baptismo f. 257. *Altare hoc sanctum, cui assistimus, lapis est naturâ communis nihil differens ab aliis crustis lapideis, ex quibus parietes nostri exstruuntur & pavimenta exornantur: Sed quoniam DEI cultui consecratum atq; dedicatum est ac benedictionem accepit, mensa sancta, Altare immaculatum est, quod non amplius ab omnibus, sed à solis sacerdotibus iisq; venerantibus contrectatur.* Hieronymus lib. contr. Vigilant.

gilant. Tom. II. f. 123. *Male facit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli secundum vos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur Altaria.* Et ad Demetriad. de Virginitate servandâ T. I. f. 69. *Alii ædificent Ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles advehant, earumq; deaurent capita, pretiosum ornatum non sentientia: ebore argentoq; valvas, & gemmis aurata distinguant Altaria Non reprehendo, non abnuo.* Ruffinus Hist. Eccl. lib. I. cap. XII. f. 207. de Alexandro ab Arianis infestato scribit: *Ille nocte, quæ ad constitutum intererat diem, sub Altari jacens atq; in oratione & lacrymis totam pervigilem ducens, Ecclesiæ causam Domino commendabat.* Prudentius in Vincentio v. 515. 516.

Sed mox subactis hostibus
Jam pace justis redditâ,
Altar quietem debitam
Præstat beatis ossibus.

Et Hymn. II. Peri Steph. de S. Laurent. v. 38.

Hic primus è septemviris,
Qui stant ad Aram proximi,
Levita sublimis gradu &c.

Chrysostomus homil. 53. ad Pop. Antioch. Tom. V. Oper. f. 302. Si quis ignem sumens & fossorium hanc destruxisset domum & incendisset, & hoc suffodisset Altare: nonne quilibet eum lapidibus obrueret tanquam profanum & impi-

um

um? & homil. XX. in 2. Cor. VIII. f. 886. τοῦτο τὸ θυσιαστήριον καὶ τούτου τοῦ νῦν φρικωδέστερον, οὐχὶ τοῦ παλαιοῦ μόνον. *Hoc altare*, (quod conflatur ex ipsis Christi membris) *præsenti quoq; Altari augustius est nedum veteri illo.* - - - Τοῦτο μὲν γὰρ θαυμαστὸν διὰ τὴν ἐπιτιθεμένην ἐν αὐτῷ θυσίαν. *Hoc enim, quo nunc utimur, eximium quidem atq; admirandum est ob eam victimam, quæ in ipso imponitur.* - - - θαυμαστὸν τοῦτο πάλιν, λίθος μὲν ὂν τὴν φύσιν, ἅγιον δὲ γίνεται, ἐπειδὴ σῶμα δέχεται χριστοῦ. *Rursum hoc altare natura quidem lapis est, sanctum autem efficitur, postquam Christi corpus excipit.* - - - σὺ δὲ τὸ μὲν θυσιαστήριον τοῦτο τιμᾷς, ὅτι δέχεται τοῦ χριστοῦ σῶμα. *Tu Altare quidem illud in honore habes, quia Christi corpus capit.*

XXXIV. Ex Seculo V. *Augustinus* Lib. VIII. de Civ. DEI cap. ult. Tom. V Oper. f. 492. *Quis audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad Altare etiam super sanctum corpus Martyris ad DEI honorem cultumque constructum, dicere in precibus: Offero tibi sacrificium Petre vel Paule* &c. & lib. XXII. cap. 8. *Aliquid de Altari florum quod occurrit, tulit* (gener Martialis ægrotantis) *eique* (Martiali) *cum jam nox esset, ad caput posuit.* Et homil. L. hom. 50. Tom. X. f. 557. *Ad hoc Altare, quod nunc in Ecclesia est in terra positum, terrenis oculis expositum, ad mysteriorum divinorum signacula celebranda, multi etiam scelerati possunt accedere.* &c. Et alibi passim. *Synesius* epist. 67. ad Theophilum f. 217. Ἐμοὶ δὲ δοκεῖ, πάτερ σεβασμιώτατε, χρῆναι τούτοις, ὅσοι τὰς οἰκείας ἐκκλησίας ἀπείπαντο, πασῶν ἐκκλησιῶν ἀπει-

ἀπείπαϑαι· καὶ πρὶν ἂν ἀπελϑόντες ἐκεῖ καταςήσονται, μηδένα δέχεσϑαι θυσιαςηρίῳ, μηδ' εἰς προεδρίαν καλεῖν, ἀλλὰ προιορᾶν (παρορᾶν) ἀγελαίους ἐν ταῖς δημοτικαῖς καϑέδραις, ὅταν εἰς ἐκκλησίαν ἐμβάλλωσι. *Mihi vero, reverende Pater, ita videtur, oportere iis, qui suas Ecclesias deseruerint, omni Ecclesia interdici, & priusquam illuc redeuntes se recepe-rint, neminem eos ad Altare admittere, neque ad primas sedes invitare, sed vulgares illos in plebejis subselliis relinquere, cum in Ecclesiam irruperint.* Paulinus Nolanus lib. II. epist. IV. ad Severum Tom. II. Orthodoxogr. f. 134. de Claro Presbytero:

Sancta sub æternis Altaribus ossa quiescunt.

Et mox de eodem:

Digna pio domus est, Altaria sub quibus artus
Conditur exanimus: nam Spiritus æthere gaudet.

Sulpicius Severus Dial. II. p. 577. *Cum jam Altarium, sicut est solenne, benediceret, globum ignis de capite illius vidimus emicasse.* Cyrillus Alexandr. in Esa. XIX. Tom. I. f. 301. *Aræ exstiterunt Domino complures & innumerabiles per Ægyptum* (nisi fortè hunc locum mystice interpretari malis.) Theodoritus Hist. Eccl. lib. I. cap. XXXI. f. 295. Διεκοσμεῖτο δὲ καὶ τὸ θεῖον θυσιαςήριον βασιλικοῖς τε παραπετάσμασι, καὶ κειμηλίοις λιϑοκολλήτοις χρυσοῖς. *Ipsa Ara divina* (in templo Hierosolymitano) *regiis tapetibus donisque aureis ac gemmatis conspi-*

conspiciebatur ornata. Et lib. IV. cap. XXII. f. 329. b. ἃ γὰρ κατὰ τὸ γεγραμμένον, μήτε γέγονε μήτε ἠκούσθη ἐν ταῖς ἡμέραις τῶν πατέρων ἡμῶν, ταῦτα ἐπ' αὐτοῦ τοῦ θυσιαστηρίου ἐπετέλουν οἱ δυσσεβεῖς. *Quæ neque facta neque audita sunt in diebus patrum nostrorum, ea super Altari ipso perpetrarunt impii.* Et lib. V. cap. XXI. f. 344. b. ὁ δὲ παραυτίκα εἰς τὸν θεῖον δραμὼν νεὼν, καὶ εἰς ἄγγος ὕδωρ κομισθῆναι προστάξας, ἔθηκε μὲν τὸ ὕδωρ ὑπὸ τὸ θεῖον θυσιαστήριον. &c. *Pastor statim ad divinum templum decurrens in vasculo aquam jubet afferri, qua supposita sacro Altari, ipse in faciem humi prostratus benigno supplicabat Domino* &c. Sidonius Apollinaris lib. IV. ep. XI. pag. 84.

Ante Altaria fratre gratulante
Instructas docuit sonare classes.

Socrates Hist. Eccl. lib. V. cap. XXII. f. 250. Οὐ γὰρ πρὸς ἀνατολὰς τὸ θυσιαστήριον, ἀλλὰ πρὸς δύσιν ὁρᾷ. *Altare non ad orientem, sed ad occasum spectat.* Et lib. VI. cap. V. f. 256. ὁ οὖν ἐπίσκοπος τοῦ Εὐτροπίου ὑπὸ τὸ θυσιαστήριον κειμένου, καὶ ἐκπεπληγότος ὑπὸ τοῦ φόβου, καθεσθεὶς ὑπὸ τοῦ ἄμβωνος, ὅθεν εἰώθει καὶ πρότερον ὁμιλεῖν χάριν τοῦ ἐξακούεσθαι, λόγον ἐλεγκτικὸν ἐξέτεινε κατ' αὐτοῦ. Johannes *Episcopus, cum Eutropius ad basin Altaris procumberet, & præ metu consternatus esset, assidens in suggestu, unde antea, quo facilius audiretur, concionari solebat, orationem in reprehensionem ejus habuit.* Sozomenus Hist. Eccl. lib. VIII. cap. XXIV. f. 114.

f. 114. Σισινίῳ γὰρ τῷ ἐπισκόπῳ τῆς τῶν ναυατιανῶν αἱρέσεως ἤδη καθεύδοντι, ἀνήρ τις κάλλει καὶ μεγέθει περιφανέστατος παρεςὼς τῷ θυσιαςηρίῳ τῆς αὐτῶν ἐκκλησίας, ἣν εἰς τιμὴν στεφάνου τοῦ πρωτομάρτυρος ᾠκοδόμησεν, ἔδοξεν ἀδημονεῖν. &c. *Sisinio Novatianorum Episcopo dormienti vir quidam & statura & forma eminentissimus, astans Altari Ecclesiæ ipsorum, quam in honorem Stephani Protomartyris ædificaverat, mœrere videbatur &c.* Et lib. II. cap. III. f. 22. ᾧδε ἔχοντι γνώμης θεία περιφανεία ὄψις ἔδειξε τι σταυροῦ σύμβολον τῶν ἀνακειμένων τῷ θυσιαςηρίῳ τῆς ἐνθάδε ἐκκλησίας. *Cui* (Probiano) *sic animo affecto visio divinitus oblata quandam crucis effigiem, quæ in Altari illius Ecclesiæ* (S. Michaëlis) *statui solet, ante oculos proposuit &c.* Petrus Chrysologus serm. LI. pag. 216. *Commutantur in Ecclesias delubra, in Altaria vertuntur aræ.* Salvianus de provid. DEI lib. III. f. 16. b. *In templa autem vel potius in Altaria atque in sacraria DEI passim omnes sordidi ac flagitiosi sine ulla penitus reverentia sacri ordinis irrumpunt.* Et lib. VI. f. 35. b. *Nos Altaria spernimus.*

XXXV. Ex seculo VI. Cæsarius Arelatensis homil. 34. *Rogo vos & admoneo, fratres charissimi, ut quotiescunque juxta Altare à Clericis oratur, aut oratio Diacono clamante indicitur, non solum corda, sed etiam corpora fideliter inclinetis.* Ennodius in vita B. Epiphanii Episcopi Ticinensis pag. 372. *Postquam ad Altaris confinia pervenisset, nullam deliberavit futuram esse necessitatem, quâ inde nisi impletis solemnibus posset abduci.* Et dictione II.

missa

missâ Honorato Episcopo Novariensi pag.473. *Institue, Domine, vertendo sacrificia : Et dum puris cumulamus Altaria sancta donariis, præsentiam tuæ majestatis interserere &c.* Alcimus Avitus lib. V. ubi confert mannæ S. Eucharistiam, ita canit:

Mysticca quæ longe prædiceret ante figura,
Virgineo ex utero, purum, sine semine, Christum
Edendum, nobisque aliquando corpus edendum:
Quas caperet pascendus homo, de sede superna
Illabente DEO, sanctis Altaribus escas.

Arator Hist. Apostol. lib.I.p. 583.

Jura ministerii sacris Altaribus apti.

XXXVI. Ex Seculo VII. *Gregorius M* Epist. lib. XII. Tom. II. f. 1186. epist. ad omnes Episcopos: *De Altaribus quoque juxta institutionem Domini Papæ Johannis Apostolica autoritate confirmamus, ut qui fuerit rector præfati monasterii, fiat prætereà Altarium præsul & omnium Ecclesiarum sibi pertinentium, & inde præfatorum sanctorum præcipuo Altari luminaria exhibeantur &c.* Isidorus Hispalensis Episc. de Offic. Eccl. lib.II. cap. X. f. 610. *Isti* (subdiaconi) *vasa corporis & sanguinis Christi diaconibus ad altarium offerunt.* Et cap. VIII. f. 600. *Decreverunt Apostoli vel successores Apostolorum, ut per omnes Ecclesias septem Diaconi, qui subliniore gradu essent cæteris, circa Aram Christi quasi columnæ altaris assisterent.*

XXXVII. Ex Seculo VIII. *Beda* lib. V. Hist. Anglor. cap. XVII. Tom. III. Oper. f. 181. *In ima locum Dominicæ crucis excisa in petra crypta est, in*

qua super Altare pro defunctis honoratis sacrificium solet offerri. Et paulo post: *Lapis, qui ad ostium monumenti positus erat, nunc fissus est, cujus pars minor quadratum Altare ante ostium nihilominus ejusdem monumenti stat: major vero pars in orientali ejusdem Ecclesiæ loco quadrangulum aliud Altare sub linteaminibus exstat.*

XXXVIII. Ex Sec. IX. *Paschasius Ratbertus* lib. de Sacram. cap. IV. p. 26. *Vera utique caro Christi, quæ crucifixa est & sepulta, verum illius carnis sacramentum, quod per sacerdotem super Altare in verbo Christi per Spiritum S. divinitus consecratur.* Amalarius Treverensis Episc. de offic. miss. cap. V. f. 12. *Duo Diaconi altrinsecus vadunt osculari latera Altaris*, & infra: *Remanet Evangelium in Altari ab initio officii, usque dum à ministro assumatur ad legendum.* Et multis aliis in locis. *Walafridus Strabo* de reb. Eccles cap. IX. f. 79. *Exempla dedicandorum habemus templorum & Altarium.* Et infra: *Nos potius templa & Altaria, nostræ religiositatis indicia DEO Salvatori nostro per illibata & vera sacramenta dedicare curemus.* &c.

XXXIX. Ex Sec. X. Concilium Engilenheimense Can. 8. sanxit: *ut oblationes fidelium, quatenus Altari deferantur, nihil omnino ad laicalem pertineant potestatem*, Tom. XXV. Concil. edit. Paris. f. 76. In Synodo Landavensi narratur, quod quidam *venientes irruerint in Ecclesiam & occiderint diaconum ante Altare sanctorum, scelus dictu, resperso sanguine in altari & in parietibus Ecclesiæ*, eod.

Tom.

Tom. f. 121. quæ etiam cauſſa habitæ illius Synodi fuit.

XL. Verum nihil attinet progredi longius, ſatis jam demonſtrato vocis Altaris uſu. Hoc tantum reſtare videtur, ut *cauſæ* explicentur, ob quas illud nomen menſis ſuis ſacris Chriſtiani veteres imponere voluerint. Illi quidem eos non reſpexiſſe video ad *ſacrificium* aliquod *propriè dictum* ibi faciendum: tale enim orthodoxa priorum ſeculorum antiquitas omnino ignoravit, quod alio loco ita planum faciam, ut vix quisquam ſanæ mentis dubitare poſſit, quin altaria æque ac ſacrificia veterum per ſimilitudinem tantum ita appellata fuerint.

XLI. Cæterum has fuiſſe exiſtimo illius appellationis cauſas. *Primo* enim Eccleſiæ veteris Teſtamenti locus ille, in quo maximum & ſolenniſſimum cultus divini officium præſtabatur, altare dicebatur. Quemadmodum autem *Scripturæ* mos eſt vocabula rituum V. Teſtamenti ad Novum transferre per ſimilitudinem aliquam, ut de *circumciſione* ex Coloſſ. II, 11. Phil. III, 3. Rom. II, 29. de *Paſchate* ex 1. Cor. V, 7. de *tabernaculo* ex Hebr. VIII, 2. IX, 11. 2. Cor. V, 1. 4 2 Petr. I, 13. 14. de *ſanctis* Hebr. IX. 12. 24. de *primitiis* ex Rom. VIII, 23. de *ſuffimento* ex Apoc. V, 8. VIII, 3. 4. de *Altari* ex Hebr. XIII, 10. conſtat: Ita ad eundem modum etiam *S. Patres* voces V. T. ad N. T. accommodare ſoliti fuerunt. Sic Epiſcopum illi appellarunt ſummum ſacerdotem. *Sulpic. Sever.* in vit. Martin. cap. 26. p. 522.

Nazianz, Orat.V. ad Patrem & Basilium post reditum f. 136. &c. Presbyteros sacerdotes & ordinem sacerdotalem *Cyprian.* lib. I. epist. IV. ad Felicem f. 13. ep. IX. ad Clerum & plebem Furnitan. f. 25. lib. II. ep. I. ad Steph. f. 30. serm. VI. de Orat. Dom. f. 159. *Dionys.* Eccl. Hierarch. multis in locis, *Irenæus* lib. IV. cap. XX. f. 336. *Ambros.* de dignit. sacerdot. &c. Diaconos Levitas *Ambros.* lib. I Offic. cap. L. Tom. I. f. 31. 32. Lib. de iis qui mysteriis initiantur cap. II. & III. Tom. IV. f. 422. & lib. de dign. sacerdot. cap. II. T. IV. f. 448. *Origen.* homil. III. super Judic. T. I. f. 179. H. *Salvian.* lib. II. & in Conciliorum Tomis passim; sacras Christianorum actiones, ut precationes, cantiones &c. *sacrificia*, quod posterius pluribus demonstrabitur. Cum igitur solenne fuerit & S. Scripturæ & Patribus, vocabula rituum V.T. ad novum transferre ad ostendendam magnam illam admirandamque utriusque consensionem s. harmoniam: ideo placuit etiam ipsis illum locum, in quo Christiani cultus maximum & solennissimum fit officium, altare appellare.

XLII. *Altera* caussa hæc fuit, quod in istis mensis fieret dispensatio corporis & sanguinis Christi, tanquam sanctissimi sacrificii, cujus umbram typumque gesserunt V.T. sacrificia, *Optat. Milev.* lib. IV. contra Parmen. pag. 163. *Ambros.* lib. de iis qui mysteriis initiantur cap. VIII. f. 427. &c. Et quemadmodum corpus Christi appellatum sacrificium est *Augustin.* lib. II. quæst.

Evan-

Evangel. quæſt 3. Lib. IV. de Trin. cap. 14 atque adeo Euchariſtiæ quoque ſacramentum *Cyprian.* lib.II. ep. 3. ad Cæcil. f. 36. lib. I. ep. 7. ad Epictetum f. 21. ſerm. V. de lapſ. f. 156. *Optat. Milev.* lib. III. p. 113. *Chryſoſt.* hom. III. in Epheſ. I. f. 1051. Ita & ipſa diſpenſatio ſacrificii nomen eſt adepta. Hinc *Auguſtinus* Chriſtum in Sacramento dixit *immolari Nobis*, Enarr. in Pſ. LXXV. T. VII. f 835, & *Populis* epiſt, 23. ad Bonif. T.II. f. 93. id eſt, diſpenſari ſ. diſtribui.

XLIII. *Tertia* fuit, celebratio ſacrificiorum myſticorum ad menſam Domini factorum. Fiebat enim ibi recordatio mortis Chriſti. *Euſebius* lib. I. Demonſt. Evangel. cap.X. f.39. Τούτου δῆτα τοῦ θύματος τὴν μνήμην ἐπὶ τραπέζης ἐκτελεῖν διὰ συμβόλων, τοῦ τε σώματος αὐτοῦ καὶ τοῦ σωτηρίου αἵματος κατὰ θεσμοὺς τῆς καινῆς διαθήκης παρειληφότες &c. *Cum ergo hujus ſacrificii* (paſſionis Chriſti) *MEMORIAM ſignis quibusdam in menſâ celebrandam corporisq; item illius ſalutarisq; ſanguinis, ut N. T. inſtitutum habet, acceperimus* &c. Atque iſta recordatio pro ſacrificio offerri dicebatur, ut idem paulò ante ſcripſit f. 38. his verbis: θαυμάσιον θῦμα καὶ σφάγιον ἐξαίρετον τῷ πατρὶ καλλιερησάμενος, ὑπὲρ τῆς ἁπάντων ἡμῶν ἀνήνεγκε σωτηρίας, μνήμην καὶ ἡμῖν παραδούς, ἀντὶ θυσίας τῷ θεῷ διηνεκῶς προσφέρειν. *Mirabilem quandam victimam ſacrificiumq; eximium patri operatus pro noſtrâ omnium ſalute obtulit, ejusq; rei MEMORIAM ut nos ipſi DEO pro ſacrificio offerremus, inſtituit.* Præterea fiebant ibi preces & gratiarum actiones

Optat.Milev. lib. VI. p. 163. *Ambros.* exhort. ad Virgin. sub finem. Tom.I. f. 116. & laudationes divini numinis ll. cc. & oblationes *Optat Milev.* l.c. *Ambros.* lib. V. ep. 30. ad Valentin. Tom.III. f. 114 *Greg.Nazianz.* Orat XX. in Basil. f. 531. & id genus alia, quæ omnia sacrificia dicta: Preces quidem *Ambrosio* ep. 28. ad Theodos. Imp. f. 108. ep. 83. ad Episc. Æmil. f. 209. *Tertull.* ad Scapul. f. 553. *Greg. Nazianz.* Orat. XX. f. 372. & XIX. f. 305. *Chrysost.* homil. 33. in Cap. XIII. Hebr. f. 1968. *Augustin.* quæst. Evangel. Lib. I. qu. 34. T. IV. f. 333. De Civ. DEI Lib. V. cap. 24. f. 328. &c. Hymni & laudationes DEI *Ambrosio* lib. I. Offic. cap. 10. f. 5. & serm. XIV. in Psalm. 118. f. 701. *Greg. Nazianz.* orat. XV. in plagam grandinis f. 225. & Orat. I. f. 38. & Orat. III. f. 50. & Orat. XLII. f. 692. *Augustin.* epist. 120. ad Honorat. cap. 18. Tom. II. f. 597. Quæst. Evangel. lib. I. qu. 34. T. IV. f. 333. &c. Oblationes denique *Cypriano* serm. de Eleemos. f. 127. *Ambros.* lib. I. de fide resurr. T. III. f. 39. & lib. de Nabuthe Jezraëlitâ cap. 16. T. IV. f. 283. & epist. 28. ad Theodos. Imperat. f. 108. Atque ab his nomen mutuata τὰ θυσιαστήρια s. *altaria* esse, cum res ipsa docet, tum *Nazianzeni* etiam persuadet testimonium. Is enim Orat. IV. quæ est II. invectiva in Julianum f. 126. hæc prodidit: *Non jam in sacras nostras ædes pravos oculos injicient* (gentiles): οὐκ ἔτι μιανοῦσιν αἵματι μιαρῷ τὰ τῆς καθαρωτάτης καὶ ἀναιμάκτου θυσίας ἐπώνυμα θυσιαστήρια, *non jam aras à purissimo & incruento sacrificio nomen haben-*

habentes ſceleſto ſanguine contaminabunt. In ſingulari loquitur tanquam de genere ſacrificiorum, unde appellata τὰ θυσιαςήρια ſunt. Non erravero ſi huc etiam retulero conſecrationem virginum ad menſam ſacram fieri ſolitam teſte *Ambroſio* lib. I. de Virginitate ſub finem Tom. I. f. 78. Virgines enim ſacrificiis myſticis annumeratas fuiſſe, idem nos docet *Ambroſius* loc. cit. f. 74.

XLIV. *Quarta* denique ratio hæc fuiſſe videtur, quod ethnicis in aris & ſacrificiis omnis fere poſita fuerit religio, adeò, ut quibus nullum altare eſſet, iis nec religio nec DEus eſſe crederetur. Videre id eſt ex *Ariſtoph.* Acharnenſ. f. 275. ubi chorus Ἀχαρνέων de Lacedæmoniis, tanquam perdite ſceleratis ſic loquitur:

> Οἷσιν ὔτε βωμὸς, ὔτε πίςις, ὔθ' ὅρκος μένει.
>
> *Quibus nec Altare, nec fides, nec jusjurandum ſtat.*

Eodem olim loco habiti ſunt Chriſtiani, Ἄθεοι nempe, qui nullam eſſe ducerent vim cœleſtem numenque divinum, ut videre eſt ap. *Juſtin.* Apol. ad Antonin. Pium & *Athenagoram* Orat. pro Chriſt. *Clem. Alex.* init. lib. VII. Strom. f. 699. *Tertull.* Apologet. cap. 12. 13. 14. 15. & lib. ad Nationes cap. X. *Origenem* contra Celſum, *Arnobium* lib. II. adv. gentes. Ut ergo hujus criminis ſuſpicionem à ſe amoverent (Crimen

ipſum jam ſatis diluerant laudati Patres invictis argumentis) & gentiles ad fidem Chriſtianam eo facilius amplectendam allicerent, idcirco nomen altaris ſacris menſis imponere ſtatuerunt, inprimis cum non deeſſet ſimilitudo aliqua, quæ illis menſis cum altaribus propriè dictis intercederet. Nec Apoſtolorum eos deſtituit exemplum. Hos enim multas gentilium ſacras formulas & voces ad Chriſtianorum religionem transtuliſſe, in confeſſo eſt.

CAPUT III.

DE SYNONYMIS ALTARIS, UT VOCANT, SIVE VOCIBUS, IDEM QUOD ALTARE SIGNIFICANTIBUS.

I. Altare Chriſtianis Græcè θυσιαστήριον dictum; non facile βωμός.

II. Vocatum etiam Latinè *Ara*, quæ tamen vox interdum de ſuprema tantùm altaris parte, plerumque de gentilium aris uſurpata.

III. Appellatum quoque *Menſa*, Græcè τράπεζα.

IV. Vocum *Menſæ* & *Altaris* uſus apud veteres promiſcuus.

§. I.

Quod Latini Patres *Altare* dixerunt, idem Græci θυσιαστήριον appellarunt, ut *Greg. Nazianz.* Orat. in Gorgon.

Gorgon. & Epist. 81. ad Theodor. Tyanens. Episc. f. 839. *Gregor. Nyssen.* lib. de Baptismo f. 257. *Chrysost.* homil. XX. in 2. Corinth. VIII. f. 886. *Euseb.* H. E. lib. X. c. IV. f. 111. *Theodorit.* H. E. lib. I. cap. XXXI. f. 295. *Socrates* H. E. lib. V. c. XXII. f. 250. *Sozom.* H. E. lib. VIII. cap. XXIV. f. 114. *Synes.* epist. LXVII. ad Theophilum f. 216. &c. quorum verba jam ante relata cap. præcedente. Βωμȣ autem vocem de altaribus Christianorum usurpatam, apud Christianos Scriptores veteres legisse non memini, nisi in Constit. Theodos. & Valentin. ad Antiochum P.P. perscripta, & Concilio Ephesino, Oecumenico III. annexâ, Tom. VI. Concil. edit Paris. f. 449. at in aris gentilium designandis, nihil eâ frequentius.

II. *Aræ* tamen vocem mensis suis sacris interdum tribuere non dubitarunt S. Patres. Sic *Tertullianus* lib. de Orat. f. 793. *Nonne solennior erit statio tua, si & ad Aram DEI steteris?* Sic *Ambrosius* lib. V. epist. XXX. Tom. III. f. 124. *Ara Christi dona tua respuit, quoniam aram simulacris fecisti.* Sic *Prudentius* Hymn. II. περὶ στεφ. de S. Laurentio:

> *Hic primus è septemviris* (Diaconis)
> *Qui stant ad aram proximi.*

Et Hymn. V. de S. Vincentio p. 115.

> *Altar quietem debitam*
> *Præstat beatis ossibus.*

Subjecta nam sacrario
Imamque ad Aram condita.

Interdum in *strictiore* significatione istam vocem adhibuerunt, *supremam* tantum *altaris partem* eâdem significantes, per Synecdochen. Ita *Prudentius* Hymn. X. de S. Romano p. 126. inter facinora Asclepiadæ Præfecti gentilis adversus Ecclesiam refert: *Altaris aram funditus pessundare.* Plerumque vero *Aræ* vocem imposuerunt *gentilium altaribus* propriè ita dictis. *Prudentius* Hymn. V. in Vincent. p. 105.

Aut Ara thure & cespite
Precanda jam nunc est tibi,
Aut mors luenda est sanguine.

Et Hymn. VI. de Fructuoso p. 117.

Aras dæmonicas coli jubebat.

Et Hymn. XIII. de B. Cyprian. p. 159.

Appositam memorant aram foveæ stetisse summa.

Idem Apotheos. contra Hæresin Sabellianam:

Quamvis Saturnis, Junonibus & Cythereis
Portentisq; aliis fumantes consecret aras.

Cyprianus Aram & Altare ita distinguere videtur, ut illam gentilibus hoc Christianis tribuat. Sic habent verba ejus: *Quid superest, nisi ut Ecclesia Capitolio cedat, & recedentibus sacerdotibus ac de Altari se removentibus, in cleri nostri sacrum venerandumq;*

dumque confessum, simulacra atque idola cum Aris suis transeant &c. lib. I. epist. III. ad Cornelium f. 11. Clarius hanc differentiam proponit *Petrus Chrysologus* serm. LI. p. 216. *Commutantur in Ecclesias delubra, in Altaria vertuntur Aræ.* Quomodo Ethnici hæc distinxerint, explicat *Gyraldus* Syntagm. XVII. Tom. I. Oper. f. 455.

III. Præterea Patres tam Græci, quam Latini *Mensas* appellarunt altaria. Concilii Nicæni diatyposis V. de S. Cœna habet ita: περὶ τῆς θείας τραπέζης, καὶ τοῦ ἐπ' αὐτὴν μυστηρίου τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ χριστοῦ. Ἐπὶ τῆς θείας τραπέζης πάλιν κἀνταῦθα, μὴ τῷ προκειμένῳ ἄρτῳ καὶ τῷ ποτηρίῳ ταπεινῶς προσέχωμεν. *Balforeus* ita vertit: *De divina mensa, & de eo, quod in ipsa est, mysterio corporis & sanguinis Christi. Iterum etiam hic in divina mensa, ne humiliter intenti simus ad propositum panem & poculum.* Illustravit hanc diatyposin erudita exercitatione *Dorscheus* noster, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις. *Eusebius* Demonstr. Evangel. lib. I. c. X. f. 39. *Cum ergo hujus sacrificii memoriam signis quibusdam* ἐπὶ τραπέζης *in mensa celebrandam, corporisque item illius salutarisque sanguinis, ut N. T. institutum habet, acceperimus: rursus à Propheta David instruimur ad dicendum: Parasti in conspectu meo mensam contra eos, qui affligunt me. Pinguefecisti in oleo caput meum, & calix tuus inebrians quam præstantissimus. Palam igitur in his mysticam significat unctionem,* καὶ τὰ σεμνὰ τῆς χριστοῦ τραπέζης θύματα, *& horrorem afferentia mensæ Christi sacrificia, quibus operantes, incruentas & rationales*

eis

eique suaves victimas, in tota vita supremo DEO offerre, per eminentissimum omnium ipsius Pontificem, edocti sumus. *Athanasius* Apol. II. Tom. I. Oper. f. 371. Καὶ τοὺς μὲν λειτουργοὺς ἐκώλυον παρεῖναι, ἐπὶ δὲ τῶν ἐθνικῶν ἐξήταζον περὶ ἐκκλησίας, περὶ ποτηρίου, περὶ τραπέζης καὶ τῶν ἁγίων. *Sacrorum ministris exclusis, coram ethnicis hominibus quæstiones de Ecclesiis, de calice, de mensa Domini, de Sanctis sanctorum habuere.* Ejusdem postea etiam meminit f. 581. 583. 614. & multis aliis locis. *Dionysius Alexandrinus* Episcopus Epist. ad Xystum Roman. Episc. apud *Eusebium* Hist. Eccl. lib. VII. cap. IX. f. 73. a. εὐχαριστίας γὰρ ἐπακούσαντα, καὶ συνεπιφθεγξάμενον τὸ ἀμὴν, καὶ τραπέζῃ παραστάντα, καὶ χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείναντα &c. *Cum & gratiarum actionem in Ecclesia audisset, & ad illam una cum aliis Amen succinuisset, mensæ adstitisset, manus ad suscipiendum sanctum cibum extendisset &c.* Augustinus Epist. LIX. ad Paulinum Tom. II. f. 299. *Precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici.* Et lib. II. contr. literas Petiliani cap. XLVII. Tom. VII. f. 120. *Non dicunt ista, nisi qui de mensa Domini vitam sumunt, sicuti Petrus.* Et Tract. XXVI. in Johann. Evangel. T. IX. f. 230. *Hujus rei sacramentum, id est, unitatis corporis & sanguinis Christi, alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica mensa præparatur, & de mensa Dominica sumitur.* Petrus Chrysologus serm. X. p. 44. *Peregrinum civis*

vis, possessor hospitem DEI ducat ad mensam: ut sine suo sumtu de divinis copiis sit humanus. Theodoritus Hist. Eccl. lib. IV. cap. XII. f. 316. ἰȣλιανὸς ȣ̓ρον κατὰ τῆς ἱερᾶς τραπέζης ἐξέχεινε. *Julianus ad sacram mensam misit lotium.* Et lib. V. cap. XVIII. f. 343. ἐπειδὴ δὲ ὁ καιρὸς ἐκάλει τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ τὰ δῶρα προσενέγκειν. *Cum autem jam tempus advenisset, quo ad sacram mensam munera offerrentur.* Sozomenus Hist. Eccl. lib. V. cap. XX. f. 71. b. ἔγραφε τῷ ἡγεμόνι Καρίας, εἰ μὲν ὄροφόν τε καὶ τράπεζαν ἱερὰν ἔχȣσι, πυρὶ καταφλέξαι. *Scripsit ad Præsidem Cariæ, ut si tectum jam & mensam sacram haberet, eas incenderet.* Et lib. VIII. cap. VII. f. 108. b. de Eutropio: λαμπρόν τινα καὶ αὐτȣ̃ ὑπὸ τὴν ἱερὰν τράπεζαν κειμένȣ κατέτεινε λόγον ἰωάννης. *Splendidam sane orationem adversus illum sub mensa sacra jacentem, Johannes* (Chrysostomus) *habuit.*

IV. Eadem ergo veteribus mensa & Altare fuerunt, ex quo etiam factum, ut voces illas promiscue fere usurparent, & eandem rem modo mensam, modo altare nominarent, nullo in re ipsa observato discrimine. *Cyprianus* vel quisquis auctor est Sermon. de Cœna Domini f. 312. *Inter Dominicæ* Mensæ *convivas animalis homo non admittitur.* Mox folio sequenti: *Pauperes quidem spiritu ad hoc mysterium eligit & diligit Spiritus S. & eorum, qui pompatice & gloriose sacris se* Altaribus *ingerunt, obsequia detestatur.* Athanasius, sive quis alius, antiquus sane scriptor, si non ejusdem ætatis, qui Disputationis contra

Arium

Arium in Concil. Nicæn. habitæ auctor, *τράπεζαν* per *θυσιαστήριον* tanquam per nomen magis notum exponit, dicens *προτεθεικὼς τράπεζαν, τουτέστι τὸ ἅγιον θυσιαστήριον, καὶ ἐπ' αὐτῷ ἄρτον οὐράνιον καὶ ἄφθαρτον. Proposuit* mensam, *hoc est,* sanctum altare, *& in eo panem cœlestem & incorruptibilem.* Ambrosius de Elia & jejunio Tom. IV. f. 328. *Si ad* Mensam *illam venerabilem jejunia sancta nos perducunt, si hac fame illa, quæ sunt æterna, mercamur, quid de iis dubitamus, quæ in usu humano sunt, quod etiam suaviora hæc nobis faciat jejunium? Non autem omnis fames acceptabile jejunium facit, sed fames, quæ DEI timore suscipitur. Considera. Quadragesima totis præter Sabbatum & Dominicum jejunatur diebus, hoc jejunium Domini Pascha concludit. Venit jam dies Resurrectionis, baptizantur electi, veniunt ad* Altare, *accipiunt sacramenta, sitientes totis hauriunt venis.* Nazianzenus Orat. II. in Julian. f. 110. dixerat, *περὶ τὰς ἱερὰς τραπέζας ἐξυβρίσαι, sacris* mensis *contumeliam inferre;* sed Epist. LXXXI. ad Theodorum Tyanens. Episc. f. 839. scribit, *ὑβρισθῆναι θυσιαστήρια,* altaribus *contumeliam illatam esse.* Orat. XX. quæ est in laudem Basilii f. 353. de muliere quadam scribit, quod *τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ προσφύγοι ad sacram* mensam *confugerit,* scilicet tanquam ad asylum, ut vim effugeret: mox Basilium excusans, quod susceperit eam, subjicit: *Quid aliud* (faciendum fuit Basilio,) *nisi ut eam* (mulierem) *asservaret, retineret, omni cura tueretur, χεῖρα ὀρέγειν θεοῦ φιλανθρωπίᾳ καὶ νόμῳ τῷ τετιμηκότι θυσιαστήρια,*

ρια, *manum porrigeret DEI clementiæ, & legi, quæ* Altaribus *honorem haberi jubet, omnia denique prius faceret, quam ut inhumanius ullum adversus eam consilium iniret, sicque & τὴν ἱερὰν τράπεζαν sanctam* mensam, *& fidem etiam illam, cum quâ supplex erat, contumelia afficeret?* Prudentius περὶ στεφ. Hymno IV. de Hippol. v. 170. 171.

Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis,
Propter ubi apposita est ara *dicata DEO.*
Illa sacramenti donatrix mensa, *eademque*
Custos fida sui martyris apposita.

Chrysostomus homil. III. in Ephes. I. f. 1051. εἰκῆ θυσία καθημερινὴ, εἰκῆ παρεστήκαμεν τῷ θυσιαστηρίῳ, ὐδεὶς ὁ μετέχων. *Frustra est quotidianum sacrificium, frustra adstamus* Altari, *nemo est qui participet.* Paulo post addit: ὐχ ὁρᾷς τῇ σπογγιᾷ τὴν τράπεζαν περιπλύνοντα, καὶ τ' οἶκον καθαίροντα, καὶ τοὺς πίνακας τιθέντα; *Non vides lavantem spongia* Mensam, *& domum mundantem, & discos* Mensæ *imponentem?* Idem serm. in Eutropium, qui ad aram tanquam asylum confugerat, Tom. V. Oper. f. 1131. *Communi operâ interpellemus clementissimum Regem pro Ecclesiâ &* Altari, *unum hominem sacrosanctæ* Mensæ *donari obsecrantes.* Ubi eundem locum nunc Mensam, nunc Altare appellat. Mensæ quoque vocem de eodem usurpavit *Sozomenus* Hist. Eccles. lib. VIII. c. VII. f. 108. at *Socrati* Hist. Eccl. lib. VI. cap. V. f. 255. placuit altare. Utriusque verba supra citata.

Hujus

Hujus præcedente, illius hoc ipſo capite. Utrumque vocabulum etiam conjungit Iſchyras Macarium accuſans ap. *Socrat.* H. E. lib. I. c. XXVII. f. 187. b. ἐφήμιζε γὰρ (Ἰσχύρας) ὡς εἴη τὰ πάντα δεινὰ ἐξ ἐφόδου πεπονθώς, καὶ ὅτι Μακάριος εἰσπηδήσας εἰς τὸ θυσιαστήριον, ἀνέτρεψε μὲν τὴν τράπεζαν &c. *Nam rumorem diſſipavit Iſchyras, impetum clam in ſe factum eſſe, & nihil non contumeliarum perpeſſum, & Macarium in* Altare *inſultaſſe*, & Menſam Domini *evertiſſe* &c. Similiter *Auguſtinus* Tract. XXVI. in Johann. T. IX. f. 227. *Quàm multi*, inquit, *de* Altari *accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur!* Paulo poſt f. 230. eandem ſententiam, pro altari poſita menſæ voce ita exprimit: *Hujus rei ſacramentum, id eſt, unitatis corporis & ſanguinis Chriſti alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica* menſa *præparatur, & de Dominica* menſa *ſumitur: quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium.*

CAPUT IV.
DE
ALTARIS VETERUM
DEFINITIONE.

I. Cujusmodi altare hic conſideretur, explicatur.

II. Definitio Bellarmini rejicitur.

III. Vera altaris veterum definitio affertur.

IV. Explicatur Definitum.

V. Evolvitur Genus, & oſtenditur,

ditur, quod fuerit (1) mensa,

VI. (2) non vulgaris aut profana, sed sacra: non intrinsecus, sed extrinsecus.

VII. Defenditur *Genus*, soluto argumento contrario.

VIII. *Differentia* explicatur, quæ petita (1.) à loco.

IX. (2) à fine.

§. I.

NOn id jam agimus, ut definiamus altare generatim, aut Judæorum illud gentiliumve: non est, non est ista nostri instituti ratio. De *Altaribus Christianorum* tantum soliciti sumus, *veterum* quidem præcipuè & *orthodoxorum.*

II. *Bellarmino* hîc placuit id omne vocare altare, *ubi recipitur victima per verba consecrationis effecta*, lib. I. de missa cap. XXVII. §. secundô. Verum nobis non placet ista definitio, quid autem in ea desideremus, alibi dicemus. Nunc tantum, quid ex mente veterum Christianorum fuerit altare, declarabimus. Illud verò sic breviter describi posse videtur:

III. *'Altare Christianorum veterum fuit mensa sacra, in loco sacrorum conventuum adhibita, præcipue ad oblationes & S. Eucharistiæ celebrationem.*

IV. *Definitum* eſt *altare Chriſtianorum veterum*: non heterodoxorum, ſed orthodoxorum: idque non extraordinarium aut vicarium, ſed ordinarium.

V. *Genus* eſt *Menſa ſacra.* Menſas fuiſſe altaria veterum Chriſtianorum, docet ipſa eorum appellatio. Vocabantur enim menſæ non initio tantum, ſed etiam poſt Conſtantini M. tempora, excitatis jam in templis illis in modum altarium molibus lapideis, quo de præcedenti capite fuſius actum. Docet etiam externa illorum forma, menſam repræſentans, quam infra delineabimus. Docet denique ratio oblationum, & ſymbolorum ſacrorum, quæ cum illis imponerentur, ſuperficiei quandam requirebant latitudinem, qualis menſarum eſt.

VI. Neque tamen vulgares aut profanæ fuerunt menſæ, ſed *ſacræ* (1) ratione *uſus* ſeu *finis*. Nam in iis celebrabatur SS. Euchariſtia, & conſecrabatur ſanctum oleum, quo baptizati ungebantur: ibi accipiebantur oblationes; & ſanctorum defunctorum colebatur memoria: ibi preces ad DEUM fundebantur, & aliæ actiones ſacræ ſuſcipiebantur, de quibus poſterius dicemus. (2) Ratione *loci*: erant enim in Oratoriis primùm, deinde in templis DEO conſecratis, ubi ſacri populi Chriſtiani conventus agebantur. (3) Ratione *perſonarum altari miniſtrantium*, id eſt, Epiſcoporum, & Presbyterorum, cæterorumque Eccleſiæ miniſtrorum, in quibus

bus singularis requirebatur vitæ sanctitas atque innocentia. Et his quidem de caussis mensæ habebantur sanctæ, *sanctitate* nimirum *externâ*, non autem *interiori*, per consecrationis verba illis indita & quasi infusâ, qualem Pontificii iis temerè tribuunt nihil pensi habentes vel rerum naturam, vel antiquitatis doctrinam. Sanctitas certè propriè accidens mentis sive animi, non corporis est: vel, si corpori tribuitur, ei certe non primariò & per se, sed secundario & καθ' ἄλλο inest, propter animam nempe per totum corpus diffusam, quæ si sancta est, sanctitatem etiam istam cum corpore communicat, ut & ipsum sit & appelletur sanctum. At mensis animi nihil inest: corpora sunt mera eaque ἄψυχα sive inanimata, non ἔμψυχα s. animata. Quî ergo recipi ab iis possit sanctitas quædam interior? Vidit hoc *Gregorius Nyssenus*, & vidisse se testatus verbis luculentis est lib. de Baptismo f. 257. Ita verò habent: *Altare hoc sanctum, cui adsistimus, lapis est natura communis, nihil differens ab aliis crustis lapideis, ex quibus parietes nostri exstruuntur, & pavimenta exornantur; sed quoniam DEI cultui consecratum atq; dedicatum est, ac benedictionem accepit, mensa sancta, altare immaculatum est, quod non amplius ab omnibus, sed à solis sacerdotibus iisq; venerantibus contrectatur.*

VII. Dices, Altare & mensam esse Synonyma Grammatica, sive ejusdem potestatis vocabula. Quî igitur alterum alterius Genus erit? Cùm Genus latius patere debeat, quàm Speci-

es. Equidem non nego, sed mensæ sacræ significationem vel laxam esse reperio, vel adstrictam. Hâc idem valet quod altare Christianorum, ut cap. præcedente ostensum; illâ verò latius patet, & præter altaria cæteras etiam complectitur mensas sacras in locis sacris repositas. Ac proinde omne quidem Christianorum veterum altare mensa fuit; sed non omnis mensa sacra fuit altare. Illæ enim mensæ, in quibus celebrabantur Agapæ i.e. Christianorum primorum convivia, sacræ etiam suo modo erant, non autem altaria.

VII. Hactenus *Genus*. *Differentia* petita partim à *loco*, partim à *fine*. *Locus* generatim est expressus: quia varius erat pro varietate temporum. Modo enim in ædibus privatis, modò in speluncis, modò sub dio, modò in Oratoriis, modò in templis conventus suos sacros primi agebant Christiani. Ubi autem conventus egere, ibi & mensas sacras, vel quicquid harum loco fuit, habuisse verisimile est.

IX. Finis multiplex erat. Præcipui post Gloriam DEI, fuisse videntur isti, quos definitio exhibet, nimirum ut ibi offerrentur sacra Christianorum munera, & inde S. Eucharistia celebraretur. Intermedius ergo inter Principales, oblatio munerum; ultimus verò, Eucharistiæ celebratio fuit. Hunc *Optatus Milev.* in descriptione altaris intelligit, quum ait: *Altare est sedes corporis & sanguinis Christi,* lib. VI p. 163. Illius verbis proximè præcedentibus fecerat mentio-

tionem: *Altaria*, inquiens, *in quibus fraternitatis munera non jussit Salvator poni, nisi quæ essent de pace condita.* Sed de his plura trademus capp. seqq.

CAPUT V.

DE ALTARIUM CONDITORIBUS, SIVE CAUSSIS EFFICIENTIBUS.

I. Causa altarium Efficiens Physica.
II. Moralis caussa multiplex. Episcopi curabant exstruenda altaria,
III. Papæ Rom. ædiles curules.
IV. Episcopi in ædificatione altarium consulti: primo non necessitate aliqua, sed libere.
V. Deinde legibus necessitas allata, consulendi eos.
VI. Reges & Principes inprimis sumtus suppeditabunt.
VII. Ministrorum regiorum studium in ædificandis altaribus.
VIII. Oeconomicus etiam ordo ædificationem altarium juvit.
IX. Instrumentales caussæ altarium.
X. Quid opifices impulerit ad exstruenda altaria.
XI Quid ordinem Ecclesiasticum.
XII. Quid Principes.
XIII. Quid plebem denique.

§. I.

CAussa altarium *efficiens* vel *vera & propriè* ita dicta, vel *minus proprie* talis eſt. Illa rurſus vel *principalis*, vel *Inſtrumentalis eſt*. *Principalis* iterum vel *Phyſica*, vel *moralis* eſt. *Phyſica* is eſt, qui menſam ſ. altare fecit ſua manu, atque ut materia, ex qua exſtruebantur altaria, varia erat, ita & cauſa illorum phyſicè efficiens, non ſemper una eademque fuit. Quod ſi ara fieret ex ligno, cauſa ejus phyſica faber lignarius erat; ſi ex auro argentove, aurarius; ſi ex lapidibus, cæmentarius vel lapicida; ſin ex alia materia, alius artifex; ſin ex multiplici, plures. Quoque ſplendidior ara eſſe debebat, hoc majori cura conquirebant artifices peritos & ingenioſos. Hinc Conſtantinus M. ad Macarium Hieroſolymorum Epiſcopum inter alia de exædificatione templi Servatoris hæc ſcribit. Τὸ λειπόμενον, ἵν' ἡ σὴ ὁσιότης τοῖς προειρημένοις διακασταῖς ἢ, τέχνος γνωρισθῆναι ποιήσῃ, ὅσων τ' ἐργατῶν καὶ τεχνιτῶν καὶ ἀναλωμάτων χρεία, καὶ πρὸς ἐμὲ εὐθέως ἀνενεγκεῖν σπουδάσῃ. *Reſtat, ut tua ſanctitas illis, quorum judicio, ut ſupra dictum eſt, rem permiſimus, quibus operariis, quibus artificibus, quibus denique ſumtibus opus fuerit; quam celerrimè ſignificet, ap. Euſebium* de Vit. Conſt. Magn. lib. III. cap. XXXI. f. 141. b. Unde colligere eſt, & Epiſcoporum conſilium de ædificiis ſacris exſtruendis fuiſſe petitum & auditum; & Principes

pes vel Reges eorumque miniſtros Politicos curam præcipue geſſiſſe illorum.

II. *Moralis* igitur *cauſa* tam per *Eccleſiaſticum*, quam *Politicum*, addo etiam *Oeconomicum* ordinem patebat. In illo erant Epiſcopi, Presbyteri, diaconi & alii vel ſumtus ſuppeditantes, vel conſilium ſuggerentes, vel conſenſum præbentes, vel ædificationem mandantes, vel gubernantes, vel alio modo eam juvantes. Conſtantinus M. ad Euſebium ſcribebat hunc in modum: ὅσων τοίνυν ἢ αὐτὸς προΐστασαι ἐκκλησιῶν, ἢ ἄλλους τοὺς κατὰ τόπον προϊσταμένους ἐπισκόπους, πρεσβυτέρους τε ἢ διακόνους οἶσθα, ὑπόμνησον σπουδάζειν περὶ τὰ ἔργα τῶν ἐκκλησιῶν, ἢ ἐπανορθοῦσθαι τὰ ὄντα, ἢ εἰς μείζονα ἄυξειν, ἢ ἔνθα ἂν χρεία ἀπαιτῇ, καινὰ ποιεῖν. *Quibuscunque Eccleſiis vel ipſe praees, vel alii Epiſcopi, Presbyteri & diaconi, ubicunque terrarum, quas noſti, præficiantur, vobis omnibus videndum eſt, ut earum ædificia ſedulo accurentur; quo vel ea quæ remanent reficiantur, laxioraque fiant; vel ubi neceſſitas poſtulaverit, de integro exædificentur*, apud *Euſebium* de vit. Conſt. M. lib. II. cap. XLV. f. 133. a. De Eccleſiarum ſive ædium ſacrarum hîc loquitur ſtructurâ, ubi non debent excludi altaria, ſeu menſæ ſacræ, quæ pars illarum fuerunt. Qui enim totam ædem exſtrui jubet, ille & partes vult exſtrui. Hujus autem ædificationis curam mandat piiſſimus imperator Epiſcopis, nec his tantum, ſed etiam Presbyteris; Diaconis denique: non id quidem volens, ut ipſi ſuis ſumtibus ædificia ſacra excitent

(ſumtus enim à præfectis peti vult) ſed hoc tantum, ut ædificia ſacra fieri curent, mandent, & quomodo fieri debeant, præſcribant, quod etiam illi ſine mora fecere, ut ibidem narratur. Et ſicut Epiſcopis cæterisque Eccleſiæ miniſtris mandandi poteſtas conceſſa: ita obſequium injunctum præfectis eſt, quod diſerte teſtatur *Sozomenus* Hiſt. Eccl. lib. I. cap. VIII. f. 13. a. ὁ βασιλεὺς γράψας τοῖς κατὰ πόλιν ἐπισκόποις, καὶ τοῖς ἡγουμένοις τῶν ἐθνῶν, τοῖς μὲν ἐπιτάττειν, ὅτι βούλοιντο· τοῖς δὲ πειθαρχεῖν, καὶ σπουδαίως ὑπηρετεῖσθαι τοῖς ἱερεῦσιν. *Imperator ſcripſit tum ad Epiſcopos, tum tum ad præſides cujusque provinciæ: ad illos quidem, ut quæ vellent, imperarent; ad hos autem, ut morem gererent Epiſcopis, eorumque imperata ſtudioſe facerent.*

III. Nec tamen deſunt exempla Epiſcoporum, inprimis Romanorum, tanquam ditiorum, qui ſuis ipſi ſumtibus ædificarunt altaria. Sic *Hilarius* Papa ſeculo V. feciſſe dicitur altare argenteum, ut ex Libro Pontificali refertur Tom. IX. Concil. edit. Pariſ. f. 455. Sic *Gregorius* II. ſeculo VIII. in baſilica B. Pauli altare fecit, ut ex eodem libro narratur Tom. XVII. Concil. ed. Pariſ. f. 264. Sic *Gregorius III.* in Eccleſia B. Geneſii martyris altare erexit l. c. f. 313. Sic *Paſchalis* ſeculo IX. in baſilica S. Petri altare conſtituit Tom. XXI. Conc. ed. Par. f. 3. Imo ædificationi ac inſtaurationi templorum ac altarium ita operam dedere Romani Pontifices, ut ex omnibus à Sylveſtro vix unum reperire liceat, qui non

duo

duo, tria, plura templa, & multò plura altaria Romæ & alibi ædificanda curaverit, si iis, quæ *Platina* aliique referunt, fides habenda. Adeoque magis isti se præstitere architectos atque ædiles Curules, quàm Episcopos ac fidos Pastores. Secuti eos & alii aliorum locorum sunt Episcopi, in quibus facilè primas tenet *Patritius* secundus in Hiberniâ Episcopus, qui 365. Ecclesias, altaria verò, si non multò plura, certè non pauciora ædificasse dicitur, teste *Henrico de Erdfordiâ*, quanquam hujus non meminerit *Balæus* de scriptor. Britanniæ cent. I. cap. 44. in vitâ Patritii. De *Liborio* etiam Cenomanensi Episcopo *Surius* ex MScto quodam codice refert Tom. IV. de vit. Sanct. quod septendecim ædificarit Ecclesias. Ex quo judicare promtum est, quàm multa altaria idem fecerit, cum vixerit seculo IX. quo seculo mos iste plura in uno templo excitandi altaria prorsus invaluerat.

IV. Cæterum consilium Episcoporum in ædificandis altaribus fuisse petitum & auditum, ex Constantini M. epistolâ ad Macarium supra ostendi: Imò omnem ex his discendam fuisse rationem ædificia sacra exstruendi, ex *Sozomeni* citatis verbis patuit. Hinc Paulini Episcopi studio excitatum fuisse dicitur magnificum illud Tyriorum templum ap. *Euseb.* Hist. Eccl. lib. X. cap. III. f. 108. a. Καί τις ἐν μέσῳ παρελθὼν τῶν μετρίως ἐπιεικῶν, λόγου σύνταξιν πεποιημένος, ὡς ἐν ἐκκλησίας ἀθροίσματι, πλείστων ἐπιπαρόντων ποιμένων, ἐν ἡσυχίᾳ καὶ κόσμῳ τὴν ἀκρόασιν παρε-

χορδιῶν, ἑνὸς εἰς πρόσωπον τὰ πάντα δεξιοῦ καὶ θεοφιλοῦς ἐπισκόπου, οὗ διὰ σπουδῆς ὁ μάλιστα τῶν ἀμφὶ τὸ Φοινίκων ἔθνος διαπρεπῶν ἐν τύρῳ νεὼς φιλοτίμως ἐπεσκεύασο, τοιόνδε παρεῖχε λόγον. *Progrediebatur in medium quispiam ex his, qui moderati ac probati erant, doctrinæ Syntaxin tanquam in congregatione Ecclesiæ, quamplurimis pastoribus præsentibus, taciteq́; & decenter auscultantibus facturus, is coram Paulino per omnia optimo ac pio Episcopo, cujus studio templum illud eorum, quæ in Phœnicum sunt gente, celeberrimum apud Tyrios magnificè structum est, hujusmodi usus est sermone.* Eidem Episcopo & aræ exstructio tribuitur l. c. cap. IV. f. 111. Τὸ τῶν ἁγίων ἅγιον θυσιαστήριον ἐν μέσῳ θεὶς, αὖθις καὶ τάδε, ὡς ἂν εἴη τοῖς πολλοῖς ἄβατα, τοῖς ἀπὸ ξύλου περιέφραττε δικτύοις; *Sancta sanctorum, altare videlicet in medio posuit, & rursus hæc, ut multis essent inaccessa, ligneis cancellis circumdedit,* &c. Ad eundem modum Zeno Episcopus Gazæ altare exstruxisse dicitur apud *Sozomenum* Hist. Eccl. lib. V. cap. IX. f. 65. his verbis: Ἐπεὶ δὲ τὴν αὐτόθι ἐκκλησίαν ἔλαχεν ἐπισκοπεῖν, συνέβη δὲ τοῦτο ἐπὶ τῆς Θεοδοσίου βασιλείας, εὐκτήριον ἐδείματο οἶκον πρὸ τοῦ ἄστεος, καὶ θυσιαστήριον ἐν αὐτῷ ἐπήξατο. *Ubi Episcopatum illius Ecclesiæ sorte accepit (quod quidem accidit regnante Theodosio) extra urbem exstruxit Ecclesiam, & in eâ altare erexit.*

V. Cumque ratio illa consulendi de altarium ædificatione Episcopos, initio fuisset libera (neque enim ulla necessitas cogebat Constantinum); postea demum seculo VI. necessariam eam

eam esse voluit *Hormisda* Papa R., ita ut nullum sine præsulis consensu erigeretur altare. Decretum ejus exstat Tom. X. Concil. edit. Paris. f. 622. & ita habet: *Nullus Presbyter in ecclesiâ consecratâ aliud altare erigat, nisi quod ab Episcopo loci fuerit sanctificatum vel permissum, ut sit discretio inter sacrum & non sacrum; nec dedicationem fingat, nisi sit. Quod si fecerit, degradetur, si Clericus est; si verò Laicus, anathematizetur.* Id ipsum quoque postea præcepit Justinianus Novell. LXVII. cap.I. *Sancimus præ omnibus quidem illud fieri, & nulli licentiam esse, neque monasterium, neque Ecclesiam, neque orationis domum incipere ædificare,* πρὶν ἂν ὁ τῆς πόλεως θεοφιλέστατος ἐπίσκοπος παραγενόμενος εὐχήν τε ἐν τῷ τόπῳ ποιήσηται, καὶ σταυρὸν πήξαιτο, δημοσίαν ἐκεῖσε πρόοδον ποιησάμενος, καὶ τὸ πρᾶγμα φανερὸν ἅπασι καταστήσοι, *antequam civitatis DEO amabilis Episcopus* (advenerit &) *orationem in loco faciat* (fecerit, vi Græca verbi) *& crucem figat* (fixerit), *publicum processum ibi faciens, & causam*(rem)*manifestam omnibus statuens.* De altari hîc quidē nullum verbum: sed in Ecclesiâ simul comprehenditur, tanquam pars in toto. Nec ante templum illud ædificatum, sed eo demum absoluto. Itaq; qui templum inscio Episcopo exstruere non potuit, is nec ejusdem templi altare sine ejusdem consensu excitare debuit. Quanquam vi hujus legis necesse non fuerit, ad ædificationem altaris separatim atque adeo iterum Episcopi rogare sententiam & voluntatem; sed satis erat ante ædificationem templi communicasse cum Episcopo, cujus de templo erigendo

volun-

voluntas facultatem ſimul largita erat ædificandi altare. Qui enim vult antecedens, conſequens quoque velle intelligitur. Similiter cap. II. ejusd. Novell. ſancitur, ne quis prius templum ædificet, quàm cum Epiſcopo locutus fuerit, & modum impenſarum definiverit, quas facere velit in *luminaria*, *in ſacrum miniſterium*, *in domus cuſtodiam*, *& obſervantium alimenta*. Quod an non ſit conſulere de ædificando templo, adeoque etiam altari Epiſcopum, judicet rerum peritus lector. Videatur Novell. CXXI. cap. VII. ex quo idem licet colligi.

VI. In *Politico* ordine principatum tenebant Imperatores & alii Principes, *Chriſtiani* quidem, non *gentiles*: hi enim diſturbabant potius ſacra Chriſtianorum ædificia, tantùm abeſt, ut exſtruerent aut collapſa inſtaurarent. Hinc *Ambroſius* lib. V. epiſt. XXXI. f. 118. *Chriſtianus Imperator aram ſolius Chriſti didicit honorare.* - - - - - - *Numquid Imperator gentilis aram Chriſto levavit"?* Chriſtiani igitur Reges atque Principes unà cum templis altaria quoque ſuis ſumtibus excitare, inſtaurare, exornare ſolebant. Primus hoc feciſſe legitur *Conſtantinus M.* qui præter alia templa, ſplendidiſſimum illud atque magnificentiſſimum, quod Hieroſolymis olim fuit, Servatori ſacrum, exſtruxit ſuis ſumtibus, adhibito Macarii Epiſcopi Hieroſolymitani conſilio: ad quem inter alia hæc ſcribit apud *Euſebium* lib. III. de Vit. Conſt. M. cap. XXXI. f. 141. a. Προσήκει τοίνυν τὴν σὴν ἀγχίνοιαν, οὕτω

Δια-

διατάξαι τε καὶ ἑκάςου τῶν ἀναγκαίων ποιήσασθαι πρόνοιαν, ὡς οὐ μόνον βασιλικὴν τῶν ἁπανταχοῦ βελτίονα, ἀλλὰ καὶ τὰ λοιπὰ τοιαῦτα γίγνεσθαι, ὡς πάντα τὰ ἐφ' ἑκάςης καλλιςεύοντα πόλεως, ὑπὸ τοῦ κτίσματος τούτου νικᾶσθαι. *Par est, ut tua prudentia ita opus disponat, & provide res quasque accuret necessarias, quo non modo sanctuarium templi reliquis omnibus, quæ ubique sunt, pulchritudine antecellat: sed etiam cætera ejus partes tales sint, ut omnia templa, quæ in singulis civitatibus primas tenent, hujus ædificii dignitate longe superentur.* Postea de sumtibus nonnulla subjicit, quæ jam supra relata §. I. hujus capitis. Clarius de iis locutus est *Sozomenus* Hist. Eccl. lib. I. cap. VIII. f. 13. a. ubi de templis generatim: τῶν δὲ εὐκτηρίων οἴκων, inquit, οἱ μὲν ἀρκούντως μεγέθους ἔχοντες, ἐπανωρθοῦντο. οἱ δὲ εἰς ἐπίδοσιν ὕψους καὶ πλάτους λαμπρῶς ἐπεσκευάζοντο. ἑτέρωθι δὲ τὴν ἀρχὴν μὴ ὄντες, ἐκ θεμελίου ἐδημιουργοῦντο. τὰ δὲ χρήματα ἐκ τῶν βασιλικῶν θησαυρῶν ἐχορήγει ὁ βασιλεύς. *Quod autem ad sacra templa attinet, quæ satis haberent laxitatis, reficiebantur: alia altius erigebantur, latioraque non sine splendoris accessione fiebant. Nova etiam, ubi nulla ante fuissent, ab ipsis fundamentis exstruebantur. Pecuniam autem ad hanc rem ex ærario regio suppeditavit Imperator.* Cæterum aram quoque in Hierosolymitano illo templo fuisse, idemque cum eo initium eundemque auctorem habuisse, *Theodoritus* nos docet, Hist. Eccl. lib. I. cap. XXXI. f. 295. a. ubi dedicationem templi illius describit his verbis: συνελθεῖν δὲ καὶ τοὺς ἄλλους ἅπαντας

πανta-

πανταχόθεν ἐκέλευσε, καὶ τοὺς ὑπ' αὐτοῦ δομηθέντας καθιερῶσαι νεώς. συναπέλυσε δὲ καὶ τῶν ἐυνουστέρων ἀρχόντων τινὰς εὐσεβείᾳ καὶ πίστει λαμπρυνομένους, φιλοτίμως ἅπασι πάντα χορηγηθῆναι κελεύσας, οὐ μόνον ἀρχιερεῦσι καὶ τοῖς τούτοις συνεπομένοις, ἀλλὰ καὶ τοῖς δεομένοις ἅπασιν οἱ πανταχόθεν συνέτρεχον. διεκοσμεῖτο δὲ καὶ τὸ θεῖον θυσιαστήριον βασιλικοῖς τε παραπετάσμασι, καὶ κειμηλίοις λιθοκολλήτοις χρυσοῖς. *Convocatis undique aliis ad novi templi dedicationem, misit & prætores aliquot, quorum benevolentiam erga se singularem, quosque pietate ac fide claros esse perspexerat, quibus imperarat, ut benigne omnibus omnia praberentur, non sacerdotibus modo eorumque assecl is, sed aliis quoque, qui undecunque accurrissent. Ipsa ara divina regiis tapetibus donisq; aureis ac gemmatis conspiciebatur ornata.* Constantinum M. secuti alii Imperatores & Principes sunt, quos hîc recensere, nimis longum foret. Vide *Centurias Magdeburgenses* cap. VI. de congressibus publicis, & *Hospinian.* de Orig. templor. lib. I. cap. VI. f. 32. seqq.

VII. Locum hîc sibi aliquem etiam vendicant *ministri regum principumque* aulici atque politici. Nam & hi ædificationem altarium templorumque procurabant. Cum Constantinus M. templum Servatori exstruere in animo haberet, τοῖς μὲν δὴ τῶν ἐθνῶν ἐπὶ τῆς ἑῴας ἄρχουσιν, ἀφθόνοις καὶ δαψιλέσι χορηγίαις, ὑπερφυές τι καὶ μέγα, καὶ πλούσιον ἀποδεικνύναι τὸ ἔργον, *Gentium præfectis orientem versus habitantium mandabat, ut adjumentis necessariis abundanter & copiose subministra-*

ſtratis, opus eximium, amplum & magnificum fabricandum curarent, apud *Euſeb.* de vit. Conſt. M. lib. III. cap. XXVIII. f. 141. a. Et ad Macarium l.c. cap. XXX. idem Imperator ſcribit hunc in modum: περὶ μὲν τῆς τ̃ τοίχων ἐγέρσεώς τε καὶ καλλιεργίας, Δρακιλιανῷ τῷ ἡμετέρῳ φίλῳ τῷ διέποντι τὰ τῶν ἐπαρχιῶν μέρη, καὶ τῷ τῆς ἐπαρχίας ἄρχοντι παρ' ἡμῶν τὴν φροντίδα ἐγκεχειρῆσθαι γίνωσκε. *De parietibus erigendis, exquiſitoque artificio perpoliendis, tum Draciliano amico noſtro, qui nonnullas aliarum provinciarum partes adminiſtrat, tum veſtræ etiam provinciæ præfecto, ſcito curam à nobis eſſe impoſitam.* Eorundem opera uſos & alios Imperatores, Reges, Principesque eſſe, non opus eſt, teſtimoniis planum facere, cum nemo dubitet vel neget.

VIII. De *Oeconomico* ordine dicendum reſtat, ut conſtet, an ad hunc etiam ædificatio altarium pertinuerit, nec ne? Pertinuiſſe verò ſequentia argumento ſunt. Primo enim in ædibus privatis ſolebant convenire Apoſtoli & diſcipuli Chriſti Actor. I, 13. II, 46. ut in domo Cornelii Act. X, 24. & Mariæ Act. XII, 12. ibique quotidie doctrinam de Chriſto tradere Act. V, 42. etiam cœnam Domini celebrare. Quorum ergo domibus ad conventus ſacros uſi ſunt Apoſtoli & diſcipuli Chriſti, eorum etiam menſas ad S. Cœnæ celebrationem adhibuiſſe, probabile eſt. Menſarum autem in privatis ædibus origo ad ipſos patres familias referenda, qui vel hæreditate aut dono conſequi, vel ſuis ſibi

ſum-

ſumtibus comparare ejusmodi ſupellectilem ſolent. Deinde ubi jam furore tyrannorum exſtincto, & pace Eccleſiis reddita, major Chriſtianorum cura in ædificiis ſacris poni ſolebat, plebs etiam poteſtatem ſibi ſumſit condendi altaria multaque paſſim condidit, quæ tamen certis de cauſſis improbavit Concil. Carthag. IV. aliis V. cap. XIV. his verbis: *Quæ per ſomnia & per inanes quaſi revelationes quorumlibet hominum, ubique conſtituuntur altaria, omnimodò improbentur.* Cod. Can. Eccl. African. Tom. I. Bibl. Juſtell. f. 371. & Tom. III. Concil. illuſtrat. p. 378. ubi diſerte altaria dicuntur *per ſomnia & inanes revelationes conſtitui*, à quibus vero? certe non ab Epiſcopis aut Presbyteris, ſed *quibuslibet hominibus*, ſomnia ſua & revelationes ſequentibus. Deniquè multi privati iique opulentiores exſtruere ſolebant ædes ſacras. At ſine altaribus ſeu menſis dominicis exſtruxiſſe, nemo facile aſſeret, aut uspiam aſſertum reperiet. Hactenus *Cauſæ principales*.

IX. *Cauſæ Inſtrumentales* ſunt ipſa artificum inſtrumenta, de quibus hîc dicere nihil attinet.

X. Cauſæ vero efficientes minus proprie ita dictæ, *impulſivæ* ſive *impellentes* ſunt, eæque variæ pro varietate cauſſarum principalium. Opifices ſive artifices ad ædificandum adductos eſſe veriſimile eſt lucri cupiditate. Eſt enim id genus hominum mercenarium, nec cuiquam facile gratis ſuam addicere ſolet operam. Niſi

forte

forte quosdam *religio* impulerit ad exſtruendum in honorem DEI altare.

XI. Epiſcopos, Presbyteros & cæteros ejusdem ordinis, Apoſtolorum tempora ſecutos, ut certas haberent menſas ſacras, quibus uterentur ad SS. Euchariſtiam celebrandam, potuit forſan moviſſe præceptum Apoſtoli 1. Cor. XIV, 40. πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω· *Omnia decenter & ſecundum ordinem fiant.* Nam τάξις καὶ εὐσχημοσύνη omnino requirebat, ut certus in Eccleſia conſtitutâ locus eſſet, ubi ſacra Euchariſtia diſpenſaretur.

XII. Eadem cauſſa poteſt impuliſſe poſtea alios, itemque Imperatores & Principes Chriſtianos ad exſtruenda altaria. Fortè etiam acceſſit *religio & pietas in DEUM*, quem ut templis, ita & altaribus honorandum cenſuerunt. Hoc certum, ad ornatum & magnificentiam altarium incitamento illis fuiſſe ſtudium propagandi religionem Chriſtianam, eamque notiorem, gratiorem & ſplendidiorem efficiendi. Quo de apud *Euſebium* in vita Conſtantini M. multa indicia reperire licet.

XIII. Plebs denique adducta eſſe videtur *ſomniis & revelationibus variis*; quæ tamen cauſſa cæterorum etiam ordinum homines nonnullos attingit. Neque enim hi ab omni omnino ſuperſtitione ſemper vacui fuerunt: quin ejus ſæpe auctores rudi plebeculæ exſtiterunt, deteſtandâ temeritate. Illud verò ita eſſe, Concil. Carthag. l. c. ſatis perſpicuè docet. Cum enim

ibi improbari jubeantur *altaria, per somnia & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubique constituta*, nemo non intelligit, constituta per somnia & inanes revelationes multa illo tempore altaria fuisse. Accedit testimonium *Pauli Diaconi* lib. VI. cap. II. de gestis Longobard. & in Chron. narrantis, nonnullos circa A. C. 682. tempore Constantini V. Imp. cognomento Pogonati, cum per tres menses, Julium, Augustum & Septembrem pestis Ticinum adeò depopulata esset, ut herbæ & fruticeta enascerentur in plateis, per revelationem didicisse, pestilentiam non prius abituram, quàm Sebastiano Martyri altare in Basilicâ Petri exstrueretur. Exstructo altari, & reliquiis Sebastiani Româ Ticinum translatis, eventum respondisse & luem quievisse. Unde nata superstitio illa de *Sebastiani* contra pestem præsidio, quæ rudium in regno Pontificio animos vehementer occupavit. Sed & Episcopos his quandoque rebus motos esse, inprimis posterioribus seculis, illud inter alia altare persuadet, cujus mentio fit in epistolâ *Ludovici* Imperatoris filii Caroli M. ad Hilduinum scripta, quæ habetur in Areopagiticis, & citatur à *Baron.* Tom. IX. Annal. A. C. 754. n. II. f. 232. Ita verò ibidem describitur: *Altare quod ante sepulchrum sæpe fati sæpiusq; dicendi Dionysii per divinam & memorabilem revelationem, jussu ipsius sanctissimi martyris in honorem DEI & Apostolorum Petri & Pauli, qui præsentes ostendebantur, à beato & angelico viro Stephano summo Pontifice dedicatum est.*

CAPUT

CAPUT VI.

DE MATERIA ALTARIUM.

I. Altaria lignea.
II. Altaria lignea à veteribus esse adhibita, malè à quibusdam probatur. Notatur Hospinianus, & Richard. Montacutius.
III. Altare ligneum Petri.
IV. Quid de eo habendum.
V. Altaria lapidea.
VI. Eorum necessitas postea introducta.
VII. Quæ ratio afferri soleat pro altaribus lapideis.
VIII. Altaria aurea.
IX. Argentea altaria.

§. I.

VEterum altaria pleraque ex ligno vel lapide erant. Nonnulla ex auro & argento. De *ligneis* hæc loquuntur testimonia. *Athanasius* epist. ad solitariam vitam agentes Tom. I. f. 656. ἁρπάσαντες (loquitur de Ethnicis & Arianis) τὰ συμψέλλια καὶ τὸν θρόνον, καὶ τὴν τράπεζαν, ξυλίνη γὰρ ἦν, καὶ τὰ βῆλα τῆς ἐκκλησίας, τά τε ἄλλα ὅσα ἠδυνήθησαν ἐξενέγκαντες, ἔκαυσαν ἔμπροσθεν τοῦ πυλῶνος ἐν τῇ πλατείᾳ τῇ μεγάλῃ, καὶ λίβανον ἐπέβαλον, *subsellia, thronum, mensam (erat enim lignea) tabulas Ecclesiæ, & cætera, quæ potuere, foras elata combusserunt ante vestibulum in magnâ platea, & thura insperserunt.* Optatus Milevitanus lib. VI. contra Parmen. p. 163. *Alio loco* (in Donatistas invehitur, altaria frangentes, radentes & removentes) *copia lignorum frangi jussit;*

 alio

alio, ut altaria raderent, lignorum inopia imperavit; ut removerentur ex parte verecundia jussit; ubique tamen nefas est, dum tantæ rei manus sacrilegas & impias intulistis. Quid perditorum conductam referam multitudinem? & vinum in mercedem sceleris datum? quod ut immundo ore sacrilegis haustibus biberetur, calida de fragmentis altarium facta est. & pag. 166. *Quis fidelium nescit, in peragendis mysteriis ipsa lignea linteamine cooperiri? inter ipsa sacramenta velamen potuit tangi, non lignum. Aut si tactu posset penetrari velamen, Ergo penetrantur & ligna. Si penetrari possunt ligna, penetratur & terrâ. Si â vobis lignum raditur, & terra, quæ subter est, fodiatur.* Augustinus lib. III. contr. Crescon. Grammat. Tom. VII. Oper. f. 267. *Maximianus Episcopus Catholicus Bagaiensis, dicta inter partes judiciariâ sententiâ, basilicam fundi Calmanensis evicerat, quam vestri illicitè aliquando usurpaverant. Hanc cum jure perspicuo retineret, in eâ ipsâ sub altari, quò confugerat eodem supra se fracto, ejusq; lignis aliisq; fustibus, ferro etiam crudeliter cæsus, totum illum locum sanguine opplevit.* Idem recenset epist. L. Tom. II. oper. f. 220. *Supra dictum quippe Episcopum Vagiensem* (Maximianum), *quoniam apud ordinarium judicem dicta inter partes sententiâ obtinuerat basilicam, quam illi*(Donatistæ)*cum catholica esset, invaserunt, stantem ad altare irruentes horrendo impetu & furore crudeli, fustibus & hujuscemodi telis, lignis deniq; ejusdem altaris effractis immaniter ceciderunt, pugione etiam percusserunt in inguine.*

II. Alii idem quoque effici volunt sequen-

quentibus B. *Augustini* testimoniis, ut Tract. XXVI. in Johann. Tom.IX.f. 230. *Hujus rei sacramentum, id est, unitatis corporis & sanguinis Christi, alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominicâ mensâ præparatur & de mensâ Dominicâ sumitur.* Et Tract. LXXXIV. f.451. *Ad mensam Domini accedimus.* Verùm non apparet ratio consequentiæ. Hoc tantùm inde colligi rectè posse existimo, 1. quod alii SS. Patres appellarunt altare, id ipsum hîc mensam Domini & Dominicam vocari, 2. finem ejus in Ecclesiâ hunc fuisse, ut in eâ præpararetur & inde sumeretur sacramentum corporis & sanguinis Christi, 3. idq; alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum factum, 4. veteres S. Eucharistiâ usuros ad mensam Domini accessisse. Ad materiam autem mensæ quod pertineat, nihil omnino hîc occurrere video, nisi forte *mensæ Domini* appellatio tale quid efficere debeat. Quod si ita esset, aut *mensa Domini* quatenus *mensa* appellata, aut quatenus *Domini mensa* dicta, ligneã se fuisse probaret. At neutro modo probat. Non illo: quia, si mensa illa Domini fuit lignea, quia mensa dicta, consequens erit, omnem omnino mensam tam sacram quàm profanam, esse ligneam: quo nihil inanius ne excogitari quidem potest. Nec isto: quia si mensa Domini intelligitur lignea, propterea, quia mensa Domini est, sequetur, omne id, quod dicitur mensa Domini, esse ligneum. Lignea igitur forte etiam fuerit mensa illa Domini, cujus unà cum mensâ dæmoniorum participes Corinthios pos-

se fieri negabat Apostolus 1. Cor. X, 21. lignea quoque erunt omnia Christianorum tam veterum quàm recentiorum altaria, quæ ut olim, ita adhuc vocari solent mensæ Domini. Absurdum. Idem sibi responsum habeat *Hospinianus*, qui lib. II. de Orig Templor. cap. VI. f. 87. ligneam mensam probare conatur illo Athanasii epist. ad Orthod. Tom. I. f. 729. *In sacrosanctâ autem mensa proh! quanta impietas & facinora commissa?* Idem etiam *Richard. Montacutius*, qui unicum illud *Ignatii* altare ligneum fuisse scribit ideò quod fuerit mensa Domini, Orig. Eccles. Tom. I. part. II. f. 327. ligneum etiam illud *Nazianzeni*, ad quod Gorgonia accessit, eam ob caussam, quod appelletur promiscue modò τράπεζα, modò θυσιαστήριον, ibid. f. 328. Nulla consequentia.

III. Cæterum non in Africa tantum, ubi *Athanasius*, *Optatus* atque *Augustinus* vixere & scripsere, lignea exstiterunt altaria; in Europa quoque tale à primis Pontificibus Romanis adhibitum fuisse Pontificii volunt, idque servari quidam fingunt in Lateranensi Ecclesia. *Alexander ab Ales* part. IV. Summ. qv. 36. membr. 3. refert: *Altare ligneum, in quo Princeps Apostolorum & primi Pontifices sacra fecerunt, à Sylvestro in Lateranensem Ecclesiam collocatum.* Gabriel Biel lect. XIII super Can. f. 17. *In Lateranensi, inquit, Ecclesia est altare ligneum: quod quidem Altare ob Apostolorum principis (qui super hoc altare dicitur Dominicum celebrasse sacramentum) & sanctorum praecedentium Martyrum reverentiam reservatur.* Paulus

Aringhus

Aringhus vero Rom. Subterran. lib. III cap. 38. p. m. 541. (vel edit. Rom. lib IV. cap. 43. f. 374.) in æde S. Praxedis illud reperiri ſcribit, addita ſimul inſcriptione, qua ornatum eſt. Verba ejus hæc ſunt: *Extat porro in eadem Eccleſia ad dexteram intrantibus altare ligneum, ad modum arcæ compactum, in quo B. Petrus, dum apud Pudentem hoſpitio receptus moraretur, ut pia fert traditio, immortali DEO ſacrificium offerebat. Lignea autem altaris tabula, præ vetuſtate nimia conſumta, ſub altari lapideo locata reperitur, in quo S. Petri ſtatua cernitur. Hoc autem titulo notatum eſt:*

IN HOC ALTARI S. PETRUS
PRO VIVIS ET DEFUNCTIS AD
AUGENDAM FIDELIUM
MULTITUDINEM
CORPUS ET SANGUINEM
DOMINI OFFEREBAT.

IV. Verum (1.) etſi forſan Petrus cæterique ab eo Romani Epiſcopi *poſſunt adhibuiſſe* menſam quandam ſive aram ligneam; nondum tamen conſtat, *adhibuiſſe*. Recentiores id tradunt; ſed veterum deſtituti ſuffragiis. *Hieronymus* quidem lib. contr. Vigilantium, *Romanum Epiſcopum* ait *ſuper mortuorum hominum Petri & Pauli oſſa veneranda offerre Domino ſacrificia, & tumulos eorum Chriſti arbitrari altaria*, Tom. II. f. 123. Verum hæc ad altare ligneum Petri nihil pertinent. Et (2.) ſi altari ligneo eoque portatili


utendum fuit Petro, ejusque ſucceſſoribus proximis ob diras & funeſtas Chriſtianorum clades, ut ſcribit *Auctor* mirabilium urbis Romæ, quem edidit *Joh. Lupardus Romanus* in deſcript. Eccl. Lateran. p. 4. quomodo poſſunt iidem ædificaſſe Romæ templa? quomodo S. Savianus viventi Petro poteſt condidiſſe templum & conſecraſſe, quod nonnulli ajunt? quomodo Anacletus poteſt præcepiſſe, ut ſinguli Epiſcopi quotannis Limina h. e. templum D. Petri Romæ viſerent? Cum tamen Cornelius Papa 140. annis ad minimum poſt Anacletum in Decretalibus ſuis ſcribat, ſe primum corpus Petri eruiſſe & Romæ in Apollinis templo condidiſſe. Quomodo Alexander I, qui A. C. 114. Eccleſiæ Romanæ præfuit, poteſt in honorem B. Petri Romæ templum fabricaſſe, ut *Durandus* lib. VII. cap. 19. Ration. fingit? Quomodo Hyginus, ut *Platina* p. 17. refert, poteſt inſtituiſſe, ne templa ſine celebratione dedicarentur, neve augerentur diminuerenturque ſine arbitratu Metropolitani vel Epiſcopi; & vetuiſſe, ne tigna & alia ad ædificanda templa congeſta in profanos uſus converterentur? Quomodo Clemens I. epiſtola ad Jacobum poteſt juſſiſſe, Eccleſias facere per congrua loca? Certe quibus non poteſtas data, altare fixum ædificandi, eis multo minus permiſſum fuiſſe credibile eſt, templa exſtruere. Sed nihil opus hîc argumentatione eſt. Habemus confitentem *Polydorum Vergilium* de rerum inventor. lib. V. cap. VI. p. 355. cujus inter

ter alia verba hæc ſunt: *A Chriſti ſtatim aſcenſu in cœlum, Judæi cœperunt Chriſtianos crudeliter perſequi, deinde Nero princeps, deinde Domitianus, deinde alii, & poſtremo Diocletianus ac Maximianus acerbiſſime afflictarunt. Quo ferè toto temporis intervallo, tantum aberat, ut aliquod templum à noſtris Chriſtianis publice ædificaretur, ut etiam omnia eſſent occulta, & ſacella potius atque eadem abdita & plerumq; ſubterranea, quam apertis in locis ac publicis fierent.* Conf. *Sabellicus* Ennead. VII. lib. VI. *Hoſpin.* de Orig. Templ. lib. I. cap. VI. f. 26. ſeqq. (3.) Sed ut ad ligneum altare Petri revertamur, licet habuiſſe concedamus Primos Epiſcopos Romanos tale altare ſive talem menſam (cur enim negemus? modo ullo antiquitatis teſtimonio id planum fieri poſſet;) tamen illud eſſe hoc ipſum, quod in Lateranenſi templo hodie monſtrant Pontificii, admodum eſt incertum. Quæ ipſi eam in rem afferunt, domeſtica ſunt & recentiora, ab iisque profecta, quorum intereſt mentiri. Itaque nihil iis efficitur, nihil probatur. (4) Nec illud verum, quod ajunt, ſummos Pontifices eosque ſolos adhuc uſurpare altare illud ligneum. Hoc enim totum marmoreo eſt obtectum, in quo Romani Pontifices hodie ſacrificant, adeoque ipſum altare majus tabulis marmoreis quinque in modum arcæ eſt fabricatum, intusque incluſa arca illa Petri, ſi diis placet. Ita auctor mirabilium l. c. *In altari majori*, inquit, *in quo nemo præter Romanum Pontificem celebrat, eſt altare illud ligneum, in modum arcæ, quo utebantur primi illi*

Pontifices portatili, ob persecutionem. Ita *Onuphrius Panvinius* lib. VII. de urbis Ecclesiis p. 119. scribit: *In media Basilica Lateranensi posticum versus exstat ara maxima sive altare majus Basilicæ marmoreum, super cujus marmoreo ciborio, quatuor columnis cum capitulis Corinthiis sustentato, in tabernaculo ferreis cancellis optime circumcluso & munito exstant sacratissima Apostolorum Petri & Pauli capita. Sub altari hoc*, ait p. 126. *est altare ligneum à S. Sylvestro stabilitum, & ferreis cratibus septum, sub quo infinitæ sunt sine certe numero & nomine sanctorum reliquiæ.* Et mirum sane esset, altari Petri ligneo uti Pontifices, ac non potius mensa illa, in qua ultimam cœnam cum suis celebravit ipse Dominus. Hanc enim in Lateranensi Basilica esse, testantur *Lupardus* l. c. p. 5. & *Panvinius* l. c. p. 122. Sed credat Judæus apella. *Franciscus Gonzaga* certe Histor. Seraph. part. II. p. 338. quatuor locis haberi scribit, & part. III. p. 884. monast. 8. in monasterio S. Claræ Asturicæ Augustæ asservari ait fragmentum illius. Vide *Dorschæi* Exerc. ad Diatypos. Conc. Nic. de Cœna sect. II. p. 114. Sed hæc hactenus.

V. De *lapideis* altaribus nunc restat videamus. Hujusmodi in Ecclesia veteri fuisse, *Gregorius Nyssenus* libr. de Bapt. f. 257. his verbis testatur. *Altare hoc sanctum, cui adsistimus*, λίθος ἐστὶ φύσει μὲν (κατὰ φύσιν) κοινὸς *lapis est quidem natura communis, nihil differens ab aliis crustis lapideis, ex quibus parietes nostri exstruuntur & pavimenta exornantur.* Idem testatur *Chrysostomus* homil. XX. in 2. Corinth.

pag. 107.





VIII. f 886. θαυμαστὸν ἔστι πάλιν, λίθος μὲν ἐστι τὴν φύσιν, ἅγιον δὲ γίνεται, ἐπειδὴ σῶμα δέχεται Χριστοῦ. *Hoc* (altare) *rursum admirationem habet, natura quidem lapis est, sanctum autem efficitur, postquam Christi corpus excipit.* Idem *Prudentius* hymn. IX. de S. Cassiano p. 125.

Altar tepescit ore, saxum pectore.

Loquitur de altari, ubi tumulus S. Cassiani fuit, ibique se ait preces & lacrymas fundere, ut ore tepescat suprema ara, media autem pars pectore. Hanc verò dum *saxum* vocat, id simul innuit, altaria isto tempore fuisse saxea, vel uno saxo in formam altaris aptato, vel pluribus ita coagmentatis. Forte talia etiam fuerunt illa, quæ *Sidonius Apollinaris* lib. VII. ep. VI. ad Basilium p. 146. *herbosa & viridantia* appellat his verbis: *Videas in Ecclesiis aut putres culminum lapsus, aut valvarum cardinibus avulsis basilicarum aditus hispidorum veprium fruticibus obstructos. Ipsa proh dolor! videas armenta, non modo semipatentibus jacere vestibulis, sed etiam herbosa viridantium altarium latera depasci.* Certe lignea vix possunt fuisse, quæ prius putruissent, quam herbas tulissent. Lapideis autem id accidere facile potuit.

VI. Habuisse igitur constat altaria cum lignea, tum lapidea, ut adeo *liberum* fuerit, vel hujus vel illius generis adhibere. Id quod & rei natura & libertatis Christianæ ratio postulabat. Postea vero lignea improbata, & de lapide tantum facere altaria præceptum est. Sylvestro

id

id tribuunt Romano Episcopo, qui Constantini M. temporibus vixisse dicitur. Hunc *Gerson* lib. IV. contra Floret. & *Gabriel* Biel lect. XIII. in Can. ex Alexandro de Ales, sanxisse tradunt ut *altaria lapidea essent*. Sed hujus decreti nullam apud antiquos mentionem fieri ipse fatetur Cardinalis *Bona* rer. liturg. lib. I. cap. XX. p. 296. Cæterum Concilium Epaunense anno 9. seculi VI. celebratum statuisse legimus, *ut altaria nisi lapidea Chrismatis unguine non consecrentur*, Tom. X. Concil. edit. Paris. f. 645. & Concil. Illustr. *Hartmann.* & *Rüel.* Tom. III. Period. III. Peric. VI. Diatr. VI. p. 653. quem eundem canonem exstare etiam video in Excerptis *Egberti Eboracensis* Archiepiscopi Tom. XVII. Concil. edit. Paris. f. 495. & in Jure Canonico de Consecr. dist. I. Altaria nisi. In Capitulis Eccles. *Caroli* M. quoque sancitum legitur: *non consecranda altaria nisi lapidea*, append. I. c. 21. Tom. XX. Concil. ed. Paris. f. 301. Verum quanti ista valeant, alibi dicam.

VII. Rationem, cur ex lapide facta altaria, suppeditat Symeon Thessalonicensis de Templo apud Bevereg. not. in Pandect. Can. dicens: ἀπὸ λίθου δὲ τὸ θυσιαστήριον, ὅτι Χριστὸν εἰκονίζει, ὃς καὶ πέτρα ὠνόμασται, ὡς θεμέλιον ἡμῶν καὶ κεφαλὴ γωνίας, καὶ λίθος ἀκρόγωνος, καὶ ὅτι πέτρα πάλαι ταύτην ἐμιμεῖτο τὴν τράπεζαν, ἣ τὸν πάλαι ποτίζουσα Ἰσραήλ. *E lapide autem est altare, quia Christum refert, qui etiam Petra nominatur, tanquam fundamentum nostrum, & caput anguli & lapis angularis: & quia Petra, quæ olim Israëlem potavit,*

tavit, bujus mensæ imago fuit. Ipſe Symeonis liber exſtat in Tom. XXII. Magnæ Bibliothecæ Patrum edit. Lugdun. Aniſſonianæ A. 1677.

VIII. De *metallicis* juvat aliquid addere. Neque enim ligno lapideve contenti priſci Chriſtiani; de metallo etiam facienda curarunt altaria. Ita Pulcheria, Arcadii filia, Theodoſii ſoror, aureum dedicavit Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. *Sozom.* Hiſt. Eccleſ. lib. IX. cap. I. f. 117. ἐπιβεβαιοῦσα δὲ τὰ δόξαντα, καὶ θεὸν αὐτὸν, καὶ ἱερέας καὶ πάντα ὑπήκοον μάρτυρας ποιουμένη τῶν αὐτῇ βεβουλευμένων, ἐκ χρυσοῦ καὶ λίθων τιμίων θαυμάσιόν τι χρῆμα θεαμάτων κάλλιστον ὑπὲρ τῆς ἰδίας παρθενίας καὶ τῆς τοῦ ἀδελφοῦ ἡγεμονίας, ἱερὰν ἀνέθετο τράπεζαν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ Κωνσταντινουπόλεως, καὶ ἐπὶ τοῦ μετώπου τῆς τραπέζης, ὡς ἂν πᾶσιν ἔκδηλα ᾖ, τάδε ἐπέγραψεν. *Ut ea, quæ conſtituerat* (devoverat nimirum DEO virginitatem ſuam) *conſignaret, ac DEUM ipſum ac ſacerdotes omnesque ſubditos teſtes faceret voluntatis ſuæ, ex auro gemmisque pretioſis admirabile quoddam donarium & ſpectaculum omnium pulcherrimum pro virginitate ſua & imperio fratris, ſacram menſam Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ dedicavit: Idque ipſum ut cunctis eſſet conſpicuum, in fronte ejusdem menſæ literis expreſſit.* Pulcheriam imitati poſtea Romani Epiſcopi aliique ſunt idemque metallum ad altaria adhibuerunt. Hinc illud portatile in Eccleſia Ratisponenſi ad S. Emeranum pondo marcarum auri ſeptem & ſexaginta, Henrici IV. tempore exſtructum, quod ſeculo XIII. monachi vendere ſunt coacti, ut

ut ſatisfacerent Cunrado, quemadmodum ex *Urſpergenſis* Paralipomenis & *Nauclero* referunt *Conditores Centuriarum Magdeburgenſium* Cent. XIII. f. 294. 306. Videntur autem fuiſſe *laminæ aureæ* in modum altarium ita fabrefactæ, ut ipſa altaria lapidea vel lignea iis ceu veſte circundarentur. Idque non obſcure ſignificat *liber Pontificalis* in vita Hadriani I. qui ſeculo VIII. vixit, inſerta Tomo Concil. edit. Pariſ. XVIII. f. 36. his inprimis verbis: *In Baſilica S. DEI Genitricis, quæ eſt ad Præſepe, in altari ipſius præſepii fecit laminas ex auro puriſſimo hiſtoriis depictis, penſantes ſimul libras centum quinque* &c. & infra f. 38. *Hic idem eximius Papa altare B. Pauli Apoſtoli una cum ejusdem Confeſſionis foribus auro mundo ſacris decorans hiſtoriis mirifice ornavit, penſante libras centum triginta* &c. Et poſtea f. 39. *In altari majori Eccleſiæ B. Petri Apoſtoli fecit ex auro puriſſimo diverſas hiſtorias penſantes libras quingentas nonaginta ſeptem &c.* De Leone ſimile quid refertur ex eodem libro, Tom. XX. Concil. edit. Pariſ. f. 192.

IX. *Argentea* quoque reperio altaria, ſed à Pontificibus Romanis inprimis excitata. Ita Sixtus III. ſeculo V. *in Baſilicâ S. Mariæ juxta macellum feciſſe dicitur altare argenteum puriſſimum, librarum 300, & aliud in æde S. Laurentii, ejusdem ponderis*, teſte libro Pontificali in ejus vitâ T. VII. Conc. edit. Pariſ. f. 1. & 2. Tale ſeculo eodem etiam fecit Hilarius Papa librarum 40. ut ex eodem libro traditur Concil. cit. Tom. IX. f. 455. vid. Tom. XX. f. 196. 198. 206. 207. Ita crevit lu-

xus in Ecclesiâ, à ligno vulgarique lapide ad aurum & argentum demum progressus. Et licet per se nec aurum nec argentum improbentur (ut enim altaria habere in sacris literis Christiani non sunt jussi: ita relictum quoque eorum arbitrio est, hujus vel illius generis adhibere materiam); improbandum tamen eorum studium est, qui plus soliciti de externo splendore, quàm interiori fidei ac conscientiæ puritate fuerunt. Nec ferè negari potest, quantum splendoris seculis posterioribus additum templis & altaribus fuit, tantum de hominum fide vitæque integritate detractum atque diminutum esse.

CAPUT VII.

DE FORMA ALTARIUM.

I. Quid formæ voce hîc intelligatur.
II. Summa altarium superficies plana fuit.
III. Figura quadrangula.
IV. Altitudo ejus à terrâ.
V. Fundamentum ejus seu fulcrum interdum moles lapidea fuit.
VI. Altaria subtus cava. *Jacere sub altari*, quid significet. Cryptæ altarium.
VII. Columnæ altarium.
VIII. Inscriptiones altarium.

§. I.

§. I.

FORMAM hîc appellamus externam altarium figuram, in eorum superficie hærentem, quæ cujusmodi fuerit, accuratè explicare est difficile, cum parum nobis de eâ reliquerit antiquitas. Aperiam interim, quæ mihi observata sunt, cætera relicturus iis, qui plus viderunt.

II. Ac primum quidem summam altarium superficiem, quam Aram vocabant, *planam* fuisse colligo, cùm ex eo, quod mensæ sunt & appellantur, quarum superficies plana est; tùm ex oblationibus iis superimpositis. Illud supra declaratum cap. III. §. III.; hoc sequentibus efficitur testimoniis. Canon Apostolorum, ut vulgò appellantur, III. Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος παρὰ τὴν τοῦ κυρίου διάταξιν τὴν ἐπὶ τῇ θυσίᾳ προσενέγκῃ ἕτερά τινα ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, ἢ μέλι, ἢ γάλα, ἢ ἀντὶ οἴνου σίκερα ἐπιτηδευτά, ἢ ὄρνεις, ἢ ζῶά τινα, ἢ ὄσπρια, ὡς παρὰ τὴν διάταξιν κυρίου ποιῶν, καθαιρείσθω· πλὴν νέων χίδρων ἢ σταφυλῆς τῷ καιρῷ τῷ δέοντι. *Si quis Episcopus aut Presbyter, præter ordinationem Domini, quam de sacrificio instituit, alia quæpiam, puta aut mel aut lac, aut pro vino siceram, aut confecta quædam, aut aves, aut aliqua animalia aut legumina super altare obtulerit, ut qui contra ordinationem Domini faciat, deponitor: excepto novo frumento & uvâ, oportuno tempore.* Pandect. Canon. Tom. I. f. 1. 2. Hîc cum alia prohibeantur, alia per-

permittantur offerri *ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον super altare*, eo ipso non obscurè simul significatur, altaria Christianorum eo tempore fuisse ita comparata, ut talia iis imponi possent. Aliàs enim interdicto ejusmodi non fuisset opus. Diatyposis Concilii Nicæni de Cœnâ habet ita: *ἐπὶ τῆς θείας τραπέζης πάλιν κἀν ταῦθα μὴ τῷ προκειμένῳ ἄρτῳ καὶ τῷ ποτηρίῳ ταπεινῶς προσέχωμεν. Iterum etiam hîc in divinâ mensâ ne humiliter intenti simus ad propositum panem & poculum.* Ubi disertè mentio fit panis & poculi *προκειμένου ἐπὶ τῆς θείας τραπέζης positi in divinâ mensâ.* Optatus Millevitan. lib. VI. contr. Parmen. 163. altaria Christianorum ita describit: *Altaria, in quibus vos aliquando obtulistis.* & postea: *Altaria, in quibus fraternitatis munera non jussit Salvator poni, nisi quæ essent de pace condita.* Iterumque: *Altaria, in quibus ante nos per longa temporum spatia sanctè, ut arbitror, obtulistis.* Ergo oblationess in altaribus factæ & positæ. Idem docet *Victor Uticensis* lib. III. persec. Afr. Tom. I. Orthodoxogr. f. 814. *It ad altare cum Eugenio, sicut mos est, qui fuerat cœtus, suæ salutis oblationem Domino redditurus, quam Episcopus accipiens altari imposuit.* Cum igitur oblationes in altaribus fuerint positæ, consequens omnino esse videtur, eorum superficiem fuisse planam, aliàs iis superimponi non potuissent.

III. Nunc quà *figura* fuerit, videamus. Ea verò, nisi me omnia fallunt, *quadrangula* fuisse videtur. Ad quod credendum, studium imitan-

di Ecclesiam Judaicam V. T., quod in priscis Christianis erat, me inprimis adducit. Cum enim veteres Christiani tam in aliis cerimoniis, quam in ædificatione templorum secuti Ecclesiam V. T. sint, quemadmodum pluribus ostendi posset, si quisquam de eo dubitaret, qui versatus in antiquitate est; idcirco valde probabile est, eosdem quoque in exstructione altarium Ecclesiam Judaicam sibi imitandam proposuisse, saltem in externa forma, ne aliàs, quoniam eâ de re nihil in N. T. exstat, formam altarium veterum temere neglexisse & ipsi novam excogitasse forte viderentur. Judæorum autem altaria τετράγωνα fuisse, perspicue docet Moses Exod. XXVII, 1. XXXVIII, 2. unde & gentiles suorum altarium mutuati formam sunt. Hinc ara Dianæ apud Eleos quadrangula, *Pausan.* Eliac. A. καὶ Ἀρτέμιδος παρ' αὐτὸν τετράγωνος βωμός. Deinde si Christiani usitatam istam altarium formam mutassent novamque finxissent, dubio procul aliquid de eo literis prodidissent. Sed ejusmodi nihil in eorum scriptis adhuc reperire licuit. Accedit, quod altaria eadem, quam tegmina loculorum, fuerint figura. Ita *Sozom.* Hist. Eccl. lib. IX. cap. 2. f. 118. τὸ δὲ ἐπίθεμα τῆς θήκης ὥσπερ εἰς ἱερὰν ἐξησκεῖτο τράπεζαν. *Ipsum porro loculi tegmen velut in mensam sacram fabrefactum erat.* At loculi eorumque tegmina quadrangula ut essent, ipsa humani corporis ratio videtur exegisse. Denique, ut alia taceam, quæ similis forte conjectura suggereret, venerabilis

Beda

Beda lib. V. Hiſt. Angl. cap. XVII. Tom. III. f. 181. ex Adamnani libro de locis ſanctis diſerte tradit, duo Hieroſolymis in æde Reſurrectionis quadrangula exſtitiſſe altaria. Verba ejus ita habent: *Lapis, qui ad oſtium monumenti poſitus erat, nunc fiſſus eſt, cujus pars minor quadratum altare ante oſtium nihilominus ejusdem monumenti ſtat: major vero pars in orientali ejusdem Eccleſiæ loco, quadrangulum aliud altare ſub linteaminibus exſtat.*

IV. Neque verò humilis fuit plana iſta & quadrangula altaris tabula, ſed humo ſe ſuſtulit, aliquâ aſſumtâ *altitudine*. Id quod vel nomen *altaris* docet, quod ab *altitudine* manaſſe, & ipſa elementa indicant, & veterum opinio tradit. *Walafridus Strabo* de rebus Eccleſ. cap. VI. f. 74. *Altare*, inquit, *quaſi altæ aræ nominantur.* Beda Comm. in Pſalm. 25 Tom. VIII. Oper. f. 555. *Altare quaſi alta ara.* Iſidorus Orig. lib. XV. cap. IV. f. 1197. *Altare ab altitudine conſtat eſſe nominatum, quaſi alta ara.* Vide quæ ſupra eam in rem dicta ſunt cap. I. §. V. VI.

V. Cum igitur alta fuerit ſumma altaris tabula, *fundamentum* aliquod oportet adfuiſſe, à quo ſuſtentata eadem. Hodie pleraque altaria *quadratæ lapidum moli* ſuperimpoſita ſunt. Cujusmodi veterum quoque nonnulla fuiſſe non dubito. *Sidonius* enim lib. VII. ep. VI. verbis ſupra citatis meminit *laterum altaris*, quæ *herboſa* fuerint, ut *armenta* ea *depaſci* potuerint. Id quod optimè de quadratâ mole, cui altare impoſitum fuit, intelligi poteſt. Nec video quî

aliter debeat. Solent enim è muris nasci herbæ, experientiâ teste. Fortasse & illa, quæ per agros & vias excitata fuerunt altaria, ut ex can. 14. Concil. Carthag. IV. aliis V. videre est, ejusmodi fundamentum postularunt. Planius hæc intelliguntur ex officio in dedicatione Templi usurpari solito. Hæc enim ibi de sacra mensa leguntur: Εἰ δὲ βωμὸς ἀνέχει ταύτην [τράπεζαν] εἴτε μονόλιθος, εἴτε συντεθειμένος ἐκ πολλῶν λίθων εἰς τὴν γινομένην παρὰ τοῦ τεχνίτου θήκην ἐν τῷ μέσῳ τοῦ βωμοῦ κατὰ τὴν πλεῦσιν, αὐτοῦ τὴν πρὸς τὸ σύνθρονον. *Sin autem illam* (mensam) *fulcit ara, sive unico lapide excitata, sive pluribus coagmentata in facto ab artifice loculo, in aræ medio, ad illam ejus partem quæ rectà Synthronon respicit.* vid. *Symeon* de Templo ap. Bevereg. l. c.

VI. Neque tamen omnia veterum fuerunt talia. Quippe *subtus cava* fuisse reperio nonnulla, ita ut homines sub iis cubare potuerint. Vide Fig. Sic de Alexandro Alexandriæ Episcopo *Ruffinus* Hist. Eccl. lib. I. cap. XII. f. 207. refert, quod is, cum quidam eum cogere vellent, Arium ut reciperet, ad altare tanquam ad asylum confugerit & sub eo jacuerit. Verba Ruffini ita habent: *Ad ultimum certam ei* (Alexandro) *diem statuentes denunciant* (ii nempe, qui Arium atque Eusebium sectabantur,) *ut aut ipse Arium susciperet, aut si reniteretur, se Ecclesia pulso & in exilium truso, ab alio eum suscipiendum sciret. Tum ille nocte, quæ ad constitutum intererat diem, SUB ALTARI jacens atque in oratione & lacrymis*

totam

totam pervigilem ducens, *Ecclesiæ caussam Domino commendabat.* Simile quid idem ille tradit de Ambrosio Basilicas Arianis tradere jusso. *Ambrosius*, inquit, *adversum Reginæ furorem non se manu defensabat*, *aut telo*, *sed jejuniis continuatisque vigiliis SUB ALTARI positus*, *per obsecrationes defensorem sibi atque Ecclesiæ DEUM parabat*, lib. II. Hist. Eccl. cap. XVI. f. 218. *Joachimus Hildebrandus* quidem Rit. Orant. cap. VII. §. XIV. p. 122. de *Cryptis* id interpretari mavult, in iis Episcopos DEUM veneratos esse existimans, cum veteribus dicantur *jacuisse sub altari.* Verum hic mirari quis non immerito posset, cur veteres, cum tam sæpe supplices sub altari jacuisse prodiderint, nusquam tamen cryptarum illarum mentionem fecerint. *Sub altari jacuisse* dicunt; *in cryptis sub altari*, dicere non memini. Et quamvis non adeo negaverim, cryptas forte sub aliquibus fuisse altaribus, (sepulcra enim sub iis fuisse, certum est;) tamen illas patuisse τοῖς προσφυξι *supplicibus*, nondum demonstratum. Corporibus & reliquiis Sanctorum eas tantum præbuisse locum & sepulchrum lego, non item supplicibus. Supplices autem confugisse ad altaria tanquam ad asyla, non tantum exemplo Alexandri & Ambrosii Episcoporum planum factum, sed idem etiam in Eutropio videmus, qui ad Ecclesiam, cui ante jus asyli injusta lege eripuerat, confugisse, ibique *sub altari jacuisse* dicitur ad evitandum Imperatoris iram. Narrat id *Sozomenus* Hist. Eccl. lib. VIII. c. VII. f. 108.

cujus verba hæc ſunt: εὐτροπίου δὲ σπουδῇ τίθεται νόμος, προστάττων μηδαμῇ μηδένα εἰς ἐκκλησίαν καταφυγεῖν, ἐξελαύνεσθαί τε καὶ τοὺς ἤδη προσπεφευγότας. οὐκ εἰς μακρὰν δὲ ὡς εἰς τὴν βασιλέως γαμετὴν ὑβρίσας ἐπιβουλευθεὶς, πρῶτος αὐτὸς παρέβη τὸν νόμον, καὶ ἀποδρὰς ἐκ τῶν βασιλειῶν ἱκέτης τὴν ἐκκλησίαν κατέλαβεν. ἡνίκα δὴ λαμπρόν τινα καθ' αὐτοῦ ὑπὸ τὴν ἱερὰν τράπεζαν κειμένου, κατέτεινε λόγον Ἰωάννης, τῶν μὲν ἐν δυνάμει τὴν ὀφρῦν καταςπῶν. Τῷ δὲ λαῷ δεικνὺς, ὡς οὐδὲν τῶν ἀνθρωπίνων ἐν ταὐτῷ μένειν φιλεῖ. *Eutropii vero cura ſancitur lex, præcipiens ne quis omnino ad Eccleſiam confugeret, & ut expellerentur etiam illi, qui ad eam jam confugerant. Non multò poſt autem ipſe quaſi Imperatoris conjugem contumelioſe tractaſſet, ex inſidiis impetitus primus ipſe legem ſuam prævaricatus eſt, & ex palatio profugus ad Eccleſiam ſupplex accurrit. Quo quidem tempore ſplendidam ſane Orationem adverſus illum SUB MENSA SACRA jacentem Johannes habuit: tum ut potentum ſupercilia retunderet, tum, ut populo declararet, quod humanarum rerum nihil in eodem ſtatu durare ſoleat.* Idem de eodem commemorat *Socrates* Hiſt. Eccl. lib. VI. cap. V. f. 256. ſimili uſus dictione, altaris tantum voce pro menſa poſita. τοῦ εὐτροπίου, inquit, ὑπὸ τὸ θυσιαστήριον κειμένου. *Eutropio SUB ALTARI jacente.* Nec alienum hoc loco illud eſt, quod de Maximiano cap. præced. retulimus ex *Auguſtin.* lib. III. contra Creſcon. Grammat. Tom. VII. f. 267. qui *SUB ALTARI, quo confugerat, eodem SUPRA SE fracto, ejusque lignis aliisque fuſtibus, ferro etiam*

crudeliter cæsus, totum illum locum sanguine opplevit. Forte huc etiam pertinet illud, quod in Caroli M. Capitulari Aquisgranensi cap. LXXI. sancitum legimus, ne scilicet *altaria pervia sint canibus*. Nisi de loco, ubi sacra reposita mensa, intelligere malis, quem altare etiam appellatum, supra observavimus.

VII. Evicto igitur, subtus fuisse cava veterum altaria, ideoque aliquam à terra altitudinem habuisse, hoc restare videtur expediendum, ut, quibus illa *fulcris* sustentata fuerint, expediamus. Videntur autem suffulta fuisse *columnis* quibusdam, nunc pluribus, nunc paucioribus, prout vel loci consuetudo postulavit, vel primis conditoribus visum fuit. Sic in officio in dedicatione Templi usurpari solito legimus: οἱ μὲν κίονες βαστάζουσι τὴν τράπεζαν εἰς τὸ ηὐτρεπισμένον ἐπὶ τοῦ ἐδάφους οἱονεὶ τάφον, μεταξὺ τῶν πρὸς ἀνατολὰς κιόνων. *Et columnæ quidem in præparato velut sepulchro mensam sustentant, in solo, columnarum videlicet interstitio ad Orientem vergente*, Symeon Thess. l.c. E vetustioribus plurium columnarum meminit *Synesius* in fine catastaseos f. 303. προσφύσομαι τῶν κιόνων τῶν ἱερῶν, αἳ τὴν ἄσυλον ἀπὸ γῆς ἀνέχουσι τράπεζαν. *Sacras columnas amplector, quæ puram & incontaminatam à terra mensam sustinent.* Cardinalis *Bona* quatuor hic intelligit columnas. Rationem ipse noverit. Ex verbis istis id quidem colligere non licet. Nec tamen negavero, quædam altaria quatuor habuisse. Quemadmodum etiam nonnullis duas tantum

fuisse, Roma subterranea eodem teste probat. Sic enim ille: *Sunt adhuc Romæ in cryptis & cæmeteriis quædam hujusmodi altaria duabus vel pluribus innixa columnis, quibus Christiani tempore persecutionis ibidem latentes utebantur.* Imò quandoque unam tantum columnam altare sustinuisse, illa subterranea indicant, quæ hodie Romæ in Ecclesia S. Cæciliæ videri, idem scribit l. c. p. 297. quale etiam altare B. Mariæ virginis in Blachernis esse traditur lib. XX. Historiæ Miscellæ.

VIII. Unum adhuc addo, nempe veterum altaria nonnulla fuisse *inscripta*, sive, ut Plautino more loquar, *literata*. Hoc est, solebant interdum veteres, altaria dedicantes, & suum dedicantium nomen & dedicationis caussam in fronte altarium inscribere, ut cunctis innotesceret. Exemplo Pulcheria est, quæ ὑπὲρ τῆς ἰδίας παρθενίας, καὶ τῆς τοῦ ἀδελφοῦ ἡγεμονίας ἱερὰν ἀνέθετο τράπεζαν, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ Κωνσταντινουπόλεως, καὶ ἐπὶ τοῦ μετώπου τῆς τραπέζης, ὡς ἂν πᾶσιν ἔκδηλα ᾖ, τάδε ἐπέγραψεν, *pro virginitate suâ & imperio fratris, sacram mensam Ecclesiæ Constantinopolitanæ dedicavit, idque ipsum ut cunctis esset conspicuum, in fronte ejusdem mensæ literis expressit*, ut est apud *Sozom.* Hist. Eccles. lib. IX. cap. I. f. 117.

CAPUT VIII.
DE
FINE ALTARIUM.

I. Finis Cui, ſolus DEUS.
II. Finis Cujus primarius ex parte DEI, eſt ipſius gloria.
III. Hæc verò ſita non in ſacrificiis propriè ita dictis;
IV. Sed tantùm in myſticis.
V. Preces publicæ ad altaria.
VI. Privatorum preces ad altaria.
VII. Preces dictæ ſacrificia.
VIII. Hymni ad altaria decantati.
IX. Hymni vocati ſacrificia.
X. Finis primarius ex parte hominis, isque intermedius, Oblationes.
XI. Ultimus, cœna Domini.
XII. Sacramentum altaris.
XIII. Quomodo cœna, quomodo item gloria DEI finis ultimi rationem habeant.
XIV. Fines ſecundarii, conſecratio variarum rerum.

§. I.

FINIS eſt vel *Cui*, vel *Cujus*. Ille, *ſolus DEUS* eſt. Huic enim ſoli ſacrificia eſſe offerenda, & Scriptura dictitat, & Antiquitas cenſet. De V.T. ſacrificiis propriè dictis ei ſoli offerendis loquuntur inprimis iſta Exod. XXII, 20. Levit. XVII, 7. Judic. XIII, 16. De oblatis, teſtatur univerſa V.T. Hiſtoria. Similiter N.T. ſacrificia DEo ſoli offerenda omnia illa evincunt loca, in quibus de illis fit mentio: neque enim iisdem alius præter DEUM commemoratur, cui

fuisse, Roma subterranea eodem teste probat. Sic enim ille: *Sunt adhuc Romæ in cryptis & cœmeteriis quædam hujusmodi altaria duabus vel pluribus innixa columnis, quibus Christiani tempore persecutionis ibidem latentes utebantur.* Imò quandoque unam tantum columnam altare sustinuisse, illa subterranea indicant, quæ hodie Romæ in Ecclesia S. Cæciliæ videri, idem scribit l. c. p. 297. quale etiam altare B. Mariæ virginis in Blachernis esse traditur lib. XX. Historiæ Miscellæ.

VIII. Unum adhuc addo, nempe veterum altaria nonnulla fuisse *inscripta*, sive, ut Plautino more loquar, *literata*. Hoc est, solebant interdum veteres, altaria dedicantes, & suum dedicantium nomen & dedicationis caussam in fronte altarium inscribere, ut cunctis innotesceret. Exemplo Pulcheria est, quæ ὑπὲρ τῆς ἰδίας παρθενίας, καὶ τῆς τοῦ ἀδελφοῦ ἡγεμονίας ἱερὰν ἀνέθετο τράπεζαν, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ Κωνσταντινουπόλεως, καὶ ἐπὶ τοῦ μετώπου τῆς τραπέζης, ὡς ἂν πᾶσιν ἔκδηλα ᾖ, τάδε ἐπέγραψεν, *pro virginitate suâ & imperio fratris, sacram mensam Ecclesiæ Constantinopolitanæ dedicavit, idque ipsum ut cunctis esset conspicuum, in fronte ejusdem mensæ literis expressit*, ut est apud *Sozom.* Hist. Eccles. lib. IX. cap. I. f. 117.

CAPUT VIII.
DE FINE ALTARIUM.

I. Finis Cui, ſolus DEUS.
II, Finis Cujus primarius ex parte DEI, eſt ipſius gloria.
III. Hæc verò ſita non in ſacrificiis propriè ita dictis;
IV. Sed tantùm in myſticis.
V. Preces publicæ ad altaria,
VI. Privatorum preces ad altaria.
VII Preces dictæ ſacrificia.
VIII. Hymni ad altaria decantati.
IX. Hymni vocati ſacrificia.
X. Finis primarius ex parte hominis, isque intermedius, Oblationes.
XI. Ultimus, cœna Domini.
XII. Sacramentum altaris,
XIII. Quomodo cœna, quomodo item gloria DEI finis ultimi rationem habeant.
XIV. Fines ſecundarii, conſecratio variarum rerum.

§. I.

FINIS eſt vel *Cui*, vel *Cujus*. Ille, *ſolus DEUS* eſt. Huic enim ſoli ſacrificia eſſe offerenda, & Scriptura dictitat, & Antiquitas cenſet. De V.T. ſacrificiis propriè dictis ei ſoli offerendis loquuntur inprimis iſta Exod. XXII, 20. Levit. XVII, 7. Judic. XIII, 16. De oblatis, teſtatur univerſa V.T. Hiſtoria. Similiter N.T. ſacrificia DEo ſoli offerenda omnia illa evincunt loca, in quibus de illis fit mentio: neque enim iisdem alius præter DEUM commemoratur, cui

illa facienda essent. De Ægyptiis prædixit Esaias cap. XIX, 22. fore, ut *JEHOVAM colant sacrificio & munere.* Et de omnibus gentibus ipse DEUS apud Malach. I, 14. *Ab ortu solis usq; ad occasum ejus magnum erit nomen meum in gentibus, & in omni loco suffimentum affertur NOMINI MEO, & munus purum* &c. Petrus 1. epist. cap. II, 5. omnes jubet Christianos *offerre hostias spirituales acceptas DEO per JEsum Christum.* Paulus similiter Rom. XII, 1. vult, ut *corpora* sua *offerant DEO hostiam viventem, ut offerant semper hostiam laudis DEO* Hebr. XIII, 5. &c. Idem docuit pia antiquitas, atque inde colligit, soli DEO erigenda altaria, non tantùm propriè ita dicta, sed etiam ea, ad quæ mystica tantùm N. T. celebrentur sacrificia. *Augustinus* lib. X. de Civ. D. cap. IV. f. 541. *Sacrificium certè nullus hominum est, qui audeat dicere deberi nisi DEO soli.* & postea: *Quis verò sacrificandum censuit, nisi ei, quem DEUM aut scivit, aut putavit, aut finxit?* Et lib. VIII. cap. XXVII. f. 492. negat Christianos suæ ætatis sacrificia offerre martyribus. *Nec tamen nos,* inquit, *eisdem martyribus, templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed DEus eorum nobis est DEUS. Honoramus sanè memorias eorum tanquam sanctorum hominum DEI, qui usq; ad mortem suorum corporum pro veritate certarunt, ut innotesceret vera religio, falsis religionibus fictisq; convictis: quod etiam si qui antea sentiebant, timendo reprimebant. Quis autem audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare etiam super sanctum corpus martyris*

ad

ad DEI honorem cultumq; constructum, dicere in precibus: Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane, cum apud eorum memorias offeratur DEO, qui eos & homines & martyres fecit, & sanctis suis angelis cœlesti honore sociavit, ut ea celebritate & DEO vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atq; palmarum eodem invocato in auxilium ex eorum memoriæ renovatione adhortemur? quæcunque igitur adhibentur religiosorum obsequia in martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra vel sacrificia mortuorum tanquam Deorum. Et postea: *Non ista esse sacrificia martyrum novit, qui novit unum, quod DEO illic offertur, sacrificium Christianorum. Nos itaq; Martyres nostros nec divinis honoribus nec humanis criminibus colimus, sicut colunt illi Deos suos, nec sacrificia illis offerimus.* Iterumque: *Non constituimus sacerdotes, nec offerimus sacrificia martyribus nostris: quia incongruum, indebitum, illicitum est, atq; uni DEO tantummodo debitum.* Idem repetit lib. XXII. cap. X. f. 1355. & id, quod consequens est, addit, nimirum Christianos nec templa nec altaria martyribus erigere. Verba hæc sunt: *Deniq; illi talibus Diis suis & templa ædificaverunt & statuerunt aras, & sacerdotes instituerunt, & sacrificia fecerunt. Nos autem martyribus nostris non templa sicut Diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud DEUM vivunt Spiritus, fabricamus: NEC IBI ERIGIMUS ALTARIA, in quibus sacrificemus martyribus, sed UNI DEO & Martyrum & nostro sacrificium immolamus: ad quod sacrificium sicut homines DEI, qui mundum*

in

in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à sacerdote qui sacrificat, invocantur. DEO quippe, non ipsis sacrificat, quamvis in memoria sacrificet eorum: quia DEI sacerdos est, non illorum. Ipsum vero sacrificium corpus est Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi. Alio loco aras soli DEO deberi, apertè asserit. Est ille in Enarr. Psalm XCIV. Tom. VIII. f. 1065. & ita habet; *Dæmonibus templa fabricata sunt, dæmonibus aræ constructæ, dæmonibus sacerdotes instituti, dæmonibus oblata sacrificia, dæmonibus arreptitii tanquam vates instituti. Hæc omnia dæmonibus gentes exhibuerunt, hæc omnia vera NON NISI UNI MAGNO DEO DEBENTUR.* Hinc serm. VI. in Matth. Tom. X. f. 22. ex aris probat divinitatem, existimans, cui ara ponatur, id etiam pro numine haberi. Verba ita habent: *Nam & illi quod numen habeant & pro numine accipiant illam statuam, ara testatur. Quid illic faciat ara, si illud non habetur pro numine? Nemo mihi dicat, non est numen, non est Deus. Jam dixi. Utinam sic ipsi norint hoc, quod novimus omnes nos. Sed quid habeant, pro quâ re habeant, quid ibi faciat, ara illa testatur.* Hactenus *Augustinus*. Sequitur eundem *Fulgentius*, qui perinde ut ille existimat, non nisi DEO altare strui oportere, atque inde, quod Abraham filio DEI, qui ei visus erat, altare ædificavit, eundem probat esse DEUM verum, lib. II. ad Monimum pag. 81. *Dicant*, inquit, *hæretici, utrum Patri an filio Abraham existiment construxisse altare? quia, cui altare construxit,*

ipsius utique nomen invocavit. Ipse autem non nisi DEO, qui ei visus est, altare construxit, quem hæretici filium dicere consueverunt. Cum igitur ex eo colligat, Christum pro DEO habendum, quod altare ei est ædificatum, oportet sanè eum hanc tenuisse opinionem, altare non nisi DEO deberi: aliàs enim vis argumenti nulla fuisset.

II. *Finis Cujus* est vel *primarius*, vel *secundarius*. Primarius vel DEUM respicit, vel homines. Ille est *DEI Gloria*. Neque enim veteres immemores hîc fuisse puto Paulini præcepti: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in DEI gloriam facite* 1 Cor. X, 31. immò verò memores fuisse, *Augustinus* perspicuè docet lib. VIII. de C. D. cap. XXVII. f. 492. altare dicens etiam super sanctum corpus martyris ad DEI honorem cultumque constructum fuisse.

III. Verùm in quo sita hic fuerit DEI gloria, in controversia est. Pontificii ponunt in sacrificiis propriè ita dictis, & horum gratia erecta fuisse volunt inde ab inito N. T. altaria Christianorum. At suo loco demonstrabitur, Christianos non habere sacerdotes, nec sacrificia, nec altaria proprie ita dicta. Quo posito, nec altarium Christianorum finem fuisse sacrificia propriè dicta, facilè concludetur.

IV. Nos igitur Scripturâ & antiquitate moti, in *sacrificiis tantùm mysticis & metaphoricis* collocamus DEI gloriam, in altarium seu mensarum sacrarum ædificatione à veteribus spectatam. Sacrificia autem ejusmodi mystica inprimis fuere *preces* & *hymni*. V. *Pre-*

V. *Preces* ad altaria fuiſſe conceptas, multa veterum loquuntur teſtimonia. Nos aliqua tantum modo delibabimus. *Optatus Milevitanus* lib. II. adv. Parmen. p. 63. *Inter vicina momenta, dum manus imponitis* (de Donatiſtis loquitur) *& delicta donatis, mox ad altare converſi, Dominicam orationem prætermittere non poteſtis.* Et lib. VI. p. 163. *Quid eſt tam ſacrilegum, quàm altaria DEI (in quibus & vos aliquando obtuliſtis) frangere, radere, removere? In quibus VOTA POPULI & membra Chriſti portata ſunt, quo DEUS omnipotens invocatus ſit, quò poſtulatus deſcendit Spiritus S.?* Et poſtea: *Si livoris judicio nos vobis ſordidi videbamur, quid vobis fecerat DEUS, qui illuc invocari conſueverat?* Et iterum: *Ibi libenter peccas, ubi pro multorum peccatis orare conſueveras.* Rurſus: *Cur vota & deſideria hominum cum ipſis altaribus evertiſtis? Illac ad aures DEI aſcendere populi ſolebat oratio. Cur concidiſtis precibus viam? & ne ad DEUM ſupplicatio de more ſolito adſcenſum haberet, impiâ manu quodammodo ſcalas ſubducere laboraſtis?* Ambroſius in exhort. ad virgin. ſub finem, Tom. I. f. 116. *Te nunc Domine precor, ut ſupra hanc domum tuam, ſupra hæc altaria, quæ hodie dedicantur, ſupra hos lapides ſpirituales, quibus ſenſibile tibi in ſingulis templum ſacratur, quotidianus præſul intendas, orationesque ſervorum tuorum, quæ in hoc loco funduntur, divinâ tuâ ſuſcipias miſericordiâ.* Idem perſuadent veterum Liturgiæ variis precum exemplis.

VI. Neque vero *publicæ* tantum ac ſolennes, ſed & *privatæ* privatorum hominum ibi fuſæ

ſæ preces ſunt. De Gorgonia certe *Gregorius Nazianzenus* Orat. in eandem hæc memoriæ prodidit. *Deſperatis omnibus aliis auxiliis ad mortalium omnium Medicum confugit* (Gorgonia) *atque intempeſta nocte captatâ, cum morbus nonnihil remiſiſſet* τῷ θυσιαςηρίῳ προσπίπτει μετὰ τῆς πίςεως, καὶ τὸν ἐπ' αὐτῷ τιμώμενον ἀνακαλȣμένη μεγάλῃ τῇ βοῇ, καὶ πάσαις ταῖς κλήσεσι, καὶ πασῶν αὐτὸν τῶν πώποτε δυναμένων ὑπομνήσασα. i.e. *Ad altare cum fide procumbit, eumq́; qui ſuper ipſo honoratur, cum ingenti clamore invocans omnibusq́; nominibus appellans, atq́; omnia ea, quæ unquam mirificè geſſerat, velut in memoriam ei revocans.* De ſupplicibus, ad altare DEUM venerantibus vide infra cap. XVII. §. 8.

VII. Cæterum *preces* vocatas *ſacrificia* eſſe, non tantùm Scriptura teſtatur Hebr. V, 7. Apoc. V, 8. VIII, 3. Sed etiam antiquitas. *Juſtinus Martyr* Dial. cum Tryphone f. 344. ὅτι μὲν ȣ̂ν καὶ εὐχαὶ καὶ εὐχαριςίαι ὑπὸ τῶν ἀξίων γινόμεναι, τέλειαι μόναι καὶ εὐαρεςοί εἰσι τῷ Θεῷ θυσίαι, καὶ αὐτός φημι. Ταῦτα γὰρ μόνα καὶ χριςιανοὶ παρέλαβον ποιεῖν, καὶ ἐπ' αἰαμνήσει τῆς τροφῆς αὐτῶν ξηρᾶς τε καὶ ὑγρᾶς, ἐν ᾗ καὶ τȣ̃ πάθȣς ὃ πέπονθε δι' αὐτȣ̃ ὁ θεὸς τȣ̃ θεȣ̃, μέμνηται. *Porrò ſupplicationes ſimul & gratiarum actiones, quæ à dignis peraguntur, ſolas perfectas eſſe & DEO caras victimas, ipſe quoq; affirmaverim. Has verò ſolas facere Chriſtiani didicerunt in ipſius etiam alimoniæ ſuæ recordatione, aridæ juxta & liquidæ: in quâ & paſſionis, quam pertulit per ipſum DEUS DEUM, mentio fit.* Tertullian. ad Scapulam f. 553. *Sacrificamus*

pro

pro salute Imperatoris, sed DEO nostro & ipsius: sed quomodo præcepit DEUS, pura prece. Non enim eget DEUS conditor universalis odoris aut sanguinis alicujus. Et Apol. adv. gentes f. 866. *Ei offero opimam & majorem hostiam, quam ipse mandavit, orationem de carne pudicâ, de animâ innocenti, de Spiritu sancto profectam.* Clemens Alexandr. lib. VII. Strom. f. 717. καὶ γὰρ ἔστιν ἡ θυσία τῆς ἐκκλησίας, λόγος ἀπὸ τῶν ἁγίων ψυχῶν ἀναθυμιώμενος, ἐκκαλυπτομένης ἅμα τῆς θυσίας καὶ τῆς διανοίας ἁπάσης τῷ θεῷ. *Est Ecclesiæ sacrificium, verbum quod à sanctis exhalatur animis, cum sacrificium simul aperitur & tota mens Deo.* & f. 728. αὐτίκα θυσίαι μὲν αὐτῷ, εὐχαί τε καὶ αἶνοι. *Atq; ei* (Christiano) *quidem sacrificia sunt ipsæ preces & laudes.* Origenes super Exod. Homil. X. Tom. I. Oper. f. 46. b. *Habeat* (Christianus) *in se defixum altare, in quo orationum hostias & misericordiæ victimas offerat DEO.* Eusebius Demonstr. Evangel. lib. I. cap. X. f. 40. θύομεν δῆτα τοιγαροῦν τῷ ἐπὶ πάντων θεῷ θυσίαν αἰνέσεως. θύομεν τὸ ἔνθεον καὶ σεμνὸν καὶ ἱεροπρεπὲς θῦμα. θύομεν καινῶς κατὰ τὴν καινὴν διαθήκην τὴν καθαρὰν θυσίαν. θυσία δὲ τῷ θεῷ πνεῦμα συντετριμμένον εἴρηται &c. *Sacrificamus igitur DEO altissimo sacrificium laudis. Sacrificamus DEO plenum & horrorem afferens & sacrosanctum sacrificium. Sacrificamus novo more secundum N. T. hostiam mundam. At sacrificium DEO spiritus contritus est.* &c. Gregor. Nazianzen. Orat. XX. f. 372. Καὶ νῦν ὁ μὲν ἔστιν ἐν οὐρανοῖς, κἀκεῖ τὰς ὑπὲρ ἡμῶν ὡς οἶμαι προσφέρων θυσίας, καὶ τοῦ λαοῦ προσδεχόμενος. *At nunc ille*

ille quidem (Basilius) *in cœlis est, illic etiam, ni fallor, sacrificia pro nobis offerens & pro populo preces fundens.* Et Orat. XIX. f. 305. de patre suo ægrotante scribit: θύει τὰ χαριστήρια *sacrificium gratiarum actionis offert.* Ambrosius epist. 28. ad Theodos. Imperat. f. 108 *Et simplex oratio sacrificium est.* Chrysostomus homil. XXIII in C. XIII. Hebr f. 1968. ποίαν θυσίαν λέγει; καρπὸν χειλέων ὁμολογούντων τῷ ὀνόματι αὐτοῦ. ἐκεῖνοι προσέφερον πρόβατα, μόσχους, καὶ ἐδίδοσαν τῷ ἱερεῖ· ἡμεῖς δὲ μηδὲν τούτων προσενέγκωμεν, ἀλλ' εὐχαριστίαν. τοῦτο βλαστησάτω ἡμῶν τὰ χείλη. τοιαύταις γὰρ θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ θεός. δῶμεν τοιαύτην αὐτῷ θυσίαν, ἵνα ἀνενέγκῃ τῷ πατρί. *Quodnam dicit sacrificium? Fructum labiorum confitentium nomini ejus. Illi offerebant boves & vitulos, & dabant sacerdoti. Nos autem nihil horum offeramus, sed gratiarum actionem. Hoc germinent labia nostra. Talibus enim hostiis bene meretur Deus. Demus ei hoc sacrificium, ut offerat Patri.* Augustinus de C. D. lib. V. cap. XXIV. Tom. V. f. 328. *Felices eos dicimus* (Christianos Imperatores) - - - *si pro suis peccatis humilitatis & miserationis & orationis sacrificium DEO suo vero immolare non negligunt.* Et quæst. Evangel. lib. I. quæst. XXXIV. Tom. IV. f 333. *Intelligendum templum & altare ipsum Christum: aurum & donum, laudes & sacrificia precum, quæ in eo per eum offerimus.* Petrus Chrysologus sermon. LXXIII p. 317. *Multò magis nos oportet laudis immolare sacrificium, vota solvere, suavitatis incensum adolere, & tota holocaustorum pinguedine DEO Patri victimas*

immolare, quando virgo mater enutrita & ablactata tot numero pignora, quot stellas cœli, Patri toto orbe repræsentat. Bernhardus sent. f. 121 D. *Tria sunt sacrificia: Pia contritio habens butyrum humilitatis & absinthium indignationis: digna operatio habens oleum discretionis & acetum confusionis: gratiarum actio habens balsamum devotionis & venenum ingratitudinis.*

VIII. Hactenus *preces*, nunc *Hymnos* audiamus sive laudationes DEI ad altaria decantatas, ad quas perinde ut ad preces respexisse veteres in altarium ædificatione nullus dubito. Decantatos autem fuisse ad altaria, *Augustini* non obscure indicant verba Retract. lib. II cap. X. Tom. I. Oper. f. 44. b. *Inter hæc Hilarius quidam vir tribunitius laicus catholicus, nescio unde adversus DEI ministros, ut fieri assolet, irritatus, morem, qui tunc esse apud Carthaginem cœperat, ut hymni ad altare dicerentur de Psalmorum libro, sive ante oblationem sive cum destribueretur populo, quod fuisset oblatum, maledica reprehensione, ubicunque poterat, lacerabat, asserens fieri non oportere. Huic respondi jubentibus fratribus, & vocatur liber ipse: Contra Hilarium. Hic liber sic incipit: Qui dicunt mentionem.* Hactenus *Augustini* verba, librum ipsum de cantibus ad altare, cujus hîc meminit, si haberemus, planius cognoscere possemus illum ritum. Interea contenti simus necesse est illis verbis, quæ nobis reliquit, quibus indicare videtur, consuetudinem illam canendi hymnos ad altare 1. non fuisse universalem ac per-

perpetuam, ſed 2. apud Carthaginem demum cœpiſſe eo ſeculo, quo ipſe floruit (floruit autem quinti initio) 3. eandem improbatam quidem à nonnullis; 4. probatam tamen ab orthodoxis fuiſſe. Auguſtino jungemus *Sidonium Apollinarem*, qui lib. IV. ep. XI. ad Petreium, inter alia Claudianum Presbyterum epitaphio ornat, in eoque ſequentia ponit:

> *Pſalmorum hic modulator & Phonaſcus,*
> *Ante Altaria fratre* (Epiſcopo) *gratulante*
> *Inſtructas docuit ſonare claſſes.*

IX. Atque ut preces, ita & hymni laudesque DEI ad *ſacrificia myſtica* atque adeo ad DEI gloriam referebantur. Teſtis ſcriptura Pſalm. XXVII, 6. LIV, 4. L, 14. 23. Hebr. XIII, 15. Pſalm. CVII, 22. CXVI, 17. Teſtis etiam antiquitas Eccleſiaſtica. *Clemens Alexandrinus* lib. VII. Strom. f. 728. Αὐτίκα θυσίαι μὲν αὐτῷ, εὐχαί τε καὶ αἶνοι, καὶ αἱ περὶ τῆς ἑστιάσεως ἐντεύξεις τῶν γραφῶν. Ψαλμοὶ δὲ καὶ ὕμνοι παρὰ τὴν ἑστίασιν πρό τε τῆς κοίτης. *Atque ei quidem ſacrificia ſunt ipſa preces & laudes, & quæ ante cibum fiunt ſcripturarum lectiones: Pſalmi autem & hymni, dum cibus ſumitur, & antequam eatur cubitum.* Origenes homil. IX. in Levit. cap. XVI. f. 78. a. *Habes ergo ſacerdotium, quia gens ſacerdotalis es, & ideò offerre debes DEO hoſtiam laudis, hoſtiam orationum &c.* Lactantius lib. VI. div. inſt. cap. ult. f.

107. b. *Duo sunt, quæ offerri debent, donum & sacrificium - - - - DEO utrumque incorporale offerendum est, quo utitur. Donum est integritas animi, sacrificium laus & hymnus.* Ambrosius lib. I. Offic. cap. X. f. 5. *Primum officium est, loquendi modus. Hoc sacrificium laudis DEO dependitur.* Gregorius Nazianz. Orat. XLII. f. 692. θύσωμεν μὴ μόσχους νέους, μηδὲ ἀμνοὺς κέρατα ἐκφέροντας καὶ ὁπλάς, παρ' οἷς πολὺ τὸ νεκρὸν καὶ ἀναίσθητον· ἀλλὰ θύσωμεν τῷ θεῷ θυσίαν αἰνέσεως, ἐπὶ τὸ ἄνω θυσιαστήριον, μετὰ τῆς ἄνω χοροστασίας. *Mactemus non vitulos novellos nec agnos cornua producentes & ungulas, quæ magna ex parte mortua sunt & sensu carent: verum DEO in superno altari cum cœlestibus choris sacrificium laudis immolemus.* Augustinus epist. CXX. ad Honoratum cap. XVIII. Tom. II. f. 597. *Ipse quippe in alio Psalmo illa* (sacrificia) *mutanda prænuncians, quæ tunc in umbra futuri offerebantur: Non accipiam, inquit, de manu tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Et paulo post, ut ostenderet sacrificium N. T. quando illo illa fuerant cessatura: immola, inquit, DEO sacrificium laudis &c.* Et Orat. adv. Judæos cap. VI. Tom. VI f. 71. *Illa* (sacrificia vetera) *DEUS accepturum se non fuisse, prædixit, cultoribus suis sacrificium laudis indixit.* Et postea: *Ad hoc Domino sacrificium laudis ab ejus cultoribus immolatur, ut qui gloriatur, in Domino glorietur.* Et Enarr. in Psalm. 94. Tom. VIII. f. 1065. *Si nos sumus templum DEI, ara DEI anima nostra est. Sacrificium DEI quid est? Forte hoc facimus modo. Imponimus in ara sacrificium, quando DEUM*

laudamus. *Docet enim nos Psalmus dicens: Sacrificium laudis honorificabit me &c.* Et lib. X. de C. D. Cap. IV. f. 540. *Ei* (DEO) *sacrificamus hostiam humilitatis & laudis in ara cordis igne fervidæ charitatis* Et hæc quidem de fine altarium primario, Deum qui respicit, dixisse sufficiat.

X. Alterum, ad *homines* qui refertur, duplicem fuisse puto, *intermedium* & *ultimum.* Illius rationem habebant *munera* ad altare offerri solita, quæ *Oblationes* vocabant. Solebant enim veteres ad altaria cum alia nonnulla, tum inprimis panem, vinum & aquam afferre, ut inde tantum sumeretur, quantum satis esset ad S. Eucharistiam, cujus convivæ tum erant omnes fideles, qui sacris intererant, reliquum autem cederet in usum Clericorum & pauperum. Ad altaria munera fuisse allata, iisque imposita, supra cap. VII. jam demonstratum. Plura de iis qui cognoscere cupit, legat *Gabrielem Albaspinæum* Observ. lib. I. obs. 5. p. 28. seqq. *Dorscheum* Exerc. ad Diatypos. Concil. Nicæn. de Cœn. sect. II. §. 21. p. 121. seqq. *Joachimum Hildebrandum* in Offertorio pro defunctis cap. IV. pag. 26. seqq. *Kortholtum* Comm. in Justin. Martyr. f. 52.

XI. *Ultimum* autem finem fuisse puto *S. Cœnæ præparationem, consecrationem & dispensationem.* Ideo enim veteres præcipuè erigebant altaria sive mensas, ut haberent, in quo S. Eucharistiam præpararent, & consecrarent, & unde dispensarent. Neque enim externa reverentia

aut τάξις καὶ εὐσχημοσύνη 1. Corinth. XIV,40 eos ſinebat ſacra ſymbola in terra tractare, aut alio loco minus honeſto. *Tertullianus* lib. de Orat. f. 793. *Nonne ſolennior*, inquit, *erit ſtatio tua, ſi & ad aram DEI ſteteris? Accepto corpore* Domini *& reſervato utrumque ſalvum eſt, & participatio ſacrificii, & executio officii.* Viden' olim fideles ſtetiſſe ad aram DEI & corpus Domini inde accepiſſe? Unde vero illi acceperunt, inde etiam diſpenſatum illud fuit, ibi etiam ſacra præparata & conſecrata fuiſſe Symbola credibile eſt. *Concilium Nicænum* Diatyp. V. memorat ἐπὶ τῆς θείας τραπέζης προκείμενον ἄρτον καὶ τὸ ποτήριον *in divina menſa propoſitum panem & poculum. Gregor. Nazianz.* Orat. in Gorgon. refert, eandem morbo laborantem ad altare noctu acceſſiſſe, ei caput admoviſſe, ac ſolicite quæſiviſſe, εἴπου τι τῶν ἀντιτύπων τοῦ τιμίου σώματος ἢ τοῦ αἵματος ἡ χεὶρ ἐθησαύρισε, *ſicubi quippiam antityporum* (i. e. Symbolorum) *pretioſi corporis aut ſanguinis manu ſua conſequi poſſet inſtar theſauri.* Ex quo intelligitur, ſacram Euchariſtiam illo tempore in altari tractatam, in eoque de ſacris ſymbolis aliquid interdum relictum fuiſſe. *Ambroſius* lib. de iis qui myſteriis initiantur cap VIII. Tom. IV. f. 427. *His abluta plebs dives inſignibus, ad Chriſti contendit altaria, dicens: Et introibo ad altare DEi, ad DEUM, qui lætificat juventutem meam. Depoſitis enim inveterati erroris exuviis, renovata in aquilæ juventutem, cœleſte illud feſtinat adire convivium.* De recens baptizatis loquitur, qui percepto baptiſmo, Eucha-

chariſtiæ ſtatim fieri participes ſolebant, ut non tantum ex hoc loco, ſed etiam ex lib. IV. de Sacramentis cap. II & III. (modo ne horum librorum auctor quivis potius alius, quam Ambroſius eſſet) itemque ex *Dionyſii* lib. de Eccleſ. Hierarch. cap. III. p. 118. & 129. *Hieronymi* Dial. adv. Luciferian. Tom. II. f. 145. *Rabani* lib. I. de Inſtit. Cleric. cap. XXIX. & aliis videre eſt. Cum igitur baptizati ad altare contenderint S. participaturi Euchariſtiam ſive cœleſte adituri convivium, ut *Ambroſius* loquitur, nemo non videt, paratum ſanctum illud convivium in ipſo altari indeque diſpenſatum fuiſſe. Quod etiam confirmat *Prudentius* iſto verſu:

> *Illa ſacramenti donatrix menſa &c.*
> περὶ στεφ. Hymn. IV. de Hippol.

Dionyſius Alex. Epiſc. ad Xyſtum Epiſc. Romanum ſcribit, quendam ab Hæreticis baptizatum iterum baptizari voluiſſe, ſe vero id non auſum facere, quod cognoverit, εὐχαριστίας ἐπακούσαντα, καὶ συνεπιφθεγξάμενον τὸ ἀμὴν, καὶ τραπέζῃ παραστάντα, καὶ χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείναντα, καὶ ταύτην καταδεξάμενον, καὶ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, μετασχόντα ἱκανῷ χρόνῳ, *eum & gratiarum actionem in Eccleſia audiſſe, & ad illam una cum aliis Amen ſuccinuiſſe, menſæ adſtitiſſe, manus ad ſuſcipiendum ſanctum cibum extendiſſe, illum etiam accepiſſe, & prolixo jam tempore corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti participem factum,*

apud *Eusebium* Hist. Eccl. lib. VII. cap. IX. f. 73. a. Moris ergo Dionysii Alex. & Xysti Romani tempore fuit, S. mensæ adsistere & manu accipere S. Eucharistiam, ac proinde etiam credibile, in mensa S. Symbola consecrata & ex ea distributa fuisse. *Optatus Milevitanus* lib. VI. adv. Parmen. p. 163. multo clarius: *Quid tam sacrilegum*, inquit, *quam altaria DEI* (*in quibus & vos aliquando obtulistis*) *frangere, radere, removere? In quibus vota populi & membra Christi portata sunt, quo DEUS omnipotens invocatus sit, quo postulatus descendit Spiritus Sanctus, unde à multis pignus salutis æternæ & tutela fidei & spes resurrectionis accepta est.* Rursus: *Quid enim est altare, nisi sedes & corporis & sanguinis Christi?* Et postea: *Quid vos offenderat Christus, cujus illic per certa momenta corpus & sanguis habitat?* Et iterum: *Dum impie persequimini manus nostras illic, ubi corpus Christi habitabat, feristis & vestras.* Ex quibus dilucide apparet, altaria Christianorum *Optati* ævo inserviisse celebrationi & dispensationi S. Eucharistiæ: quia dicuntur sedes corporis & sanguinis Christi, in quibus membra Christi portata sint, ubi Christi corpus & sanguis per certa momenta habitarit, unde denique pignus salutis æternæ, & tutela fidei, & spes resurrectionis à multis accepta sit. Idem docet *Chrysostomus* in 1. Corinth. X. homil. XXIV f. 538. ἐκεῖνοι [μάγοι] μὲν γὰρ καὶ ἐπὶ φάτνης ἰδόντες καὶ ἐν καλύβῃ, καὶ οὐδὲν τοιοῦτον ἰδόντες, οἷον σὺ νῦν, μετὰ πολλῆς τῆς φρίκης προσῄεσαν. σὺ δὲ οὐκ ἐν φάτνῃ ὁρᾷς, ἀλλ' ἐν θυσια-

σιαςηρίῳ, οὐ γυναῖκα κατέχουσαν, ἀλλ' ἱερέα παρεςῶτα, καὶ πνεῦμα μετὰ πολλῆς τῆς δαψιλείας τοῖς προκειμένοις ἐφιπτάμενον. οὐχ ἁπλῶς αὐτὸ τοῦτο τὸ σῶμα ὁρᾷς, ὥσπερ ἐκεῖνοι, ἀλλ' οἶσθα αὐτοῦ καὶ τὴν δύναμιν καὶ τὴν οἰκονομίαν ἅπασαν, καὶ οὐδὲν ἀγνοεῖς τῶν δι' αὐτοῦ τελεσθέντων, μετ' ἀκριβείας μυσταγωγηθεὶς ἅπαντα. *Nam illi quidem* (Magi) *cum & in præsepi vidissent & in tugurio, neque tale quippiam vidissent quale tu nunc, cum magna accesserunt reverentia. Tu autem non in præsepi vides, sed in altari, non feminam eum tenentem sed sacerdotem adstantem, & spiritum cum magna copia ea, quæ sunt proposita supervolantem. Non solummodo hoc ipsum corpus vides sicut illi, sed nosti ejus & virtutem & dispensationem, & nihil ignoras, ex iis, quæ per ipsum effecta sunt, ut qui in omnibus mysteriis, sis exacte & accurate initiatus.* Et homil. XX. in 2. Corinth. VIII. f. 886. Τοῦτο [τὸ θυσιαςήριον] μὲν γὰρ θαυμαςὸν διὰ τὴν ἐπιτιθεμένην ἐν αὐτῷ θυσίαν. *Hoc altare eximium atque admirandum est ob eam victimam, quæ in ipso imponitur.* & postea: θαυμαςὸν τοῦτο πάλιν, λίθος μὲν ὂν τὴν φύσιν, ἅγιον δὲ γίνεται, ἐπειδὴ σῶμα δέχεται χριςοῦ. *Rursum hoc altare natura quidem lapis est, sanctum autem efficitur, postquam Christi corpus excipit.* Et iterum: σὺ δὲ τὸ μὲν θυσιαςήριον τοῦτο τιμᾷς, ὅτι δέχεται τὸ χριςοῦ σῶμα. *Tu altare quidem illud in honore habes, quia Christi corpus capit.* Quod si altare Christi corpus capit, ita ut in eo illud videre liceat, quid aliud inde colligas, nisi S. Eucharistiam super altari etiam *Chrysostomi* ætate fuisse celebratam? Neque *Augustini*

gustini nos deficit auctoritas. Hic enim Tract. XXVI. in Johann. Tom. IX. f. 227. de altari Christianos accipere ait corpus Christi. Verba ita habent: *Et nos hodie accipimus invisibilem cibum: sed aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti. Quam multi de altari accipiunt & moriuntur, & accipiendo moriuntur.* Paulo post eosdem ad altare accedere, ut cœlestem panem manducent, non obscure innuit his verbis: *Videte ergo fratres, panem cœlestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate. Peccata etsi sint quotidiana, vel non sint mortifera, antequam ad altare accedatis, attendite quod dicatis: Dimitte nobis debita, nostra &c.* Sed omnium clarissime id, quod volumus, hæc exhibent verba f 230. *Hujus rei sacramentum, id est, unitatis corporis & sanguinis Christi alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica mensa præparatur, & de mensa Dominica sumitur: quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium.* Nullis hic opus consequentiis, cum diserte dicat, sacramentum corporis & sanguinis Christi præparari in mensa Dominica & inde sumi. Idem docet Tract. LXXX. in Johann. f. 451. *Quæ mensa est potentis, nisi unde sumitur corpus & sanguis ejus, qui animam suam posuit pro nobis?* Hactenus *Augustinus*. Addo *Petrum Chrysologum* serm. 161. p. 673. cujus hæc sunt verba: *Tunc tanto tempore ministrarunt Apostoli discumbenti* (Christo) *quanto tempore inter peccatorum coquinas & gentium focos cœnam Domini super mensas Ecclesiæ in memoriam perpetem præpararunt.* Et *Reginonem,*

nem, qui lib. I. de disciplin. Eccles. Veter. cap. LX. ex Concil. Rhemensi cap. V. ista subjicit: *Observandum est, ut mensa Christi, hoc est altare, ubi corpus Domini consecratur, ubi sanguis ejus hauritur, ubi sanctorum reliquiæ reconduntur, ubi preces & vota populi in conspectu DEI à sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur.* Reginoni jungo *Bernhardum*, qui serm. I. in festiv. omnium sanctorum, S. Eucharistiæ in altari celebrationem his adstruit verbis: *Posthæc illibatum Dominici corporis sacramentum in altaris mensa sacrosancta percepturi sumus.* &c.

XII. Atque hæc ipsa caussa est, cur *Augustino* placuerit sacram Eucharistiam appellare *Sacramentum Altaris*: nempe, quod in mensis, altarium formam referentibus, olim celebrata illa atque dispensata fuerit. Verba ejus exstant lib. X. de C.D. cap. VI. f. 546. & ita habent: *Hoc est sacrificium Christianorum. Multi unum corpus sumus in Christo: quod etiam SACRAMENTO ALTARIS fidelibus noto frequentat Ecclesia, ubi ei demonstratur, quod in eâ oblatione, quam offert, ipsa offeratur.* Ac proinde Reformati vitio B. Luthero dare non deberent, quod eandem retinuerit appellationem in Catechesi & Articulis Schmalcaldicis. Neque enim nova illa est, aut à Luthero primùm introducta, nec Sacramento isti aliena, si ex mente SS. Patrum non item Pontificiorum æstimetur. Vide *Reinhardi Backii* Anal. Catech. B. Lutheri cap. XXIIX. sect. I. §. 3. pag. 176.

XIII.

XIII. Cæterum videtur *S. Eucharistiæ celebratio*, ut & *gloria DEI* habere hîc rationem *finis ultimi*; hæc quidem *simpliciter*, illa verò *in certo genere*, quantum videlicet ad altarium erectionem attinet. Nam etsi Sacramentum Eucharistiæ, ut medium salutis est, ad alium finem ordinatum est, adeoque finis ultimus hâc ratione esse non potest; tamen ejus celebratio, ut actio Ecclesiastica in altari peragenda, non videtur ad alium & superiorem aliquem finem ordinata fuisse in hoc genere, altarium videlicet ædificatione. Neque enim tam imprudentes nobis videri debent veteres, ut putemus, eos erigenda censuisse altaria propter salutem hominum, nutritionem fidelium hyperphysicam, fidei confirmationem, promissionis Evangelicæ de remissione peccatorum obsignationem, & id genus alia, quæ quidem rationem finis habent respectu S. cœnæ, quatenus medium est salutis; non item quatenus eadem in altari celebranda: alias enim altaria instrumenta vel media essent salutis & remissionis peccatorum: quo quidem nil absurdius ne excogitari quidem potest.

XIV *Fines secundarii* erant *consecrationes variarum rerum* in altaribus fieri solitæ. Hîc enim consecrabatur *Chrisma* seu oleum, quo baptizati inungebantur, teste *Cypriano* lib. I. epist. XII. f. 28. his verbis: *Eucharistia, & unde baptizati unguntur, oleum in altari sacrificatur. Sanctificare autem non potuit oleum creaturam, quæ nec altare habuit nec*

Eccle-

Ecclesiam. Unde nec unctio spiritualis apud hæreticos potest esse, cum constet, oleum sanctificari & eucharistiam fieri apud illos omnino non posse. Et *Dionysio* Hierarch. Eccl. cap. IV. p. 162. ἔπειτα τὸ μύρον ὁ ἱεράρχης λαβὼν, ἐπιτίθησι τῷ θείῳ θυσιαστηρίῳ. *Deinde unguentum sumit pontifex & sacris imponit altaribus.* Hîc consecrabantur Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, teste eodem *Dionysio* l. c. cap. V. pag. 194. Κοινὰ μὲν οὖν τοῖς ἱεράρχαις τε καὶ ἱερεῦσι καὶ λειτουργοῖς, ἐν ταῖς ἱερατικαῖς αὐτῶν τελειώσεσιν, ἡ πρὸς τὸ θεῖον θυσιαστήριον προσαγωγὴ καὶ ὑπόπτωσις &c. *Sunt quidem ista præsulibus & sacerdotibus ac ministris in ipsorum consecratione communia, accessus ad altare divinum* &c. Ii etiam, qui solitariam amplectebantur vitam, sive viri sive feminæ, hîc consecrabantur, eodem autore cap. VI. p. 205. ὁ μὲν ἱερεὺς ἕστηκεν ἐπίπροσθεν τοῦ θείου θυσιαστηρίου, τὴν μοναχικὴν ἐπίκλησιν ἱερολογῶν· ὁ δὲ τελούμενος ὄπισθεν τοῦ ἱερέως ἕστηκεν, οὐκ ἄμφω τὼ πόδε κλίνων &c. *Stat sacerdos ante sacrum altare, monasticam precationem psallens, ille autem, qui initiandus est, post sacerdotem adstat non utrumque ponens genu, &c.* De iisdem *Ambrosius* lib. I. de Virgin. sub finem, Tom. I. Oper. f. 78. *Memoriæ nostræ puella dudum nobilis in seculo, nunc nobilior DEO, cum urgeretur ad nuptias à parentibus & propinquis, ad sacrosanctum altare confugit. Quo enim melius virgo recurreret, quàm ubi sacrificium virginitatis offertur? Ne is quidem finis audaciæ. Stabat ad aram DEI pudoris hostia, victima castitatis: nunc capiti dexteram sacerdotis imponens, precem poscens, nunc justæ impatiens moræ summum altari*

tari subjectans verticem. Num melius, inquit, mater tu me, quàm altare velabis, quod sanctificat ipsa velamina &c. Eodem respicit *Alcimus Avitus* libr. ad Sororem p. 426. istis versibus de virginis consecratione usurpatis:

> *Sic pia te genitrix sanctis altaribus aptans*
> *Assueto docuit dignam concrescere templo.*

& istis p. 427.

> *Sacratum velata caput tua munia sumsit*
> *Bis senos jungens sanctis altaribus annos.*

Ad fines secundarios etiam pertinet memoria SS. martyrum. *In memorias Martyrum construimus altaria*, Augustinus scribit lib. XX. cap. 21. contr. Faust. Manich. Nec ineptè huc retuleris cæteras res ad altaria geri solitas, de quibus infra cap. XIX. pluribus.

CAPUT IX.
DE ALTARIUM DIVISIONE.

I. Altaria in Fixa, & Mobilia divisa. Fixa quæ fuerint. Eorum ortus.

II. Tumuli Petri & Pauli ap. Hieron. Fixis altaribus annumerati.

III. Fixa etiam illa per agros erecta altaria, de quibus loquitur Concil. Carthag. IV. can. XIV. idque ex eodem Canone rationibus aliquot efficitur.

IV. Fixa alia ex Sidonio & aliis.

V. Mobilia demonstrantur (1) ex

(1) ex Athanasio.
VI. (2) Ex Auctore Quæst. V. & N. T. ubi altare à Diacono olim portatum dicitur.
VII. (3) Ex Optat. Milev. ubi explicatur, quid ei sit, *removere altaria.*
VIII. (4) Ex Synesio.

§. I.

ETsi altaria veterum Christianorum variis modis dividi possunt; vix tamen potior in antiquitate occurret divisio, quàm ea, quâ in FIXA & MOBILIA sunt divisa. FIXA erant, quæ loco non tantùm non movebantur, sed ne moveri quidem poterant integra, aut certè non nisi vi maximâ adhibitâ. Cujusmodi quidem primos habuisse Christianos, non est verisimile, ut alibi ostendam. Cœpisse tamen videntur tempore Constantini M. quod è Reformatis, qui hîc aliàs severiores sunt, quàm par est, ipse confitetur *Hospianianus* de Orig. Templor. lib. II. cap. VI. f. 86. his verbis: *Nec tamen negare ausim, Constantini M. tempore cum magnificis templis, etiam magnifica & splendida altaria multis in locis originem sumsisse, eaq; fixa & de lapidibus aut simili materiâ exstructa fuisse.*

II. Hujus generis sine dubio fuerunt illa apud Hieronymum Petri & Pauli altaria, de quibus lib. contra Vigilant. Tom. II. f. 123. ita scribit: *Malè facit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum offert Domino sacri-*

sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria. Tumuli certè fixi atque immoti sunt. At altaria Petri & Pauli fuerunt tumuli. Ergo fixa quoque & immota fuerunt. Cujusmodi adhuc illud est, quod pro isto veteri nova monstrat Roma, novâ indutum forma, hîc expressâ. Vide Figur. Eâdem de caussâ ad fixa quoque referendum illud apud *Prudentium* in Vincentio v. 517.518.

Altar quietem debitam
Præstat beatis ossibus.

Et quæ sunt alia de genere eodem, cùm apud *Prudentium* in Eulalia v. 211.212. & in Hippolyti coronatione v. 170. 171. tum apud *Paulinum Nolanum* lib. II. epist. IV. ad Severum Tom. II. Orthodox. f. 134. & alios.

III. Accedunt illa, quæ seculo V. passim per agros & vias erecta & postea eversa fuerunt jussu Concilii Carthaginensis IV. aliis V. canon. XIV. qui exstat in Codice Can. Ecclesiæ Africanæ num. XXCIII. apud *Justellum* in Bibl. Jur. & Can. vet. Tom. I. f. 370. & ita habet: *Item placuit, ut altaria, quæ passim per agros & per vias tanquam memoriæ martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui locis eisdem præsunt, si fieri potest, evertantur.* Græcè qui vertit (Latinè enim, non Græcè Concilia Africana primùm scripta fuisse, eruditè ostendit Justellus in præfat. Codic. Can. Eccl. Afric. l. c. f. 318. 319.) non *vias*, sed *vineas* legit,

legit, ideoque *ἀμπελῶνας* appellavit. Sic ait: *ὁμοίως ἤρεσεν, ἵνα πανταχοῦ ἀνὰ τοὺς ἀγροὺς καὶ τοὺς ἀμπελῶνας θυσιαστήρια, ὡσανεὶ εἰς μνήμην μαρτύρων καθιστάμενα, ἐν οἷς οὐδὲ ἓν σῶμα, ἢ λείψανον μαρτύρων, ἀποκείμενα δείκνυνται ἀπὸ τῶν ἐντοπίων ἐπισκόπων, εἰ ἔστι δυνατὸν, καταστρέφωνται.* Synopsis Canonum *Alexii Aristini* in Syn. Afric. ap. *Justell.* Tom. II. f. 696. & Epitome Canonum à *Symeone Magistro & Logotheta* collectorum can. 54. ap. eundem Justell. l. c. f. 734. ita versum exhibent: *θυσιαστήρια ἐν ἀγροῖς ἢ ἀμπελῶσι συνιστάμενα, ἐν οἷς οὐ λείψανον κεῖται μάρτυρος, εἰ μὴ δημόσιος θόρυβος γίνεται, καταστρέφεται. Altaria, quæ in agris aut vineis exstructa sunt, in quibus reliquiæ alicujus martyris non sunt repositæ, nisi populi tumultus fiat, evertuntur.* Hæc certè altaria fixa atque stabilia fuisse, indicat (1) *locus*, cum per *agros & vias*, sive *ἀνὰ τοὺς ἀγροὺς καὶ τοὺς ἀμπελῶνας agros & vineas* excitata fuerint. At his in locis non convenit reponere mensas mobiles, quæ facilè aufferri possunt, facilè etiam corrumpi. Indicat (2) *finis*. Cum enim collocata fuerint *εἰς μνήμην μαρτύρων in memoriam martyrum*, eamque non brevem, sed diuturnam ac perpetuam, ideò firma ac stabilia esse oportuit: cum aliàs, si mobiles fuissent, facilè sublata cum iisdem martyrum memoria fuisset. Indicat (3) *adjunctum σῶμα ἢ λείψανον μαρτύρων corpus martyris, aut ejusdem reliquiæ.* Neque enim defunctornm corpora mobilibus imponi mensis aut eorum reliquiæ arcis parum firmis com-

mitti ſolebant, ſed potius in ſtabili locari loco. Etſi vero illa altaria, de quibus hic Carthaginenſis canon loquitur, non habuerint incluſum aliquod corpus martyris; ita tamen fuerunt comparata, ut illud habere poſſent, & intus quoque vel ſubtus habere, foris apparerent. Indicat denique (4) adjecta conditio, *ſi fieri poteſt*, εἰ ἐςι δυνατὸν, nempe per tumultuantem plebem, ut in ſequentibus exponitur. At ſi mobiles fuiſſent aræ, facile nocturno tempore potuiſſent aufferri, nec metuenda tantopere plebis commotio fuiſſet.

IV. Fortaſſe etiam fixa fuerunt illa, quorum *herboſa latera depaſcebantur armenta*, apud *Sidon. Apollin.* lib. VII. ep. VI. ad Baſilium pag. 146. Neque enim, ſi ſecus fuiſſet, latera fieri herboſa potuiſſent: cum ſaxum ſæpe volutatum non obducatur muſco. Quod adeo verum, ut in proverbium etiam abierit. An lapidea quoque iſta, quorum mentio ſupra facta ex *Gregorio Nyſſeno* & *Chryſoſtomo* eſt, hûc referenda lectori dijudicandum relinquo. Hoc ferè non dubito, alterutrum, ſi non utrumque, altarium illorum Hieroſolymitanorum in templo Reſurrectionis, quorum meminit *Beda* lib. V. Hiſt. Anglor. cap. XVII. Tom. III. Oper. f. 181. fuiſſe fixum. Dicitur enim è lapide exciſum, & quadratum fuiſſe. Quod non convenit aris mobilibus. Verba *Bedæ* nihil attinet repetere. Vide ea ſupra cap. VII. §. III.

V. Ad MOBILIA venio, quæ ita erant exſtru-

exſtructa, ut integra loco moveri facilè poſſent. Talis erat menſa illa *Athanaſii*, vel quisquis auctor eſt Epiſt. ad ſolitariam vitam agentes Tom. I. Oper. Athen. f. 656. ubi de Ethnicis & Arianis commemoratur, quod ἁρπάσαντες τὰ συμψέλλια, καὶ τὸν θρόνον, καὶ τὴν τράπεζαν, ξυλίνη γὰρ ἦν, καὶ τὰ βῆλα τῆς ἐκκλησίας, τάτε ἄλλα ὅσα ἠδυνήθησαν ἐξενέγκαντες, ἔκαυσαν ἔμπροσθεν τοῦ πυλῶνος ἐν τῇ πλατείᾳ τῇ μεγάλῃ, καὶ λίβανον ἐπέβαλον, *Subſellia, thronum, menſam (erat enim lignea) tabulas Eccleſiæ, & cætera, quæ potuere, foras elata combuſſerint ante veſtibulum in magnâ plateâ, & thura inſperſerint.* Certè ſi ex eo, quod Ariani thronum & ſubſellia foràs extulerunt, rectè colligitur thronum ac ſubſellia non fuiſſe fixa, ſed mobilia; cur non etiam menſam mobilem fuiſſe dicamus, cum & eam ipſam Ariani foràs extulerint, elatamque combuſſerint.

VI. *Auctor* quæſt. V. & N. T., quæ reperiuntur inter Opera *Auguſtini* Tom. IV. quæſt. CI. f. 779. videtur aſſerere, Diaconos olim ſolitos fuiſſe portare altaria. Verba ejus habent ita: *Quanquam Romanæ Eccleſiæ Diaconi modico inverecundiores videantur, ſedendi tamen dignitatem in Eccleſiâ non præſumunt. Ut autem non omnia miniſteria obſequiorum per ordinem agant, multitudo facit clericorum. Nam utiq; & altare portarent, & vaſa ejus, & aquam in manus funderent ſacerdoti, ſicut videmus per omnes Eccleſias.* Quod ſi igitur altaria portata à Diaconis ſunt, mobilia oportet fuiſſe, eo quidem ſeculo, quo hæc Auctor ſcripſit.

VII. Ejusmodi & illa Africana videntur fuiſſe, quæ Donatiſtæ removerunt, de quibus *Optatus* locò ſæpe citato: *Quid tam ſacrilegum*, inquit, *quàm altaria DEI (in quibus & vos aliquando obtuliſtis) frangere, radere, REMOVERE?* Et poſtea: *Hæc omnia furor veſter aut raſit, aut fregit, aut REMOVIT.* Rurſus: *Sed ut æſtimo, alio loco copia lignorum frangi jusſit; alio, ut altaria raderent, lignorum inopia imperavit; ut REMOVERENTUR, ex parte veracundia jusſit; ubiq; tamen nefas eſt, dum tantæ rei manus ſacrilegas & impias intuliſtis.* Iterum: *Si ſuffecerat, REMOVERE, non licuit frangere. Si oportuit frangere, raſiſſe peccatum eſt.* Deque: *Videmus, vos poſtea mutaſſe conſilium, & altaria à vobis non jam frangi, ſed radi tantummodo aut REMOVERI.* Patet inde, Optatum hæc tria perpetuò diſtinguere, *frangere, radere, removere*, ita ut quædam altaria à Donatiſtis dicat eſſe fracta, quædam raſa, quædam remota. *Removere* igitur hîc non idem erit quod *deſtruere.* Hoc enim appellat *frangere.* Quid verò erit? Simpliciter puto *auferre, tollere, occultare* ſine fractione. Ita enim explicare jubet ἀντίθετον *frangere.* Admiſſâ jam iſtâ explicatione, quæ omnino rejici non poteſt, patebit, mobilia fuiſſe iſta, de quibus modò loquimur, altaria: quippe *remota*, id eſt, *loco mota, oblata, occultata* ſunt, nec tamen *fracta.* De fixis id dici non poteſt, vel ſaltem quî dici poſſit, non intelligo. Taceo quod lignea fuerint, quæ plerumque ſolent eſſe mobilia, ut menæ vulgares.

VIII.

VIII. Nihil vetat his etiam annumerare illam menſam, quam in ædiculam conſecrandam illatam meminit *Syneſius* epiſt. LXVII. ad Theophilum f. 212. ὁ δὲ ἀνοίγνυσι καὶ τράπεζαν εἰσφορήσας (alii legunt εἰσφρήσας) καθιεροῖ μικρὸν οἰκίσκον ἐν λόφῳ πλατεῖ. *Aperit ille, & menſam importans ædiculam parvam vaſto in colle conſecrat.* Menſa enim, quæ importatur, utique movetur, adeoque mobilis recte dicitur. Pontificii huc referunt altare illud ligneum & portatile, ut vocant, quo volunt uſum Petrum & primos Pontifices, tempore perſecutionum. Sed de eo quid habendum ſit, jam ſupra dictum cap. VI. §. IV.

CAPUT X.

DE
ORIGINE ALTARIUM.

I. Connexio capitum ſequentium cum præcedentibus oſtenditur, & Adjuncta altarium recenſentur.

II. De Origine eorum Hoſpiniani ſententia rejicitur. Origo non arceſſenda ab altaribus Judæorum. Altare Noachi non fuit primum; nec injuſſu divino ædificatum. Nec Jacob primus DEI juſſu altare exſtruxit. Caini & Abelis altare.

III. De origine altarium Chriſtianorum vera ſententia proponitur. cum ipſâ inſtitutione S. cœ-

S. cœnæ cœpisse, docetur.

IV. Quæ ratio primorum Christianorum fuerit, cum locum ordinarium & perpetuum, ubi convenirent, non haberent, explicatur.

V. Tempore Constantini M. ordinariæ & perpetuæ cœptæ adhiberi mensæ.

VI. Fixorum altarium origo.

VII. Ecclesiæ libertas in ædificatione altarium.

VIII. Quomodo fixa altaria ad nos pervenerint.

§. I.

VIdimus hactenus altarium caussas. Vidimus species. ADJUNCTA nunc ut videamus, ordo videtur postulare. Sunt autem hæc: ORIGO, CONSECRATIO, ORNATUS, LOCUS ET SITUS, NUMERUS, CORPORA ET RELIQUIÆ SS., SANCTITAS ET HONOR, ἈΣΥΛΊΑ, MINISTRI, ACTIONES SACRÆ, EXCLUSIO CERTORUM HOMINUM. De singulis nunc dicemus ordine & perspicue.

II. De ORIGINE (ab hac enim placet exordiri) *Hospinianus* de Templ. lib. II. cap. VI. f. 84. existimat, Noachum primum exstruxisse altare Genes. VIII. sed injussu divino. A Jacobo autem primum jussu DEI ædificatum Genes. XXXV. Abelem & Cainum sacrificasse quidem, sed vel in solo ipso ac pavimento, vel, quod verisimilius putat, super strue aliqua lignorum in hunc usum collecta & comportata. Atque ita ille

ille altarium Christianorum originem explicat. Sed minus accurate. Nam (1) non video caussam, cur origo mensarum sacrarum ab altaribus Judæorum arcessenda sit. Neque enim mensæ istæ fuerunt in orthodoxa Ecclesia unquam sacrificales proprie, sed tantum epulares: cum altaria contra Judæorum non epulis, sed sacrificiis faciendis inservirent: ut adeo plane contraria ratio fuerit utrorumque. Et licet hæc origo Pontificiorum altaribus congruat (hæc enim proprie ita dicuntur; eorum quoque natales ab ipsis Pontificiis ad Judæorum altaria referuntur;) illorum tamen altarium, quæ veteres Christiani orthodoxi habuerunt atque ita appellarunt, plane alia fuit ratio, ut jam ostensum. Deinde (2) etsi Genes. VIII, 20. primo omnium mentio fit altaris, id tamen ideo primum fuisse, non magis est consequens, quam pluviam illam tempore diluvii Genes. VII. fuisse primam, quia nulla ante eam memoratur alia; aut sepulchra Hethitarum fuisse prima, quia prima sunt, quorum in sacris literis facta mentio Genes. XXIII, 6. Aliquo tamen modo quo minus vocari possit primum, non repugnabimus: primum nempe inter ea, quorum mentio in Scriptura fit; at absolute fuisse primum inter omnia omnino, quæ unquam exstiterunt, sine ratione dicitur & creditur. Præterea (3) falsum, Noachum injussu Divino ædificasse altare. Versabatur ei adhuc ante oculos miserrima orbis terrarum facies ob peccata undis submersi. Quis credat,

tam temerarium fuisse, ut auderet ad DEI cultum novum fabricare instrumentum: quo utrum peccaret, an non, in incerto esset? Idem cum per omnem vitam suam, tum inprimis toto diluvii tempore præsentissimum senserat numen divinum, eique se curæ esse, illustrissimo modò expertus erat documento. An igitur quicquam incepturum fuisse existimabimus, de quo dubitandum ei fuerit, gratum an ingratum id suo Servatori futurum? Equidem tale quid ut mihi persuadeam, nunquam à me impetravero. Si alii liberaliores in credendo esse voluerint, per me licet, me certe nunquam socium habebunt. Quamvis vero non legatur eo loco mandatum aliquod divinum de exstruendo altari; id tamen non magis est negandum, quam mandatum de sacrificio faciendo. Nam hoc etiam ibi non commemoratur; & tamen adfuisse, ex eo colligitur, quod sacrificium Noachi DEO placuerit Genes. VIII, 21. quicquam autem DEO placere, quo ipse colatur, quod ab ipso præceptum non sit, sed ab hominibus tantum inventum, contra Scripturam est Matth. XV, 9. Qui igitur discrimen inter animalia munda & immunda Noachum docuit, qui ex mundis septena in arcam introduci præcepit, is etiam sacrificare eum jussit. Et qui sacrificare jussit, idem etiam altare exstruere præcepit & sacrificandi ritum docuit, si non ipsum immediate, saltem majores ipsius, à quibus postea ille omnia accipere potuit. (4) Ut igitur falsum,

ſum, Noachum injuſſu divino ædificaſſe altare, ita non magis verum, Jacobum primùm DEI juſſu altare exſtruxiſſe. Conſideremus verba. Sic habent: *Locutus eſt DEUS ad Jacobum: Surge & aſcende Bethel, & habita ibi, facque altare DEO, qui apparuit tibi, quando fugiebas Eſau fratrem tuum* Geneſ. XXXV, 1. Hîc Jacob juſſus eſt ædificare altare, & quidem 1. eo in loco, ubi ipſi in poſterum habitandum erat, 2. DEO, qui ei apparuerat, cum fugeret Eſavum. Jam conſequentiam vide. Jacob Geneſ. XXXV. juſſus eſt eo in loco, ubi habitare debebat, ædificare altare DEO, qui ipſi apparuerat, cum Eſavum fugeret. Ergo Jacob primum juſſus eſt ædificare altare. Quæ ratio? quæ mens? quæ cogitatio? & licet non adjecta eſſent poſtrema verba, tamen ex eo, quod juſſus eſſet ædificare altare, non continuo concludendum foret, primum juſſum fuiſſe, excitare altare. Hoc tantum ſequeretur, Jacobum primum eſſe, quem Scripturæ memorarent juſſu divino excitaſſe altare Domino, quanquam hoc ibi non legatur. Denique (5) illud etiam, quod de loco ſacrificiorum *Abelis* & *Caini* addit, notam cenſoriam meretur. Nam primo nulla conſequentia: Abel & Cain non dicuntur altare habuiſſe, ubi ſacrificarunt, Ergo non habuerunt. Nec Adam ſacrificaſſe dicitur: quem tamen ſacra feciſſe DEO nemo ſanus dubitaverit. Deinde cum ſacrificia fuerint typi Meſſiæ, in ara crucis aliquando mactandi, & eorum, quæ ante legem promulgatam facta,

eadem ratio fuerit, quæ cæterorum post legem, ut pluribus docet noster *Franzius* in schol. sacrif. probabile certe est, veterum quoque ante promulgationem legis sacrificia super altari fuisse facta, ad adumbrandam non tantum mortem sive mactationem Christi, sed crucem etiam, quemadmodum utrumqne adumbratum in sacrificiis Leviticis est. Habemus â nostris partibus stantem Petrum Molineum, Hospiniani in religione socium. Sic enim ille scribit Tr. de altar. & sacrif. Christ. cap. II. pag. 63. *Geneses 4. Cain & Abel sacrificant, ille primitias hic electas pecudes, litavit alter, alter rejectus est: ad hæc sacrificia aras exstructas consentaneum est. Enimvero Genes. 8. Noah altare erigit, nimirum ex more sacrificiorum, & majorum exemplo. Atque hoc factum esse â Caino & Abele ex patris præcepto, idque DEO authore, non dubium est.* Accedit, quod *Hospinianus*, dum verisimilius putat, Abelem & Cainum super strue aliqua lignorum sacrificasse, hoc ipso usum altaris ante Noachum, quem ante negaverat adstruit. Nam si non in terra ipsa, sed super strue aliqua lignorum in hunc usum collecta & comportata sacrificarunt, altare utique habuerunt, nempe struem illam lignorum, quæ cum editum quid fuerit, in quo sacrificatum, ideo altare recte & proprie dicetur. Neque enim refert, an altare ligneum sit, an lapideum, an metallicum: nec interest, utrum diuturnum ac perpetuum sit, an temporarium: artificiose junctum, an tumultuaria opera excitatum. Sufficit,

ficit, altitudinem aliquam habere & sacrificia in eo fieri; siquidem debeat esse altare proprie ita dictum.

III. Missa igitur ista *Hospiniani* sententia de origine altarium Christianorum ex Judaismo, hoc potius dicendum videtur, *cum ipsa S. Cœnæ institutione cœpisse etiam mensas Domini sive altaria Christianorum.* Cum enim Christus S. cœnam institueret, mensæ accumbebat, & inde distribuebat cum sacris Symbolis corpus & sanguinem suum. Volebat etiam, ut in posterum à suis hoc epulum frequentaretur ad finem usque mundi. Quanquam vero tum non præceperit usum mensæ directe; indirecte tamen, ut loquuntur, eam suo exemplo discipulis commendavit, quia vult in Ecclesia omnia fieri κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημόνως 1. Cor. XIV, 40. Quæ autem melior τάξις potest reperiri eâ, qua S. epulum ad exemplum Christi apud mensam in hunc usum destinatam celebratur? Tum indecorum omnino foret, sacra symbola non in mensa reponere, sed in terra, contra quam Christus fecit. Hoc enim ipsum esset animi divina mysteria, in salutem hominum instituta, minus reverenter tractantis, quod ab omnibns Christianis esse debet alienum.

IV. Sic igitur Christi exemplo moti Apostoli & discipuli, postquam ipse sublatus in cœlum erat, mensas adhibuerunt ad S. cœnam celebrandam, unde & ipsa *mensa Domini* appellata 1. Cor. X, 21. Et mensas quidem illas

primò

primò privatæ domus ſuppeditarunt, ubi ſuos conventus egerunt. Poſtea, ubi vis tyrannorum ingruit, quæ in ſpeluncas Chriſti cultores abegit, non eſt veriſimile, menſas ſemper ſecum eo aſportaſſe, ſed potius pro menſa uſi videntur, quicquid locus forte obtulit, ſive ſaxum, ſive aliud quid: modo aptum eſſet ad recipiendum calicem cum pane. In ſylvis trunci arborum, in agris tumuli, in cœmeteriis ſepulchra, in aliis alia (quo enim non fugere coacti illa tempeſtate ſunt miſeri Chriſtiani?) vice menſarum eſſe potuerunt.

V. Tandem, ſingulari DEI beneficio reddita Chriſtianis pace, & conciliato eis Conſtantino M. *publica* eorum ſacris deſtinata loca (quibus tamen non prorſus caruerant antea) ædificata templa, & in ipſis quoque menſæ, teſte Hiſtoria Eccleſiaſtica, *Euſebii* inprimis. Fuerunt autem illæ menſæ partim ligneæ, partim lapideæ, ut ſupra obſervatum cap. VI. eſt.

VI. Nacti igitur publicum ad ſacra ſua celebranda locum ſedemque fixam ac ſtabilem; memores Apoſtolici præcepti 1. Cor. XIV, 40. de ordinandis rebus Eccleſiæ cogitare cœperunt. Inter alia etiam commodum viſum, habere in Eccleſiis *menſas fixas atque immotas*. Itaque tales exſtrui cœperunt, antea enim non videntur exſtitiſſe (de ordinariis loquor) tum quod carerent templis, tum quod perpetuo fere

re

re vagandum iis esset, quo de alibi pluribus.

VII. Neque tamen ulla Ecclesiæ allata necessitas, tales & non alias fabricandi mensas; quin potius in ejus libertate relictum, quales habere velit. Hinc tam ligneæ, quam lapideæ, tam immotæ, quam mobiles passim exstiterunt, ut supra cap. IX. ex antiquitate ostendimus.

VIII. Postea cum plerisque placerent fixæ & immotæ, eaque *consuetudo* per sequentia manaret secula; factum inde, ut in nostra quoque Ecclesia fixa & immota altaria *libere* partim exstruerentur, partim jam exstructa retinerentur, sed sublata omni idololatria & superstitione pontificia. Hæc vera altarium Christianorum origo, quæ quidem fusius explicanda & testimoniis antiquitatis firmanda fuisset, nisi multa jam supra attigissemus, cætera autem, quæ nondum facta plana, posterius tradere constituissemus.

CAPUT.

CAPUT XI.

DE CONSECRATIONE ALTARIUM IN ECCLESIA VETERI.

I. Vocis poteſtas explicatur.
II. Definitio conſecrationis altarium traditur, & ſpeciatim Genus. An conſecratio ſit à DEO præcepta?
III. Differentia unde ſumta.
IV. Cauſſa Efficiens, Epiſcopi vel Presbyteri. An Apoſtoli etiam & eorum ſucceſſores proximi conſecrarint altaria?
V. Presbyteris quoque conſecrare licuit, ex quo Epiſcopi iis ſuperiores facti.
VI. Presbyteris erepta poteſtas conſecrandi
VII. Nec Epiſcopo cuivis quodvis licuit conſecrare altare.
VIII. Materia conſecrationis ipſum altare, etiam ligneum.
IX. Lapidea conſecrata.
X. Metallica quoque.
XI. Poſtea lapidea tantum conſecrari cœperunt.
XII. Formam conſecrationis generatim conſiſtere in primo & legitimo uſu, docetur exemplis ſacris & profanis.
XIII. Ita & veteres Chriſtianos conſecrationem intellexiſſe, oſtenditur.
XIV. Forma conſecrationis altarium in quo ſpeciatim poſita ſit.
XV. Altaria conſecrata precibus & hymnis;
XVI. Tùm celebratione S. cœnæ.
XVII. Unctio ſuperaddita, de quâ quid habendum ſit, declaratur.
XVIII. Seculo VIII. & IX. adhuc ita conſecrata altaria.
XIX. Cerimoniæ auctæ.

XX.

XX. Finis consecrationis.
XXI. Eum etiam veteres spectasse, ostenditur.
XXII. Adjuncta consecrationis altarium.
XXIII. Origo ejusdem. Chemnitius defenditur.
XXIV. Usus ejus licitus,
XXV. Idemque ἀδιάφορος.
XXVI. Solennitas consecrationis, ejusque ortus & modus.
XXVII. Anniversaria ejus memoria celebrata,
XXVIII. Et quidem concionibus habendis & S. Eucharistiæ usu.
XXIX. Consecrationis effectus est sanctitas non interior, sed externa tantum.
XXX. Cognata, dedicatio templorum.
XXXI. Consecratio altaris Hebræorum.
XXXII. Consecrationi contraria profanatio altarium. Profanata autem illa (1.) idololatriâ,
XXXIII. (2) per homicidia,
XXXIV. (3) Saccato corporis humore,
XXXV. (4) Mimicâ saltatione,
XXXVI. (5) Stabulatione equorum.

§. I.

C*onsecratio*, Græcè καθιέρωσις & ἀφιέρωσις, à *sacro* dicta, cum ad altare refertur, vel *propriè* significat primam illã altaris solenni ritu peractam dedicationem; vel *impropriè* festum anniversarium, à primâ illâ dedicatione ortum, quo hujus semel factæ, non iterandæ, memoria solenniter repetebatur, DEOque gratiæ pro beneficiis Ecclesiæ præstitis publicè agebantur. Prior significatio, ut propria, ita & frequentior; posterior, rarior, nec tamen nus-

nusquam reperitur. Auctor homil. CCLV. de Tempore, quæ vulgò, at falsò, Augustino tribuitur, Tom. X. Oper. f. 1162. *Sicut optimè novit*, inquit, *sanctitas vestra, fratres, consecrationem altaris hodie celebramus, & justè ac meritò gaudentes celebramus festivitatem, in quâ benedictus vel unctus est lapis, in quo nobis divina sacrificia consecrantur. Sed quando festivitates illas colimus, fratres charissimi, diligenter debemus attendere, & totis viribus laborare, ut quod in templis vel altaribus visibiliter colitur, in nobis invisibiliter compleatur.* Ubi quidem consecrationem altaris propriè intelligere non licet per præterita *benedictus* & *unctus*. In ipso enim primæ consecrationis actu lapis altaris nondum vel benedictus vel unctus, sed adhuc ungendus erat, vel ungebatur. At cum posteriori significatione optimè hæc conveniunt: festo quippe anniversario lapidis jam uncti repetebatur memoria.

II. Erat autem consecratio altaris, ACTIO ECCLESIASTICA, QUA EPISCOPUS VEL PRESBYTER SOLENNI RITU MENSAM SACRAM PRIMA EJUSDEM USURPATIONE DEO DESTINABAT IN USUM SACRUM. Ita nimirum aliquo modo describere visum est consecrationem altarium, quæ recepta in Ecclesiâ veteri erat. Voco *actionem*, & ita *Genus* exprimo; sed addo *Ecclesiasticam*, ut Genus nimis latè patens restringam ad illas actiones, quæ in Ecclesiâ suscipiebantur. *Divinam* appellare nolui, quod speciatim à DEO insti-

instituta non fuerit, nec definitæ in Scripturâ cerimoniæ ſint in illâ adhiberi ſolitæ. Quanquam *genemtim* præcepta à DEO videri poſſit iis verbis, quibus per Apoſtolum jubentur omnes pii omnia ad DEI gloriam referre 1. Cor. X, 31. DEOque gratias agere in omni opere quod ſuſcipiunt Col. III, 17. omnia denique DEI verbo & precibus ἁγιάζειν q. d. ſanctificare 1. Tim. IV, 5.

III. *Differentiam* ſumſi primo à *cauſſa efficiente* quæ Epiſcopus vel Presbyter fuit. Deinde ab *objecto*, quod fuit menſa ſacra. Tum à *forma*, deſtinatione nempe ſolenni ritu prima ejusdem uſurpatione facta. Denique à *fine Cui*, qui DEUS eſt; *Cujus*, qui uſus ſacer eſt. Quæ omnia nunc ordine pluribus perſequar.

IV. CAUSSAM EFFICIENTEM dixi Epiſcopum vel Presbyterum fuiſſe. Cum enim initio iidem fuerint Epiſcopi qui Presbyteri, ut erudite & accurrate demonſtravit è Scripturis & antiquitate *Hülſemannus* de Miniſtr. Conſecrat. & *Blondellus* Apol. pro ſent. Hieron. de Epiſc. & Presbyt. ut *Gerhardum* Tom. VI. LL. de Miniſter. Eccl. §. 234. p. 132. & Confeſſ. Cathol. lib. II. Part. II. art. VI. cap. III. p. 28. ſeqq. *Hildebrandum* diſp. de Epiſcop. & alios, meas quoque de *Presbytero Epiſcopo*, eodemque *legitimo Ordinationis miniſtro* Diſſertationes nunc taceam; ideo tam Presbyteri quam Epiſcopi dicendi ſunt conſecraſſe initio altaria ſeu menſas ſacras, idque tum, cum primum ſuper menſa aliqua S. cœnam celebrarunt

runt. Neque tamen facile dixerim, Apoſtolos eorumque ſucceſſores proximos, ejusmodi hic ſolenne ſervaſſe, quale poſterior ætas ſervavit. Silent enim hic Apoſtolorum monumenta, ſilet omnis præterea vetuſtas: Simplicitas quoque illius æ vi id quaſi rejicere videtur. Nec hoc pro certo affirmaverim, ſingulares eos pro conſecratione altarium concepiſſe preces aut formulas: non enim video, unde id poſſit colligi. Hoc autem eſt, quod & ſentio & dico, Epiſcopos & Presbyteros primæ Eccleſiæ, ſuper quâ menſâ primum inter preces & hymnos celebrarunt S. cœnam, eam hoc ipſo ſimul conſecraſſe, ſecundum illud Pauli 1. Tim. IV. 4. 5.

V. Atque ut Epiſcopi & Presbyteri primis Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus, cum adhuc itidem re ipſâ eſſent, nominibus tantum diſcreti, conſecrare altari ſunt ſoliti: ita utrique poſtea, cum dignitate alteri facti ſuperiores eſſent, conſentiente Presbyterio, ad conſecrationem altarium ſunt admiſſi. De Epiſcopis quidem res certa, nec probationem requirere videtur. *Presbyteris* vero etiam licuiſſe conſecrare altaria, ex Concilio Agathenſi A.C. 506. habito colligit *Blondellus* l.c. p. 152. & quidem ex cap. XXIX. cujus verba hæc ſunt: *De pœnitentibus id placuit obſervare, quod ſancti Patres noſtri Synodali ſententia cenſuerunt, ut nullus de his clericus ordinetur, & qui jam ſunt per ignorantiam ordinati, ut ſicut bigami, aut internuptarum mariti, locum teneant: miniſtrare Diaconus, aut conſecrare altare ejusmodi Presbyter* (ita legit nobis hunc canonem *Blondellus*: in

Con-

Conciliis Illustratis Tom. III. p. 650. vox *hujusmodi* abest) *non præsumat*. Ex hisce verbis ita concludit ille: Si solis *de pœnitentibus* ordinatis presbyteris consecrandi altaris facultas initio adempta est, reliquis omnibus, quorum ritè & ex ordine promotio processerat, illibata atque intemerata mansit; nec eorum quisquam (ex quo nova in Episcoporum gratiam edicta decreta sunt) *divini* violati *juris* reus peragendus fuit, sed *Canonici* tantum, si antiquæ potestatis mordicus retinendæ studium Synodorum quarumcunque placitis præferre ausus est. Atqui verum prius. Ergo & posterius. Atque id ipsum idem etiam post ea p. 285. communi Ecclesiæ veteris consuetudine firmat. Neque enim verisimile esse putat, Benignum & Andochium à Polycarpo consecratos Presbyteros, Divione & Augustoduni (de quo vid. Martyrol. Roman. ad Novemb. 1. f. 429. & Septembr. 24. f. 380.); Ferreolum & Felicem itidem Presbyteros, Irenæi discipulos, Vesontione & Valentiæ (vide iterum Martyrol. Rom. d. 16. Jun. f. 237. & Apr. 23. f. 160. & *Bedam* Hist. lib. I. cap. XXVI.) Ecclesiam fundasse, nec ullum ibi altare collocasse. Nec credibile, Augustinum collegasque Presbyteros à Gregorio M. in Angliam missos altaria consecrandi potestate caruisse (vid. eund. *Bedam*. lib. III. cap. 3.) Minus quoque probabile, Fursæum, qui Eastanglorum Evangelista audiit, Ceddam Addam, Betri & Diunam, qui mediterraneos Anglos ad fidem adduxerunt, ut est ap.

L 2 eundem

eundem l. c. cap. 21. & Willibrordum, Suitbertum, aliosque ab Egberto Abbate ad Fresones missos, teste eodem l. c. cap. 10. & in vitâ Suitberti, populis suo ministerio conversis nunquam mensam sacram apponere ausos, antequam aliunde Episcopum consecraturum accivissent. Addo narrationem *Augustini* ex lib. XXI de C. D. cap. VIII. de Presbyteris suis, ita habentem: *Vir tribunitius Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Zubedi appellatum, ubi cum (afflictione animalium & servorum suorum) domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros, me absente, Presbyteros, ut aliquis eorum illò pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio, DEO protenus miserante cessavit.* Hîc certè satis apparet, Presbyteris mensam Domini inscio & inconsulto Episcopo consecrare, imò in locis privatis collocare, interdum licuisse. Neque enim non consecrarunt mensam, cum preces fuderunt & S. cœnam primum super eâ celebrarunt: quæ vera est antiquissima consecrandi ratio est. Imprimis verò huc pertinet illud *Hieronymi* epist. 85. ad Evagrium: *Quid enim facit exceptâ ordinatione Episcopus, quod Presbyter non facit?* Id quod hoc mihi suppeditat argumentum: Quicquid præter ordinationem fecit ætate Hieronymi Episcopus in rebus Ecclesiasticis, illud etiam fecit Presbyter. At Episcopus consecravit altaria. Ergo & Presbyter.

VI. Au-

VI. Hactenus ergo utrique, tam Episcopi quàm Presbyteri consecrarunt altaria. Sed non perpetuum id fuit. Seculo enim V. Leo I. epistola ad Episcopos German. & Galliæ, quæ exstat Tom. VII. Concil. edit. Paris. p. 198. Presbyteris primum hanc facultatem eripere est conatus. Secuta postea Leonem Synodus Bracarensis I. fuit, quæ A. C. 563. canon. 37. Presbyteros à consecratione altarium arcuit. Verba Canonis hæc sunt: *Si quis Presbyter post hoc interdictum ausus fuerit chrisma benedicere, aut Ecclesiam aut altaria consecrare, à suo officio deponatur*, T. III Conc. illustrat. p. 702. Idem repetitum sec. VII. Hispalensi Concilio, cujus decreto Presbyteris denunciatum, erigere altaria vel consecrare ipsis nequaquam licere. Verba ita habent: *Septimo examine relatum est nobis, venerandissimum quondam Agapium, Cordubensis urbis Episcopum frequenter chorepiscopos vel Presbyteros destinasse (qui tamen juxta Canones unum sunt) qui absente pontifice, altaria erigerent, basilicas consecrarent. Quod quidem non est mirum, id præcepisse virum Ecclesiasticæ disciplinæ ignarum, & statim à seculari militiâ in sacerdotale ministerium delegatum. Ergo ne ultra talis à nobis licentia usurpetur, communi sententia statuendum oportuit: scientes, quia sicut Presbytero vel Chorepiscopo illicita consecratio est altaris; ita & constitutio. In divinis enim literis, præcipiente Domino, solus Aaron in tabernaculo erexit altare; solus ipse unxit: quia summus utiq; sacerdos DEI erat. Sicut scriptum est de eo: Moses & Aaron in sacerdotibus ejus. Ideoq;*

id, quod tantùm facere principibus ſacerdotum juſſum eſt, quorum typum Moſes & Aaron tenuerunt: Presbyteri, qui filiorum Aaron geſtant figuram, arripere non præſumant. Nam quamvis cum Epiſcopis plurima illis myſteriorum communis ſit diſpenſatio: quædam tamen autoritate veteris legis, quædam novellis & eccleſiaſticis regulis, ſibi prohibita noverint: ſicut Presbyterorum & Diaconorum ac virginum conſecratio; ſicut conſtitutio altaris, benedictio vel unctio. Si quidem nec benedicere eis liceat eccleſiam vel altaria conſecrare: nec per impoſitiones manus fidelibus baptizandis, vel converſis ex hæreſi, Spiritum Sanctum tradere: nec Chriſma conficere; nec chriſmata baptizatorum frontem ſignare: Sed nec publicè quidem in Miſſâ quenquam pœnitentem reconciliare; nec formatas cuilibet epiſtolas mittere. Hæc omnia illicita eſſe Presbyteris vel Chorepiſcopis, quia Pontificatus apicem non habent; quem ſolis deberi Epiſcopis autoritate Canonum præcipitur: ut per hoc & diſcretio graduum & dignitatis faſtigium ſummi Pontificis, demonſtretur, ex T. II. Concil. ap. Magdeburgenſes Centur. VII. cap. IX. f. 142. & Concil. edit. Pariſ. Tom. XIV. f. 430. 431. Imò jam ſuâ ætate ille Hierarchiæ Eccleſiaſticæ auctor, qui *Dionyſii* mentitur nomen, Epiſcopis ſolis vendicaſſe videtur jus conſecrandi altaria cap. V. p. 188. Sic enim ſcribit: ἡ θεῖα θεσμοθεσία τὴν τῶν ἱεραρχικῶν τάξεων ἁγιαστείαν, καὶ τὴν τοῦ θείου μύρου τελείωσιν, καὶ τὴν ἱερὰν τοῦ θυσιαστηρίου τελετουργίαν, ταῖς τῶν ἐνθέων ἱεραρχῶν τελεσιουργοῖς δυνάμεσιν ἐνιαίως ἀπεκλήρωσε. *Divina lex Pontificalium ordinationum ſanctimoniam,*

&

& divini confectionem unguenti, sacramq; altaris consecrationem, reverendissimorum Pontificum officiis atq; virtutibus æterna sorte distribuit.

VII. Ut ne vero Episcopus quivis quævis promiscue altaria consecraret, cautum est A. C. 538. Aurelianensis Synodi III. canone 15. hunc in modum: *Episcopus in Diœceses alienas, ad alienos clericos consecrandos, vel consecranda altaria, accedere non debet. Quod si fecerit, remotis his, quos ordinaverat, altaris tamen consecratione manente, transgressor canonum anno à Missarum celebritate cessabit,* Cent. Magdeb. VI. cap. IX. f. 288. ex lib. II. Concil. Coloniæ impressorum. Idem prohibitum A. C. 549. Concilii Aurelianensis V. Canone VIII. his quidem verbis: *Ut in civitate, ubi pontifex jure humanæ conditionis obierit, nullus Episcopus ante substitutionem deputati per ordinem successoris, aut in civitate, aut per parochias, ordinare clericos, aut altaria audeat consecrare; vel quicquam de rebus Ecclesiæ, præter humanitatem, præsumat auferre,* ib. f. 296.

VIII. Ad MATERIAM sive OBJECTUM consecrationis, ut Philosophi appellant, venio, quo nomine ipsum intelligo altare sive mensam sacram, cujuscunque etiam fuerit materiei. Cum enim Christiani initio promiscue uterentur mensis vel ligneis vel lapideis ad S. Eucharistiæ celebrationem, ut supra jam ostensum ex antiquitate est; ideo non tantum lapideas, sed *ligneas* etiam consecrasse, id est, usui sacro destinasse probabile est. Id quod

nec ipsi facilè negabunt Pontificii, quando Petrum Apostolum & proximos ab eo Pontifices Romanos ligneam secum portasse mensam fingunt ad sacra celebranda, quam consecratam non fuisse hand putem dicturos Pontificios.

IX. De *lapideorum* vero altarium consecratione luculentum exstat *Gregorii Nysseni* testimonium, quod ex libro ejus Baptism. f. 257. supra cap. II. citavimus. *Altare*, inquit, *cui assistimus, lapis & quidem natura communis - - - sed quoniam DEI cultui consecratum atq; dedicatum est ac benedictionem accepit, mensa sancta est* &c. Idem colligere est ex illo *Chrysostomi* homil. XX. in II. Cor. VIII. f. 886. θαυμαστὸν ἐστι πάλιν, λίθος μὲν ὂν τὴν φύσιν, ἅγιον δὲ γίνεται, ἐπειδὴ σῶμα δέχεται Χριστοῦ. *Hoc* (altare) *rursum admirationem habet, naturâ quidem lapis est, SANCTUM autem EFFICITUR, postquam Christi corpus excipit.*

X. Nec *metallica* consecrationis fuisse expertia existimo, quando eorum quoq; usus olim in Ecclesia viguit, ut supra ostendi cap. VI.

XI. Verumenimvero non diu relicta Ecclesiæ hæc *libertas* fuit, ut pro arbitrio consecrare liceret altaria sive lignea, sive lapidea, sive metallica. Nam initio seculi VI. Concilium Epaunense canone XXVI. sanxit, ne *altaria infusione Chrismatis consecrarentur, nisi lapidea essent*, ut videre est T. X. Concil. edit. Paris. f. 645. & Conc. Illustr. *Hartmann. Rüel.* Tom. III. Period. III. Peric. VI. Diatr. VI. p. 653. idem canon repetitur in Excerptis *Egbert. Eboracensis* Archiepiscopi Tom. XVII. Concili

ed.

ed. Par. f. 495. & in Jure Canonico de Consecr. dist. I. Altaria nisi. Et in Capitulis *Caroli M.* T. XX. Concil. ed. Par. f. 301. Catholica tamen Ecclesia hac lege non tenetur, ut alibi probabo.

XII. FORMA consecrationis sequitur, quam putamus consistere in *primo & legitimo usu sacræ mensæ*, quo ipso eam à profanis separabant, & DEO in usus deinceps sacros destinabant, atq; ita sacram faciebant. Id enim est *consecrare* sive *dedicare* (quippe idem valent) *usum* nempe *alicujus rei*, idque fermè *cum festivitate aliqua auspicari.* Docet id ratio consecrationis aliarum rerum. Theatrum ludis olim destinatum erat. Horum ergo primo usu consecrabatur idem. Hinc *Ascanius* in Orat. Cic. contra Pisonem: *Hæc oratio*, inquit, *dicta est ante paucos dies, quam Cn. Pompejus ludos faceret, quibus Theatrum à se factum dedicavit.* Titus Vespasianus *in dedicatione amphitheatri*, quod ædificarat, quinque millia ferarum occidit, teste *Eutropio* lib. VII. c. 10. f. 579. Templum quid aliud, quàm publicus DEUM venerandi locus est? Consecrabatur igitur, cum publica DEI veneratio primum in eo instituebatur. Itaque dedicatam Jovis in Capitolio ædem refert *Livius* lib. II. Dec. I. Usus domus est, ut habitetur. Consecratur igitur, quam primum habitari incipit. Hinc Nero cum *domum* suam *absolutam dedicaret, hactenus comprobavit, ut se diceret quasi hominem tandem HABITARE COEPISSE*, ut est ap. *Sueton.*

in Nerone cap. XXXI. Patinis utimur in cibis apponendis. Eodem modo eas consecramus, quàm primùm ad mensam eas adhibemus. Ita Vitellius consecravit suam patinam, quam ob immensam magnitudinem Clypeum Minervæ *αἰγίδα πολιέχε* dictitabat: in hâc scarorum jecinora, phasianorum & pavorum cerebella, linguas phœnicopterum, murænarum lactes, à Carpathio usque fretoque Hispaniæ per navarchos ac triremes petitarum commiscuit, teste eodem *Suetonio* in Vitell. cap. XIII. Pontis usus est, ut flumina transeamus. Dedicatur igitur primo transitu. Quod fecisse Caligulam laudatus sæpe memorat *Suetonius* in ejus vitâ cap. XXXII. & XIX. Cum enim is pontem sinui Bajano imposuisset, ultro citroque per illum commeavit, biduo continenti. Primo die phalerato equo, insignisque quercicâ coronâ & securi, & cetrâ, & gladio, aureaque chlamyde. Postridie quadrigario habitu, curriculoque bijugi famosorum equorum, præ se ferens Darium puerum ex Parthorum obsidibus, comitante Prætorianorum agmine, & in essedis cohorte amicorum. Denique cum multos è litore invitasset ad se, eadem pontis dedicatione, repente omnes præcipitavit. Sed quid attinet profanas excutere historias, cum sacræ suppeditent exempla, quibus id, quod volumus, abunde planum facere possumus. Altaria tabernaculi Moses dedicavit sacrificiis Exod. XL, 27. 29. Num. VII, 87. 88. labrum infusione

apud

aquæ & lotione, ibid. 30. 31. additâ unctione ex mandato divino. Templum Salomonis consecrabatur orationibus & sacrificiis 1. Reg. VIII. mœnia Hierosolymorum conscensione & perambulatione Nehem XII. recens ædificatæ domus inhabitatione Deut. XX, 5. adjunctis ubique precibus & hymnis, sine quibus pii non solent nec debent quicquam incipere. Quin & simulacum Nebucadnezaris solenni & publicâ veneratione dedicabatur Dan. III, 2. 3. 5. Ut adeò singula hæc tum consecrata fuerint, quum primum cœperunt adhiberi ad eos usus, in quos parata erant.

XIII. Atque ita veteres quoque Christiani consecrationem intelligebant. *Augustinus* Enarrat. in Psalm CXIII, 2. Tom. VIII. f. 1307. sacra vasa usu consecrari scribit. *Nos pleraque instrumenta & vasa ex hujusmodi materia vel metallo* (auro argentoque) *habemus in usum celebrandorum sacramentorum, QUO IPSO MINISTERIO CONSECRATA sancta dicuntur, in ejus bonore, cui pro salute nostra inde servitur.* Appellat *ministerium*, ac sine dubio *primum* intelligit: peracto enim primo jam consecrata erant sacra illa vasa. *Tertulliani* quoque & *Cypriani* linguâ *dedicare* idem est quod *adire, inchoare.*

XIV, Quæ igitur cum ita sint, nemo non intelligit, in quo ponenda forma consecrationis altarium Christianorum sit: nempe *im prima eorundem usurpatione, seu adhibitione ad eos usus, in quos exstructa erant.* Hoc enim dum fiebat,

fiebat, eo ipso simul sacra illa fiebant & à profanis separabantur mensis. Quæ vero ratio primæ illius usurpationis fuerit, non intelligetur melius, quam ex usibus, in quos illa vetus ecclesia excitavit. Excitavit autem inprimis propter sacrificia mystica & S. Cœnæ celebrationem, quemadmodum supra cap. VIII. ex antiquitate demonstravi. Atque ita etiam consecravit eadem, quum ad actiones illas sacras primum adhiberet. Id quod veterum firmare testimoniis, non ab re erit.

XV. Ac primum quidem consecrata Christianorum altaria precibus & hymnis fuisse, laudato sæpe *Gregorii Nysseni* loco ex lib. de Bapt. efficitur, ubi ait: *Altare hoc sanctum, cui assistimus, lapis est natura communis - - - - - sed quoniam DEI cultui consecratum atque dedicatum est, ac BENEDICTIONEM ACCEPIT, mensa sancta, altare immaculatum est &c.* Sanctum igitur fieri censebatur altare *benedictione*, id est, precibus ad DEUM fusis. Non aliter consecratum cum templo fuit altare Tyriorum. Hîc enim, ut est apud *Eusebium* Hist. Eccl. lib. X. cap. III. f. 107. b. τῶν προηγουμένων ἐντελεῖς θρησκεῖαι, ἱερουργίαι τε τῶν ἱερωμένων, καὶ θεοπρεπεῖς ἐκκλησίας θεσμοί. ὧδε μὲν ψαλμῳδίαις καὶ ταῖς λοιπαῖς τῶν θεόθεν ἡμῖν παραδοθεισῶν φωνῶν ἀκροάσεσιν. ὧδε δὲ θείαις καὶ μυστικαῖς ἐπιτελουμέναις διακονίαις. σωτηρίου δὲ ἦν πάθους ἀπόρρητα σύμβολα· ὁμοῦ δὲ πᾶν γένος ἡλικίας ἄρρενός τε καὶ θήλεος φύσεως, ὅλῃ διανοίας ἰσχύϊ δι' εὐχῶν καὶ εὐχαριστίας γεγηθότι νῷ καὶ ψυχῇ,

τὸν τῶν ἀγαθῶν παραίτιον θεὸν ἐγέραιρον, h. e. *eorum, qui praeerant Ecclesiis, legitimi cultus sacrorumque operationes eorum, qui ad illas erant consecrati, & honesti ecclesiarum ritus, hic PSALMODIIS ac reliquis divinitus nobis traditis elogiis, illic divinis ac mysticis ministeriis, sicut & arcana salutaris passionis Symbola, perfici & administrari visebantur: simul & cujusvis aetatis viri ac feminae totis animi viribus hilarique mente ac animo PRECANDO ET GRATIAS AGENDO DEUM bonorum auctorem venerabantur.* conf. cap. IV. Similiter dedicatum Martyrium, id est ædes Servatoris Hierosolymis à Constant. M. exstructa: ubi etiam οἱ τοῦ θεοῦ λειτουργοὶ εὐχαῖς ἅμα καὶ διαλέξεσι τὴν ἑορτὴν κατεκόσμουν. ἄλλοι δὲ ἑρμηνείαις τῶν θείων ἀναγνωσμάτων ἐποιοῦντο, τὰς τ' ἀπορρήτους ἀποκαλύπτοντες θεωρίας· οἱ δὲ μὴ διὰ τούτων χωρεῖν, οἷοί τε, θυσίαις ἀναίμοις καὶ μυστικαῖς ἱερουργίαις τὸ θεῖον ἱλάσκοντο, ὑπέρ τε κοινῆς εἰρήνης, ὑπὲρ τῆς ἐκκλησίας τοῦ θεοῦ, αὐτοῦ τε βασιλέως, ὑπὲρ τοῦ τοσούτων αἰτίου, παίδων τ' αὐτοῦ θεοφιλῶν ἱκετηρίους εὐχὰς τῷ θεῷ προσαναφέροντες, i. e. *sacerdotes & PRECIBUS & disputationibus hanc celebritatem ornabant Alii sacras lectiones interpretantes, abditos & occultos sensus in lucem proferebant: alii, qui horum nihil poterant efficere, INCRUENTIS SACRIFICIIS & mysticis consecrationibus divinum numen placabant, & supplices DEO PRECES pro communi pace, pro Ecclesia DEI, ipsoque Imperatore harum praeclarissimarum rerum auctore, proque ejus DEO charis liberis offerebant*, ut idem scribit *Eusebius* lib. IV. de vit. Constant. M.

cap.

cap. XLV. f. 153. b. Et licet hic ſeparatim dedicationis altaris mentio non fiat, conſecratum tamen illud una cum templo fuiſſe, non obſcure ex eo colligas, quod *Sozomenus* de conſecratione anathematum cum templi conſecratione conjunctâ memoriæ prodidit lib. II. Hiſt. Eccl. cap. XXV. f. 32. his quidem verbis: καὶ οἱ μὲν ἧκον εἰς ἱεροσόλυμα, καὶ τὸν ναὸν καθιέρωσαν, καὶ τὰ παρὰ τοῦ βασιλέως κειμήλιά τε καὶ ἀναθήματα. *Illi* (Epiſcopi) *contendunt Hieroſolymam, & non templum ſolum, verum etiam theſauros & monimenta ab imperatore illuc miſſa conſecrant.* Certe ſi hæc cum templo conſecrata, multo magis cum eodem altare, tanquam longe potior pars, conſecratum videtur. Quod ipſum etiam mos illorum temporum perſuadet. Sic laudatum modo Tyriorum altare cum templo ſimul dedicatum fuiſſe, oratio illa, quæ tum in ſolenni Epiſcoporum panegyri habita, & Paulino Tyriorum Epiſcopo nuncupata eſt, docere videtur, in qua ut templi totius, ita & altaris, quæ præcipua templi pars eſt, deſcriptio & myſtica explicatio traditur. Nec conſecratum templum fuiſſe videtur, altari nondum conſecrato: nec ſeorſum primum altare templi ſine templo, vel templum ſine altari dedicatum illâ ætate legimus. Cæterum quod de precibus in conſecrationibus altarium adhiberi ſolitis diximus, id ipſum firmatum poſt ea A. C. 506. videmus decreto Concilii Agathenſis, cujus can. X. ita habet: *Altaria placuit non ſolum unctione Chriſmatis, ſed etiam ſacerdotali*

cerdotali benenictione sacrari, Tom. III. Concil. Illustr. Per. III. Peric. VI. Diatr. V. p. 646. Exemplum precum habes in *Ambrosii* Exhort. ad Virgin. in fine, Tom. I. f. 116. Verba hæc sunt: *Te nunc Domine precor, ut supra hanc domum tuam, supra hæc altaria, quæ hodie dedicantur, supra hos lapides spirituales, quibus sensibile tibi in singulis templum secratur, quotidianus præsul intendas, orationesque servorum tuorum, quæ in hoc loco funduntur, divina tua suscipias misericordia. Fiat tibi in odorem sanctificationis omne sacrificium, quod in hoc templo fide integra, piâ sedulitate defertur.* Aliud suppeditat Auctor Homil. CCLVI. de Tempore Tom. X. Oper. Augustini f. 1166. his verbis: *Ergo dum novam constructionem sanctæ hujus Ecclesiæ libenter attendimus, quam divino nomini hodie dedicamus, invenimus à nobis deberi & DEO nostro maximam laudem, & sanctitati vestræ congruum de divinæ domus ædificatione sermonem. Tunc autem sermo noster congruus erit, si in se aliquid ædificationis habeat, quod utilitati animarum vestrarum DEO vos interius ædificante proficiat. Quod hic factum corporaliter videmus in parietibus, spiritualiter fiat in mentibus: Et quod hic perfectum cernimus in lapidibus & lignis, hoc ædificante gratia DEI perficiatur in corporibus vestris. Principaliter ergo gratias agamus Domino DEO nostro, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum: & ejus bonitatem totâ cordis alacritate laudemus, quoniam ad construendam istam domum orationis fidelium suorum visitavit animum, excitavit affectum, surrogavit auxilium, inspiravit nec dum volen-*

volentibus ut vellent, adjuvit bonæ voluntatis conatus ut facerent, ac per hoc DEUS, qui operatur in suis & velle & perficere pro bona voluntate, hæc omnia ipse cœpit, ipse perfecit. Et quia opera bona in conspectu suo nunquam esse permittit inania, fidelibus suis quibus operantibus præbuit virtutis suæ favorem, tribuet condignam pro tanta operatione mercedem. Adhuc amplius agendæ sunt gratiæ DEO nostro. Hanc enim Ecclesiam, quam fecit nomini suo construi, fecit etiam sanctorum martyrum reliquiis amplius honorari. Hæc ille. Recentiorum Græcorum preces recitat Goar. in Euchol. p. 835.

XVI. Deinde in altaris dedicatione S. quoque *cœnam* celebravit antiquitas. Patet id è *Chrysostomi* homil. XX. in 2. Cotinth. VIII. f. 886. ubi de altari Christianorum ait: λίθος μὲν ἐστι τὴν φύσιν, ἅγιον δὲ γίνεται, ἐπειδὴ σῶμα δέχεται Χριστοῦ. *Natura quidem lapis est, sanctum autem efficitur, postquam Christi corpus excipit.* Quod si igitur altare tum demum fieri sanctum Chrysostomus censuit, quando impositum illi corpus Christi fuit (fuit autem in celebratione S. Eucharistiæ impositum:) hoc ipso sane simul docuit, adhibitam ætate sua in dedicatione altaris S. Eucharistiam esse. Sic enim concludo: Per quodcunque altare sit sanctum, illud in ejusdem dedicatione fuit adhibitum. Atqui per receptionem corporis Christi fit sanctum. Ergo. *Majoris* vim ipsius vocis consecrandi vis declarat. Quid enim aliud est consecrare, quam sacrum facere? *Minorem Chrysostomi* exhibent verba.

ba. Jam porro argumentor: Si altare in dedicatione recepit corpus Christi, sequitur, Eucharistiam tum super eo celebratam fuisse. At verum prius. Ergo & posterius. Assumtio ante probata. Propositionem ratio S. cœnæ firmat. Hæc enim dum celebratur super altari, corpus Christi ei impositum ab eodem recipitur. Missam nemo hîc somniet. *Chrysostomus* enim de sacramento tantum hic loquitur, ut antecedentia & consequentia docent; non item de sacrificio Missæ, quod ignoravit prorsus. *Chrysostomo* addo *Eusebium*, qui in dedicatione templi & altaris Tyriorum l. c. commemorat θείας καὶ μυστικὰς ἐπιτελουμένας διακονίας *divina & mystica peracta ministeria.* Quod de administratione Sacramentorum inprimis S. Euchariftiæ intelligendum. Ut enim sacramenta generatim μυστήρια, μυήσεις, τελετὰς, τελειώσεις, τελεστήρια, τελεστικὰ ἢ τελειωτικὰ μυστήρια, τελειωτικὰς θεώσεις, ἱεραρχικὰς τελετὰς Græci appellarunt Patres: ita sacram cœnam speciatim *Chrysostomus* homil. XLIV. in Matth. vocavit numero multitudinis τὰ μυστήρια, *Dionysius* Eccl. Hierarch. cap. III. τελετῶν τελετὴν, ἱεροτελεστίαν, τὴν ἱεροτελεστικὴν εὐχαριστίαν. Addit *Eusebius* σωτηρίου πάθους ἀπόῤῥητα σύμβολα *salutaris passionis arcana Symbola.* Quod de pane & vino interpretor, hæc enim sunt Symbola corporis pro nobis cruci affixi, & sanguinis pro nobis effusi, adeoque salutaris passionis: hæc item ἀπόῤῥητα, *arcana* recte appellantur, quod non facile solebant ve-

M teres

teres ea in vulgus efferre, ut alibi demonstratum. Vide interim *Casaub.* Exerc. ad Annal. Baron. XVI. n. 43. pag. 396. Sed ut tandem pateat, quo fine hæc allata, placet rem redigere in Syllogismum, atque ita argumentari. Ubicunque adhibitæ θεῖαι καὶ μυστικαὶ διακονίαι καὶ σωτηρίου πάθους ἀπόῤῥητα σύμβολα, ibi sacra Euchariſtia celebrata. Atqui in dedicatione altaris & templi Tyriorum adhibitæ ſunt illæ διακονίαι καὶ σύμβολα. Ergo. Minor *Euſebii*, Major probata ante.

XVII. Sequitur *Unctio*, quam in altarium dedicatione precibus & Euchariſtiæ tandem ſuperadditam fuiſſe, *Dionyſius* non quidem ille Areopagites, at ſcriptor tamen admodum antiquus, cap. III. Hierarch. Eccl. teſtatur primo generatim p. 176. τῷ θείῳ μύρῳ χρῆται πρὸς πάντας ἱερᾶς τελεσιουργίαν. *Unguento divino utitur ad omnis ſacræ rei conſecrationem.* Deinde ſpeciatim p. 177. καὶ τοῦτο δὲ ἱεραρχικῶς ἐννόησον, ὅτι καὶ τοῦ θείου θυσιαστηρίου τὴν ἱερὰν τελείωσιν, ἡ τῶν ἁγιωτάτων τελεῶν θεσμοθεσία, ταῖς τοῦ ἱερωτάτου μύρου τελετουργεῖ παναγέσιν ἐπιχύσεσιν. *Et hoc item ſacratius adverte, quod divini quoque altaris conſecrationem ſanctiſſimorum myſteriorum lex, ſacratiſſimi unguenti caſtiſſimis infuſionibus perficit.* Idem poeva Concilium Agathenſe can. 10. comprobaſtit, jubens, ut *altaria unctione Chriſmatis conſecrentur.* Comprobavit etiam & ſanxit Concilium Epaunenſe Can. 26. cujus decretum ſecuti

poſtea

postea & alii sunt, ut supra vidimus. Videtur autem hæc altaris unctio ex veteri Testam. in Novum manasse. Ibi enim de mandato divino adhibitam fuisse, constat ex Exod. XL, 10. ad significandam unctionem Christi, qui est altare N.T. Hebr. XIII, 10. unctusque oleo lætitiæ præ consortibus suis Psalm. XLV, 8. Act. X, 38. idque secundum humanam naturam, ut, quemadmodum altare V.T. per unctionem fiebat aptum ad sacrificia, ita ipse quoque illâ unctione fieret aptus ad sacrificium crucis, quod tanquam sacerdos obtulit. Deinde etiam externa illa altaris Levitici unctio admonere debebat Israëlitas de mysticâ & interiori altarium cordis unctione. Unguenda quippe illa oleo lætitiæ Ps. XLV, 8. oleo sancto Ps. LXXXIX, 21. chrismate 1. Joh. II, 20. 27. id est Spiritu S. ejusque donis; oleo item fidei Matth. XXV, 4. ut sint idonea ad sacrificia laudis Psalm. L, 14. 23. gratiarum actionis Ps. CVII, 22. justitiæ Ps. IV, 6. pœnitentiæ Ps. LI, 19. & suffimentum precum Psalm. CXLI, 2. Apoc. V, 8. VIII, 3. 4. Atque hæc ratio videtur fuisse unctionis altarium in V.T. quæ quidem ratione significationis typicæ abrogata cum cæteris cerimoniis est, nec ita retinenda omninò in N.T. fuit. At Patres quidam veteris Ecclesiæ Christianæ, quum ad sacrarum quoque mensarum in usum S Eucharistiæ paratarum consecrationem liberè adhibuerunt, (quâ tamen cerimonia carere potuissent) videntur inprimis spectasse significationem ejus *pæda-*

gogicam. Et hactenus quidem non adeò malè retinuerunt: quia ut circumcisio quamdiu libera habebatur cerimonia, vitii nihil habuit Act. XVI, 3. 1. Cor. VII, 18. 19. ita & unctio illa, quatenus ut cerimonia aliqua *pædagogica liberè* fuit adhibita, vitio caruit. Verùm ubi postea accessit opinio *necessitatis* per decreta Romani Pontificis in orbem Christianum invecta, accessit etiam ipsi unctioni tantùm vitii, ut eodem jure, quo circumcisio olim Gal. II, 3. 4. V, 2. 3. seqq. VI, 12. 13. tolli debuerit. Quæ etiam caussa est, quod hodie orthodoxa Ecclesia cerimoniâ istâ in mensarum sacrarum dedicatione non possit ritè uti. Neque enim adhuc heterodoxa Pontificiorum cohors necessitatem illi affingere desinit, quin Physicam etiam illi superaddit virtutem, ac tantùm non magicam. Nec tanta ejus antiquitas est, quanta Pontificiis videtur. Quod doctissime ostendit *Bebelius* loc. cit. §. 16.

XVIII. Cæterum seculo adhuc VIII. id genus cerimonias in dedicatione altarium adhiberi solitas reperio, ab ipsis etiam Pontificibus Romanis. Sic enim scribit Paulus I. ad Pipinum: *Mensam illam, quam olim sanctæ recordationis Domino & germano nostro, beatissimo Stephano Papæ, & per eum B. Petro Apostolo, obtulistis, cum hymnis & canticis spiritualibus, Litaniæ laudes solenniter DEO referentes, infra aulam ipsius principis Apostolorum, introduximus: eamq; vestri missi, in sacram confessionem, super corpus scilicet ejusdem cœlorum regni*

gni Janitoris, ex vestri personâ obtulerunt: quam & Chrismate unctionis sanctificantes, & sacram oblationem super eam imponentes, sacrificium laudis DEO omnipotenti, pro æternâ animæ vestræ remuneratione, & regni vestri stabilitate obtulimus: decernentes apostolicâ censurâ, sub anathematis interpositione, nulli unquam licere, eam ab Ecclesiâ B. Petri abalienare. Et ecce, memoriale vestrum, eâdem apostolicâ aulâ fulgens, permanet in æternum, epist. XIV. secundum Codicem Carolinum, XXVII. secundum codicem Vaticanum, V. secundum collect. Sirmondi Tom. XVII. Concil. edit. Paris. f. 622. & Centur. Magdeb. VIII. cap. VI. f. 177. Imò IX. quoque sec. ita consecrata fuisse altaria, oblationibus tantùm additis, Centuriarum Magdeburg. conditores canone 24. Concilii Aquensis ex Tom. II. Concil. Coloniæ impressorum docent his verbis: *Altaria erigit, eisque oleum superfundit, ac sancto chrismate perungit, ac de factis dictisq; Jacob melodiam Christo canit, & à fidelibus oblationes, vota, & pretiosarum diversarumque rerum, ad decorem divini cultus, sacerdotum cæterorumq; ministrorum Christi usus, pauperumq; receptionem ac recreationem, suscipit donaria*, Cent. IX. cap. VI. f. 123.

XIX. Atque utinam his contenta ritibus sequentium seculorum fuisset Ecclesia, doctrinamque potius servare incorruptam, quàm cerimonias præter modum cumulare studuisset! sic minus certè hodie querelarum foret. Verum contra potius acta & facta omnia, neglectâq;

doctrinæ puritate ad superstitionem usque desudatum in augendis ritibus est, inprimis in Romanâ Ecclesiâ, fecundâ aliâs superstitionum matre & solerti vanarum cerimoniarum magistra, cujus hâc in re studium & περιεργίαν alio loco persequemur.

XX. Jam FINEM consecrationis considerare juvat: quem quidem hunc fuisse puto, ut beneficio illius mensæ Christianorum publicæ *à profanis separatæ, aptæ atque idoneæ fierent ad usus illos sacros*, quorum gratiâ ipsæ excitatæ erant. Etsi enim veteres optimè intelligebant, sacra Christianorum certo loco alligata non esse, ut in V. T.; tamen non decere existimabant, ea ubivis terrarum, nullo locorum habito discrimine, tractare. Nec eâ in opinione errarunt. Cum enim omnia in Ecclesiâ fieri debeant κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημόνως, præcipiente Apostolo 1. Cor. XIV, 40. convenit utique, non tantùm certam habere ædem, ubi ordinarii Christianorum ad sacra ipsorum peragenda conventus agantur, in quo Ecclesiam inde ab initio multum semper operæ posuisse, nemo tam hospes in antiquitate est, qui ignoret; sed etiam in illâ ipsâ delecta æde, pro varietate officiorum sacrorum, varia constituere loca, & destinare alium quidem concionibus habendis, alium sacramentis dispensandis, alium aliis. Quin & hoc decorum aque adeò necessarium est, ut, quando uti incipimus locis vel fabricis sacris ad sacra officia destinatis, laudemus DEUM, cujus

jus benignitati, quicquid boni nobis contingit, acceptum referrri oportet. Sanè hoc Apostolus præcepit Coloss. III, 17. hoc David fecit suam dedicans domum, ut est in Inscriptione Ps. XXX. hoc veteres etiam Christiani solenniter præstiterunt, ubi sedatâ, quæ tantopere sævierat, tempestate, tranquillo otio ipsis facultas erigendi templa concessa fuerat, teste *Eusebio* Hist. Eccl. l. X. c. III. f. 107. & l. IV. de vit. Const. M. c. XLV. f. 153. hoc idem in altarium sive mensarum sacrarum dedicatione olim observatum.

XXI. Et quemadmodum finis consecrationis ciborum gratiarum actione peragandæ is est, ut hoc modò cibi fianr idonei ad usum 1. Tim. IV, 3. omnisque res à DEO creata per verbum DEI & preces consecretur, eum ob finem, ut eâ liceat ritè uti 1. Tim. IV, 4. 5. Ita etiam consecrationis mensarum s. altarium finis est, ut hoc ritu illa fiant apta & idonea ad suos usus. Hi verò qui sint, supra jam expositum cap. VIII. est Veterem autem Ecclesiam in consecratione altarium eum quoque finem, quem hactenus explicuimus, intendisse & spectasse, docere sæpe jam laudatum sæpiusque laudandum *Gregorii Nysseni* testimonium videtur: *Altare hoc sanctum, cui assistimus, lapis est naturâ communis, nihil differens ab aliis crustis lapideis ex quibus parietes nostri exstruuntur & pavimenta exornantur: sed quoniam DEI cultui consecratum atque dedicatum est ac benedictionem accepit, mensa sancta, altare immaculatum est, quod non amplius ab omnibus, sed à solis sacerdotibus iisq; venerantibus contrectatur.*

Consecratum hic ait altare, & quidem *cultui divino* sive propter cultum divinum. Cultum autem DEUM ad altaria fuisse sacrificiis mysticis, ideoque erecta etiam fuisse illa, memorato capite jam planum factum. Ex quo probabile est, consecrasse illa non alium ob finem, nisi ut ad illa sacrificia cæterosque usus, quorum gratiâ exstructa erant, fierent apta atque idonea, adeò quidem, ut ipsa ad nullos in posterum profanos usus adhiberentur, nec alibi quàm in iis solennia & publica Christianorum sacra ordinario modo celebrarentur. Atque hoc ipsum velle mihi videtur ista *Gregorii* dictio.

XXII. Sed de *Caussis* hactenus. Sequuntur ADJUNCTA. Quo referre placet consecrationis originem, usum licitum & *ἀδιάφορον*, solennitatem, anniversariam denique memoriam. De singulis pauca.

XXIII. Primò de *Origine*. Hæc verò non ex uno fluxisse fonte videtur, sed è diversis, prout ipsa consecratio diverse consideratur. Vel enim *generatim* consecrationis voce intelligitur prima mensæ alicujus ad S. Eucharistiam celebrandam usurpatio, cum precibus & lectione scripturarum, alias adhiberi solitis, conjuncta; vel *speciatim* solennis illa ceremonia Ecclesiastica significatur, prout certo ordine fiebat in Ecclesiâ veteri. Si *priori* modo consecrationis vox sumitur, non dubito ejus originem ad *Apostolos* referre. Cum enim hi præceperint, facere & incipere omnia in nomine Domini, adhibitis

bitis piis precibus Coloff. III, 17. ideò ſane probabile eſt, eos quoque, quum vel domo aliqua vel menſâ ad ordinaria ſua ſacra cœperunt uti, veneratos numen divinum piis fuiſſe precibus, ſaltem illis, quibus aliàs uti in conventibus ſuis & actionibus illis ſueverant: aliàs ſecum ipſi pugnaſſent dicentes aliud, aliud facientes. Sin *poſteriori* modo conſecratio ſpectatur, non Apoſtolis, ſed *Epiſcopis & Presbyteris*, Apoſtolorum tempora inſecutis ejus vendicanda inſtitutio eſt. At cuinam *nominatim*, definire eſt difficile. In hiſtoriâ Romanæ Eccleſiæ dedicationes altarium primis tribui Pontificibus, Evariſto, Higino & aliis, *Hoſpinianus* de Orig. Templ. lib. IV. cap. III. f. 385. ſcribit, quo auctore, non addit. In *Platina* certe & *Petro de Natalibus* tale quid non reperi. Sed ipſe iſti ſententiæ non ſubſcribit, quod non conveniat cum iis, quæ de origine altarium diſputaverat lib. II. cap. VI. Præferre tamen eorum videtur opinionem, qui Felici I. tribuunt, in qua fuiſſe conſtat noſtrum *Chemnitium* p. m. Part. I. Exam. Conc. Trid. de Tradit. pag. 86. At *Bellarmino* parum probatur, quin diſerte aſſertionem iſtam *mendacium* appellare non erubeſcit Tom. I. lib. IV. de verbo DEI cap. III. f. 46. *Et hoc*, inquit, *mendacium eſt. Conſtat enim, Sylveſtrum auctorem hujus ritus fuiſſe. Videtur Chemnitium decepiſſe epiſtola 1. Felicis IV, ubi multa diſputantur de conſecratione altarium, ſed nihil ibi inſtituitur novi, ſed ſolum antiqui ritus explicantur.* Velim modeſtius & conſideratius locutus eſſet.

Neque enim quisquam unquam poterit Chemnitium hîc convincere *mendacii*, etiamsi fingamus (quod tamen non concedimus) *dixisse falsum*. Et licet *Petrus de Natal.* lib. X. cap. XXXVIII. f. 207. Sylvestro vendicet originem dedicationis altarium; novum tamen non est, in historia Romanæ Ecclesiæ, unam eandemque rem ad plures referri Pontifices. Sic Felicem I. *Platina* in ejus vita p. 33. instituisse scribit, ut nullibi, necessitate excepta, quam in sacro loco sacrificium, quod Missam appellant, celebraretur. Idem *Petrus de Natalibus* Catal. Sanct. lib. XI. cap. III. f. 224. Syricio tribuit. At jus Canonicum de Consecrat. Dist. I. cap. 15. Sylvestro vendicat. Felicem IV. autem hujus rei auctorem epistola ipsius decretalis facere aliis videtur. Et ejusmodi sunt multa alia, de quibus inter ipsos Pontificios non satis convenit. Nec dubito, simile quid hîc etiam accidisse, & si *Bellarminus* cujuspiam è grege suo testimonium hanc in rem habuit, Chemnitio certe tale suam in sententiam non defuisse. Quid enim attinuisset, hîc aliquid fingere? Imo ipse l.c. provocat ad illos Historicos, qui regno Pontificio adhærent: quod nunquam fecisset, nisi consentientes aliquos, vel saltem unum habuisset. Quid multa? Ipsum *Bellarminum* suam hîc sententiam in *Retractatione* correxisse & Chemnitium ab impacto falsi crimine absolvisse, noster scribit *Hulsemannus* Anti-Bellarm. cap. IX. §. ult. p. 126. Interea grato acceptamus animo ingenuam istam *Bellarmini* de origi-

origine consecrationis altarium confessionem, eamque opponimus omnibus illis, qui vel Apostolos ejus faciunt auctores, vel tantam ei necessitatem affingunt, ut contendant, sacramentum altaris non posse celebrari nisi in altari consecrato. De quibus alibi dicetur commodiùs.

XXIV. Cæterum usum consecrationis eo modo, quo apud veteres fiebat, fuisse *licitum*, non unâ videtur effici ratione. Primùm enim consentanea illa præceptis Apostoli fuit 1. Cor. X. 31. Col. III, 17. 1. Tim. IV, 5. deinde pertinebat ad decorum & bonum ordinem in Ecclesiâ servandum 1. Cor. XIV, 40. Tertiò, instituebatur à viris eruditis & piis, & Ecclesiæ curam agentibus. Quartò cum nullâ lege nec divinâ nec naturali pugnabat. Quinto orthodoxi eam nunquam improbarunt.

XXV. Etsi vero, prout generatim significat primam mensarum sacrarum cum precibus ad DEUM fusis ad S. Eucharistiam usurpationem, non tantum licita, sed etiam *suo modo necessaria* est; tamen quatenus hoc loco ut cerimonia ecclesiastica certo constans ordine, ab Ecclesiâ libere recepto, spectatur, ἀδιάφορος tantum, seu *libera*, non item necessaria est. Neque enim præcepta à DEO, nec prohibita est, sed ab Ecclesia libere usurpata ad ædificationem, ordinem & decorum est: id quod ad ἀδιαφορίαν sufficit.

XXVI. De *solennitate* idem, quod de solennitate consecrationis templorum videtur

dicendum,

dicendum, ſive *ortum* ſpectes, ſive *modum*. Ut enim Eccleſia primis à nato Chriſto ſeculis non reperiebat locum, ubi tuto conſiſteret, tantum abeſt, ut ſolemniter conſecrare vel templa vel domos, ubi ſacri plurimum clam agebantur conventus, licuerit: ita quoque ſolenni altarium conſecrationi, eandem ob cauſſam tum temporis nihil loci relictum videtur fuiſſe. In quo non contra dicentes, puto, habebimus ipſos Pontificios, cum de templorum conſecratione idem plane doceat *Bona* Rer. Liturg. lib. I. c. XX. p. 299. Videntur autem ſolennes factæ illæ conſecrationes ſeculo demum IV. imperante Conſtantino M. cujus auſpiciis & templa & altaria ædificari magnifica, utraque etiam ſimul conſecrari ſolenniter cœpta. Juvat audire hâc de re *Euſebium*, teſtem graviſſimum, qui ſolennium encæniorum ortum lib. X. Hiſt. Eccl. cap. III. f. 107. b. graphice deſcripſit his verbis: ἐπὶ δὲ τούτοις, τὸ πᾶσιν εὐκταῖον ἡμῖν καὶ ποθούμενον συνεκροτεῖτο θέαμα, ἐγκαινίων ἑορταὶ κατὰ πόλεις, καὶ τῶν ἄρτι νεοπαγῶν προσευκτηρίων ἀφιερώσεις. ἐπισκόπων τε ἐπὶ ταυτὸ συνελεύσεις, τῶν πόῤῥωθεν ἐξ ἀλλοδαπῆς συνδρομαί· λαῶν εἰς λαοὺς φιλοφρονήσεις· τοῦ Χριστοῦ σώματος μελῶν εἰς μίαν συνιόντων ἁρμονίας ἕνωσιν. Συνήγετο δ' οὖν ἀκολούθως προῤῥήσει προφητικῇ μυστικῶς τὸ μέλλον προσημαινούσῃ, ὀστέον πρὸς ὀστέον, καὶ ἁρμονία πρὸς ἁρμονίαν· καὶ ὅσα θεσπίζων ὁ λόγος δι' αἰνιγμάτων ἀψευδῶς προανετείνετο. μία τε ἦν θείου πνεύματος διὰ πάντων τῶν μελῶν χωροῦσα δύναμις· καὶ ψυχὴ τῶν πάντων μία, καὶ

προθυμία πίστεως ἡ αὐτή· καὶ εἷς ἐξ ἁπάντων θεολογίας ὕμνος· ναὶ μὴν καὶ τῶν προηγουμένων ἐντελεῖς θρησκεῖαι, ἱερουργίαι τε τῶν ἱερωμένων, καὶ θεοπρεπεῖς ἐκκλησίας θεσμοί· ὧδε μὲν ψαλμῳδίαις καὶ ταῖς λοιπαῖς τῶν θεόθεν ἡμῖν παραδοθεισῶν φωνῶν ἀκροάσεσιν· ὧδε δὲ θείαις καὶ μυστικαῖς ἐπιτελουμέναις διακονίαις· σωτηρίου τε ἦν πάθους ἀπόρρητα σύμβολα. ὁμοῦ δὲ πᾶν γένος ἡλικίας ἄρρενός τε καὶ θήλεος φύσεως, ὅλῃ διανοίας ἰσχύϊ δι' εὐχῶν καὶ εὐχαριστίας γεγηθότι νῷ καὶ ψυχῇ· τὸν τῶν ἀγαθῶν παραίτιον θεὸν ἐγέραιρον· ἐκίνει δὲ καὶ λόγους ἅπας τῶν παρόντων ἀρχόντων πανηγυρικούς· ὡς ἑκάστῳ παρῆν δυνάμεως θειάζων τὴν πανήγυριν. h. e. *Optatum ea tempestate & desideratum nobis spectaculum exhibetur, celebrationes videlicet Encaniorum per civitates, & oratoriorum recens structorum consecrationes, episcoporum conventus, concursis eorum qui procul à se invicem dissiti, in alienis regionibus habitabant, populorum ergo populos benevolentia, coadunationem membrorum corporis Christi, in unam harmoniam coëuntium. Itaque secundum vaticinium prophetæ, quod futurum erat mysticè tum antea significantis, conjungebatur os ossi, junctura juncturæ, & quæ alia sermo Propheticus ænigmatice quidem, sed veraciter prædixit. Una agebat in membris omnibus divini spiritus virtus, & erat omnibus anima una, & fidei propositum idem, & divinitatis celebratio ex omnibus una, quin & eorum, qui praeerant Ecclesiis legitimi cultus, sacrorumque operationes eorum, qui ad illas erant consecrati, & honesti Ecclesiarum ritus hic Psalmodiis ac reliquis divinitus nobis traditis elogiis, illic divinis ac*

my-

mysticis ministeriis, sicut & arcana salutaris passionis Symbola, perfici & administrari visebantur, simul & cujusvis ætatis viri ac feminæ totis animi viribus hilarique mente & animo precando & gratias agendo, DEUM bonorum autorem venerabantur. Denique & ecclesiarum præsides, quotquot aderant, panegyricis sermonibus, quisquis pro viribus, panegyricos conventus ornabant & laudabant. Hactenus *Eusebius*, ortum simul & modum solemnium consecrationum declarans. De *tempore*, quo solemnes fieri cœptæ ejusmodi consecrationes, nobis convenit cum iis, qui Sylvestrum I., cujus ætas in tempora Constantini M. incidit, decreto sanxisse dicunt, ut altarium consecrationes solennes essent, cum *Antonin.* tit.9. cap.2. Quanquam quod auctorem hujus rei nominatim attinet, nostrum nondum addere placuit calculum. Fuisse autem illâ ætate cum templis conjunctim consecrata altaria, argumento illud esse supra diximus, quod oratione illâ, quæ in dedicatione templi Phœnicum habita, & superioribus verbis ab Eusebio proximè subjuncta est, ratio altaris perinde ut templi mysticè explicatur, nec usquam, vel illud ipsum, vel alia eaque prima sine templo separatim consecrata fuisse altaria, traditur. Quo etiam fit, ut, qui in dedicandis templis solennitatis *modus* fuit, eundem etiam in dedicatione altarium obtinuisse credendum sit. Melius hunc discemus, si dedicationem Martyrii i.e. sacræ martyrum ædis, Hierosolymis in Golgotha,

gotha à Conſtantino M. exſtructæ, perluſtraverimus, memoriæ ab eodem *Euſebio* proditam lib. IV. de Vit. Conſt. M. cap. XLIII. XLIV. XLV. Audiemus autem Latinè potius quàm Græcè (quoniam locus eſt paulo longior) loquentem ex interpretatione Jo. Chriſtophorſoni: *Interea verò dum hæc ab Imperatore demandata gererentur, alter ab eodem nuncius feſtinans ſupervenit, qui Synodum Imperatoris literis commonet, ut celeriter & ſine procraſtinatione Hieroſolymis proficiſcerentur. Cum igitur omnes Phœnicum Epiſcopi publicis vehiculis ad conſtitutum locum contenderent, celeriter totus ille locus frequentiſſimo DEI cœtu refertus eſt: confluentibus nimirum eodem tempore Hieroſolymas cujusvis provinciæ Epiſcopis. Nam Macedones ſuæ metropolis Epiſcopum legebant: Pannonii & Myſi ſuum etiam juventutis florem, tanquam DEI impuberem cœtum miſerant. Aderat ex Perſiæ Epiſcopis divinum monumentum, vir ſummus & in ſacris ſcripturis exercitatiſſimus. Jam Bithyni & Thraces ſynodi frequentiam ſuâ præſentiâ ornabant: nec deerant lectiſſimi quiq; Ciliciæ. Sed & ex Cappadocia, qui doctrinâ & eruditione præcipui credebantur, medii inter alios collocati enituerunt. Præterea omnis Syria & Meſopotamia, Phœnicia, Arabia, Palæſtina, Ægyptus etiam & Africa, & Thebanæ gentis Epiſcopi, magnificum illum DEI cœtum ſimul omnes implebant: quos immunerabilis penè ex omnibus provinciis multitudo ſequebatur. Hiſce verò omnibus præſto fuerunt certi miniſtri. Nam ex ipſâ curiâ delegati erant ſpectata probitate viri, qui Imperatoriis ſumtibus celebritatem hanc illuſtrarent. Sed horum*

rum facilè princeps Marianus, fide & prudentiâ vel ipsi Imperatori perquam necessarius: cui quod sacrarum scripturarum singularem usum haberet, & professione veræ religionis duris illis tyrannorum temporibus clarus evaserat, non sine caussa rerum istarum dispositio data est. Is verò se Imperatoris voluntati castissimum & integerrimum ministrum præbens, cum gratâ quadam & suavi humanitate, tum splendidis conviviis, & lætis compotationibu cœtum illum honorifice tractabat. Jam pauperum nudis corporibus, & cæterorum cum virorum tum feminarum infinitæ penè multitudini, in summâ victus inopiâ, & reliquarum oportunitatum egestate positæ, prolixè & abundanter pecunias & vestes largitus est. Templum verò omne magnificis regiisque donis ornaverat. Atque hic quidem hoc genere officii perfunctus est. Interea sacerdotes & precibus & disputationibus hanc celebritatem ornabant. Jam alii divini regis præclaram in Servatorem benignitatem prædicabant: simul etiam oratione persequebantur summam sacræ Martyrum ædis magnificentiam: alii celebri rerum divinarum apparatu, qui è sacris monumentis depromebatur, præsentibus convivium, quo & animos & aures dapibus & reliquo deliciarum genere pascerent, instruebant: alii sacras lectiones interpretantes abditos & occultos sensus in lucem proferebant: alii, qui horum nihil poterant efficere, incruentis sacrificiis & mysticis consecrationibus divinum numen placabant, & supplices DEO preces pro communi pace, pro ecclesiâ DEI, ipsoque Imperatore harum præclarissimarum rerum autore, proque ejus DEO charis liberis offerebant. Quo etiam in loco nosmetipsi, cui multa supra

ſupra noſtram dignitatem tributa ſunt, publicis iisque ſanè variis orationibus celebritatem illam exornabamus: cum aliquando quæ magnificè ab Imperatore geſta eſſent, ſcriptis ederemus: aliquando propheticos ſenſus, propoſitis quibusdam evidentibus ſignis, explicaremus. Hoc modo hujus Martyrii dedicationis conſecrationisq́; celebritas, ipſo triceſimo Imperatorii regni anno, ſummo omnium gaudio ac lætitia conſummata fuit. Hæc *Euſebius*, ex quibus diſcimus, ſolemnitatem conſecrationis ut templorum ita & altarium poſitam fuiſſe iſtâ ætate (1) in ſolemni Epiſcoporum & aliorum hominum conventu, (2) in publicâ omnium lætitiâ, publicis conviviis declaratâ, (3) in beneficentiâ ſingulari erga pauperes, (4) in magnificâ anathematum collatione, (5) in orationibus Panegyricis, (6) in publicâ Scripturarum interpretione, (7) in ſolemnibus diſputationibus, denique (8) quod primum fuit, in precibus & incruentis ſacrificiis, à quibus, ut ſupra dictum, removenda minimè S. Euchariſtiæ celebratio.

XXVII. Neque verò tantùm ſolenniter primùm altare conſecratum, ſed etiam poſtea *ſolenniter culta* anniverſaria *dedicationis* ſemel factæ *memoria* eſt. Videtur hic mos, perinde ut ſolemnitas conſecrationis, Conſtantini demum cœpiſſe ætate, & primum quidem in Eccleſiâ Hieroſolymitanâ, quæ memoriam dedicationis Martyrii primùm anniverſario feſto coluiſſe dicitur. Teſtis eſt *Sozomenus* Hiſt. Eccl. lib. II. cap. XXVI. f. 32. his verbis: ἐν τούτῳ δὲ ἀμφὶ τὴν τρί-

N τὴν

τὴν δεκάδα τῆς Κωνσταντίνου ἡγεμονίας ἐξεργασθέντος τοῦ ἐν Ἱεροσολύμοις νεὼ περὶ τὸν κρανίου χῶρον, ὃ μέγα μαρτύριον προσαγορεύεται, παραγενόμενος εἰς Τύρον Μαριανὸς, ἀνὴρ τῶν ἐν ἀξίᾳ βασιλικὸς ταχυγράφος, ἀπέδωκε τῇ συνόδῳ βασιλέως ἐπιστολὴν, παρακελευομένην ἐν τάχει τὰ Ἱεροσόλυμα καταλαβεῖν, καὶ τὸν νεὼ καθιερῶσαι. τοῦτο δὲ καὶ πρὶν βεβουλευμένος ἀναγκαῖον ἐνόμισε πρότερον ἐν Τύρῳ συνελθόντας τοὺς ἐπισκόπους, διαθεῖναι τὰς πρὸς ἀλλήλους διαφοράς· οὕτω τε κεκαθαρμένους διχονοίας καὶ λύπης, ἐπὶ τὴν ἀφιέρωσιν τοῦ νεὼ χωρῆσαι· πρόσφορον γὰρ εἶναι τοιαύτῃ πανηγύρει τὴν ὁμόνοιαν τῶν ἱερέων. καὶ οἱ μὲν ἧκον εἰς Ἱεροσόλυμα, καὶ τὸν ναὸν καθιέρωσαν, καὶ τὰ παρὰ τοῦ βασιλέως κειμήλιά τε καὶ ἀναθήματα, ἃ εἰσέτι νῦν ἐν τῷδε τῷ ἱερῷ οἴκῳ ἀνάκειται, καὶ πολὺ παρέχει θαῦμα τοῖς θεωμένοις, πολυτελείας καὶ μεγέθους ἕνεκα. ἐξ ἐκείνου δὲ, ἐτήσιον ταύτην ἑορτὴν λαμπρῶς μάλα ἄγει ἡ τῶν Ἱεροσολύμων ἐκκλησία· ὡς καὶ μυήσεις ἐν αὐτῇ τελεῖσθαι, καὶ ὀκτὼ ἡμέρας ἐφεξῆς ἐκκλησιάζειν, συνιέναι τε πολλοὺς σχεδὸν ἐκ πάσης τῆς ὑφ' ἥλιον, οἳ καθ' ἱστορίαν τῶν ἱερῶν τόπων πάντοθεν συντρέχουσι κατὰ τὸν καιρὸν ταύτης τῆς πανηγύρεως. *Dum hæc geruntur, circiter trigesimum annum imperii Constantini, cum templum Hierosolymis, quod magnum vocabatur, in Calvariæ loco extructum esset: Marianus, vir nobilis, & scriba Imperatoris, accedens Tyrum, concilio tradidit literas, quibus erat mandatum, ut episcopi quàm maturimè Hierosolymam peterent, novumq; templum consecrarent. Quin etiam istud quoq; (sic enim secum antè deliberaverat) necessarium putavit, ut Episcopi, qui Tyri in unum*

unum convenerant, lites inter ipsos susceptas primò omnium dirimerent: sicq; deinde à discordiâ & offensione animorum purgati, ad templum dedicandum se conferrent. Nam concordiam sacerdotum tali festo peraccommodatam esse. Itaq; Episcopi contendunt Hierosolymam, & non templum solùm, verùm etiam thesauros & monimenta ab Imperatore illuc missa consecrant: quæ ad hoc tempus in eo templo manent reposita, multumq; admirationis propter suam magnificentiam & amplitudinem spectatoribus excitant. Ex quo tempore Ecclesia Hierosolymitana quotannis diem festum splendidè admodum celebrat; adeò ut in eo initiationes sacrorum peragantur, & dies octo deinceps conventus fiant: compluresq; ex omnibus totius orbis terræ partibus, qui undique ad sacra loca visenda confluerent, tempore, quo hic dies festus celebrabatur, eò convenirent. Hæc *Sozomenus*, quæ in suam etiam historiam transtulit *Nicephorus* lib. VIII. cap. L. f. 437. Quanquam verò nec hic altaris seorsum mentio fiat, cultam tamen unà cum templi dedicatione & illius fuisse memoriam anniversariam, non tantùm inde colligere est, quod & altaris & templi dedicatio primò conjunctim facta; sed etiam quod *Augustinus*, vel quisquis auctor est homil. CCLII. de Temp. Tom. X. oper. f. 1153. utrumque in oratione anniversario dedicationis festo habitâ conjungit. Sic enim ait: *Quotiescunq;, fratres charissimi, altaris vel templi festivitatem colimus, si fideliter ac diligenter attendimus, & sanctè ac justè vivimus, quicquid in templis manufactis agitur, totum in nobis spiritali ædificatione com-*

pletur. Quod ſi de auctore hujus & cæterarum id genus homiliarum certò inter omnes conſtaret, in Hipponenſi quoque Eccleſiâ morem iſtum *Auguſtini* ætate receptum fuiſſe, dicendum eſſet. Hoc tamen non videtur negandum, alias Eccleſias Hieroſolymitanam hîc ſibi imitandam propoſuiſſe, & ex hoc fonte morem iſtum in cæteras manaſſe, quicquid etiam contra diſputent Pontificii, originem hujus rei ad ſuos Pontifices referentes. Ad quem verò nominatim pertineat, de eo ne inter ipſos quidem convenit. *Gratianus* Diſt. I. de Conſecrat. c. Solennitates, Felicem I. Epiſc. Rom. circa A. C. 277. decreviſſe tradit, ut *ſolemnitates dedicationum per ſingulos annos celebrentur.* At hoc credant ii, qui miſeram illorum temporum conditionem ignorant. *Antoninus* tit. 9. cap. 2. & *Balæus* in vitis Pontificum, Felicem III. qui vixit circa A. C. 525. auctorem laudant. Probabilius quidem, at quo teſte, ipſi viderint. *Hermannus Gygas* & *Doardus* in Annot. ad Durandi librum divinorum officiorum, citati *Hoſpiniano* de Feſt. Chriſt. in append. f. 173. Felici IV. tribuunt. Confirmationem Gregorio M. vendicat Jus Canonicum de Conſecr. diſt. I. c. Solennitates.

XXVIII. Patet autem ex *Sozomeni* ſupra laudato teſtimonio, veteres anniverſariam dedicationis templi & altaris memoriam ſolemni feſto repetentes, ſacros primò egiſſe conventus & *conciones* habuiſſe partim, partim audiviſſe:

viſſe; deinde etiam *cœnam Domini* frequentaſſe. Id enim volunt illa verba: ὡς καὶ μυήσεις ἐν αὐτῇ τελεῖσθαι, καὶ ὀκτὼ ἡμέραι ἐφεξῆς ἐκκλησιάζειν. *Ut in eo initiationes ſacrorum peragantur, & dies octo deinceps conventus fiant.* Gaudium magnum ubique fuiſſe nec vulgarem ſplendorem, illa declarant: ἐτήσιον ταύτην ἑορτὴν λαμπρῶς μάλα ἄγει ἡ τῶν ἱεροσολύμων ἐκκλησία. *Eccleſia Hieroſolymitana quotannis diem hunc feſtum valdè ſplendidè celebrat.* Idem indicat conventus hominum ad illud feſtum ex omnibus totius orbis terræ partibus. Auctor homiliæ CCLV. de Tempore, quæ *Auguſtino* vulgò tribuitur Tom. X. Oper. f. 1163. diſertè: *Tunc ordinem legitimum conſecrationis altaris cum gaudio celebramus, quando altaria cordis vel corporis noſtri munda & pura in conſpectu divinæ majeſtatis offerimus. Nam neſcio qua fronte aut quâ conſcientia optat in altaris conſecratione gaudere, qui in cordis ſui altari non ſtudet munditiam cuſtodire. Nos verò, fratres chariſſimi, ita agere ſtudeamus, ut ſemper feſtivitatem duplicem celebrare mereamur: & quomodo de templi vel altaris conſecratione gaudemus, ſic inviſibiliter de corporis caſtitate vel animi puritate ſpiritale gaudium habere mereamur.* Hæc ille.

XXIX. *Adjuncta* vidimus. Videamus nunc etiam conſecrationis EFFECTUM, quem *Gregorius Nyſſenus* citato ſæpe loco ſatis egregiè deſcribit: primò quidem κατ' ἄρσιν dicendo, *altare* conſecratum (tale enim eſt illud, *cui adſiſtebant* epiſcopi) *lapidem eſſe naturâ communem, nihil*

hil differentem ab aliis crustis lapideis, *ex quibus parietes nostri exstruantur & pavimenta exornentur*; deinde etiam κτ̓ θέσιν, addendo, *postquam DEI cultui consecratum sit ac benedictionem acceperit*, *mensam esse sanctam*, *altare immaculatum*, *quod non amplius ab omnibus*, *sed à solis sacerdotibus contrectetur.* Illic negat consecratione qualitatem aliquam interiorem altari afferri: quia *lapidem* vocat *natura communem*, *nihil differentem ab aliis.* Quod si interior quædam qualitas per consecrationem ei inferretur vel illata esset, non differet sanè *nihil*, sed multum, etiam *naturâ suâ*, ab aliis lapidibus. Hîc verò apertè docet, per consecrationem sanctitatem aliquam afferri altari, non quidem *interiorem*, ut jam planum factum; sed *externam* tantùm, quæ prohibeat, ne altare, velut vulgaris lapis, *contrectetur ab omnibus promiscuè*, sed à sacerdotibus tantùm.

XXX. Progredimur ad COGNATA, quibus annumeranda *dedicatio* cum *templorum Christianorum* tum *altaris Hebræorum*. Dedicatio templorum cognata consecrationi altaris fuit primo (1.) ratione *ortus*. Nam utraque, quatenus ut solemnis spectatur cerimonia, Constantini demum cœpit temporibus, ante quæ non memini quicquam de illâ legisse memoriæ proditum ab ullo gravi scriptore. Pontificii quod hîc fingunt de primis suis Pontificibus, nobis non probabunt, quicquid etiam egerint. Qui facile credit, facile decipitur. Vide interim *Hospin.* de Orig. Templor. lib. IV. cap. II. f. 373. ubi

ubi originem dedicationis templorum apud Chriſtianos pluribus perſequitur. Deinde (2) & templorum dedicatio affinis conſecrationi altarium fuit ratione *cauſſæ efficientis* cùm *moralis* ſ. imperantis, tum *phyſicæ* ſ. conſecrantis. Utraque enim imperabatur à principe, & fiebat ab Epiſcopis vel Presbyteris: quod fuſius oſtendere poſſemus, niſi id jam egiſſet *Blondellus* Apol. pro ſentent. Hieron. de Epiſc. & Presbyt. ſect. III. p. 265 ſeqq. Tertium (3.) cognationis argumentum eſt ſimilis conſecrandi *modus*, de quo exempla jam ſupra ex *Euſebio* allata teſtantur. Quartum (4.) ſuppeditat par ratio *finis* generalis: cum templa æque ac altaria conſecrarentur eum in finem, ut hoc modo à profanis ædificiis ſeparata fierent apta atque idonea ad ordinaria atque ſolemnia ſacra in iis peragenda, ante conſecrationem vero idonea non exiſtimabantur. Hinc læſæ majeſtatis calcatique priſtini moris poſtulatus *Athanaſius*, poſtquam conventum egerat in æde nondum dedicata. περὶ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας κατειρήκασιν ὡς δὴ συνάξεως ἐκεῖ γενομένης πρὶν αὐτὴν τελειωθῆναι. *De magnâ*, inquit, *Eccleſiâ crimen concinnarunt, quod ibi conventus habitus ſit, priusquam conſecraretur*, Apol. ad Conſtant. Succedit (5) *ſolemnitas*, cujus ratio utrobique eadem fuit, ut ex dictis patet. Nec (6) *temporis* aliqua hîc datur diverſitas: ſimul enim conſecrata templa & altaria, ſæpius jam diximus. *Anniverſaria* quoque (7) *dedicationis memoria* tam ad templum, quam ad altare pertinuit,

 quem-

quemadmodum ex allatis ſupra teſtimoniis videre eſt. Ut alia cognationis argumenta & indicia nunc omittamus.

XXXI. Quod ad *conſecrationem altaris Hebræorum* attinet, nonnihil quoque & illa videtur habetur ſimilitudinis cum dedicatione menſarum ſacrarum apud Chriſtianos, ut adeo *Cognatis* jure annumerari poſſit. *Primo* dedicatio altarium apud Hebræos legitima erat, tanquam à DEO præcepta Exod. XL, 10. legitima quoque menſæ ſacræ in veteri Eccleſiâ dedicatio fuit, præcepta quidem generatim ratione precum & laudum DEI Col.III, 17. 1. Cor.X. 31. ſpeciatim vero ratione cæterarum circumſtantiarum ab Eccleſiâ libere aſſumta, ut cerimonia nusquam prohibita, nec eo, quo initio fiebat, modo voluntati divinæ contraria. *Deinde* conſecratio illa apud Hebræos erat altaris, in quo ponebatur victima, futuri ſacrificii magni typus Hebr. VIII, 5. Eph. V. 2. Similiter conſecratio apud Chriſtianos erat menſæ, in quâ proponebatur ipſe illi reſpondens victimæ antitypus, ſive ſacrificium magnum, per Levitica ſacrificia adumbratum, non quidem iterum immolandum, ſed tantum manducandum. *Tertio* conſecratio altarium apud Hebræos conjuncta cum erectione & dedicatione tabernaculi fuit, perinde ut dedicationem menſæ ſacræ cum templi conſecratione conjunxit antiquitas Chriſtiana. *Quarto* conſecratio altarium apud Hebræos fiebat ſacrificiis: in altari aureo enim adoleban-

tur

tur aromata Exod. XL, 27. in altero vero offerebatur holocaustum & Mincha Exod. XL, 29. Ad eundem modum Christiani suas consecrabant mensas sacrificiis, non quidem proprie dictis, sed mysticis & metaphoricis, qualia erant preces & hymni, de quibus supra. *Quinto* sacrificiis addita unctio in Mosaicorum dedicatione altarium est Exod. XL, 9, 10. id ipsum imitatos hîc quoque interdum Christianos esse, accepimus. Denique consecratione illâ altare Hebræorum fiebat sanctum, imò קדש קדשים *sanctitas sanctitatum*, i. e. sanctissimum Exod. XL, 10. *Et altare Christianorum, postquam DEI cultui consecratum est ac benedictionem accepit, mensa fiebat sancta, altare immaculatum, quod non amplius ab omnibus, sed à solis sacerdotibus iisque venerantibus contrectabatur*, ut ait *Gregorius Nyssenus* l. c.

XXXII. Restat OPPOSITUM, quod est *profanatio*. Ut enim aliàs *sacro* opponitur *profanum*, unde & *Ciceroni*, in Partit. & de Arusp. resp. contraria sunt locus *profanus* & *consecratus*, ut alia innumera, quia vulgaria, nunc prætermittamus: Ita & h. l. consecrationi altaris opponitur ejusdem profanatio. Profanata autem reperio altaria Christianorum non uno modo. Primo (1) quidem per *idololatriam* inprimis Pontificiorum, qui Deum suum מזים *Mausim* i. e. sacrificium idololatricum Missæ (vid. *Meisner*. Philos. sobr. Part. I. sect. I. cap. III. quæst. IV. p. 401. *Dorsch*. Mys. miss. cap. II. §. 21.

p.47.) illis imposuerunt, adorantes panem (Vid. *Gerhard.* Confess. Cathol. lib.II part.II.art. XIV. cap.VIII. p. 1138. & in append. pag. 1266.) & homines mortuos (vid. *Hospin.* Histor. Sacram. Part. I. lib.II. cap. VII. f. 149.) & quæ sunt id genus alia, de quibus vide *Chemnit.* Exam. Conc. Trid. Part.II. f. 351. seqq.

XXXIII. Deinde (2) per *homicidia.* Ita seculo IV. Donatistæ, quæ eorum sævitia erat, non veriti ad altare occidere Catholicos. *Optatus Milevit.* lib.II.p.57. *Nonne*, inquit, *de numero vestro fuerunt Felix Diabensis & Januarius lumen Pistensis, & cæteri, qui totâ celeritate concurrerunt ad Castellum Lemellense: ubi cum contra importunitatem suam viderent Basilicam clausam, præsentes jusserunt comites suos, ut ascenderent culmina, nudarent tecta, jactarent tegulas. Imperia eorum sine morâ completa sunt: & cum altare defenderent Diaconi Catholici, tegulis plurimi cruentati sunt, duo occisi sunt &c.* Et paulo post: *Episcopis vestris jubentibus & præsentibus, supra altare Catholici Diaconi occisi sunt.* Eandem immanitatem continuarunt seculo V. cæde cùm aliorum, tum Maximiani Episcopi Catholici Vagiensis, ut refert Augustinus epist. L. Tom.II. Oper. f. 220. *Supra dictum quippe Episcopum Vagiensem* (Maximianum) *quoniam apud ordinarium judicem dictâ inter partes sententiâ, obtinuerat basilicam, quam illi* (Donatistæ) *cum catholica esset, invaserunt, stantem ad altare irruentes horrendo impetu & furore crudeli, fustibus & hujuscemodi telis, lignis denique ejusdem altaris effractis*

effractis immaniter ceciderunt, pugione etiam percusserunt in inguine. Singulari tamen DEI beneficio is evasisse tandem & quasi revixisse memoratur. Eodem temporis tractu, gliscente Nestorii hæresi, quosdam servos in Ecclesiâ Constantinopolitanâ humano contaminasse sanguine altare, prodidit *Socrates* lib. VII. Hist. Eccl. cap. XXXIII. f. 274. b. his verbis: καὶ τούτων γενομένων, ἐπισυνέβη μυσαρόν τι πρᾶγμα κατὰ τὴν ἐκκλησίαν γενέσθαι. οἰκέται γὰρ ἑνὸς τῶν μεγάλα δυναμένων, βάρβαροι ὄντες τὸ γένος, ἀπηνοῦς τοῦ δεσπότου πειρώμενοι, τῇ ἐκκλησίᾳ προσφεύγουσι· καὶ ξιφηροῦντες, εἰς τὸ θυσιαστήριον εἰσεπήδησαν. παρακαλούμενοί τε ἐξελθεῖν, οὐδενὶ τρόπῳ ἐπείθοντο· ἀλλ' ἐμποδὼν ταῖς ἱεραῖς λειτουργίαις ἐγίνοντο· ἐπί τε ἡμέρας πολλὰς τὰ ξίφη γυμνὰ κατέχοντες, ἕτοιμοι πρὸς τὸ ἀμύνασθαι πάντα τὸν προσιόντα ἐγίνοντο· καὶ δὴ ἕνα τῶν κληρικῶν ἀποσφάξαντες, καὶ ἄλλον τραυματίσαντες, τέλος ἐπικατέσφαξαν ἑαυτούς. καὶ τις τῶν παρόντων οὐ καλὸν ἔλεγε σημαίνειν τὸν μολυσμὸν τοῦ ναοῦ, ἐπιλέγων ἀρχαίου τινὸς ποιητοῦ δύο ἰάμβους. σημεῖα γὰρ τὰ τοιαῦτα γίνεσθαι φιλεῖ, ὅταν ἐν ναοῖς ἐγκατασκήψῃ μῦσος· καὶ τῆς δόξης ὁ εἰπὼν οὐ διήμαρτε. τὴν διαίρεσιν γὰρ ὡς ἔοικεν ἐσήμαινε τοῦ λαοῦ, καὶ καθαίρεσιν τοῦ αἰτίου τῆς διαιρέσεως. i. e. *His rebus confectis, scelus quoddam nefandum forte fortuna in ecclesia editum est. Nam cujusdam præpotentis viri servi, genere barbari, cum immanem heri sui feritatem experti, eam ferre non possent, ad Ecclesiam confugerunt, atque gladiis cincti, ad altare prosiliunt. Rogati igitur ut abirent, nullo modo obsequi volebant, sed*

sed sacris ministeriis obeundis erant impedimento. Quin etiam dies complures strictos tenebant gladios: paratique erant ad quemque obtruncandum, qui illos adiret. Itaque uno clerico interfecto, altero vulnerato, ad extremum sibi ipsi necem consciverunt. Unde quidam eorum qui aderant, dixit, templi profanationem aliquid mali portendere: duosq; poëtæ cujusdam veteris senarios in eandem citavit sententiam:

Nam sæpe signa talia dari solent,
Cum sacra fœdum templa polluit scelus.

Atque eum qui ista dixerat, minime fefellit opinio. Quippe & divisionem populi, ut videtur, & auctoris divisionis abdicationem significavit. Similem in modum eodemque seculo profanata ab *Arianis* Catholicorum altaria legimus. Verba *Victoris Uticensis* in hist. persecut. Africæ lib. I. Tom. I. Orthodoxogr. f. 805. hac de re habent ita: *Quodam tempore Paschalis solennitas agebatur, & dum in quodam loco, qui Reia vocitatur, ob diem Paschalis honoris, nostri sibimet clausam Ecclesiam reserarent: comperiunt Ariani. Statim Presbyterorum eorum Adiut nomine congregatam armatorum manum ad expugnandam turbam innocentum accendit. Introeuntis è vaginis arma corripiunt: alii quoque tecta conscendunt, & per fenestras Ecclesiæ sagittas spargunt. Et tunc, forte audiente & canente populo DEI, lector unus pulpito assistens allelujaticum melos canebat: quo tempore sagittâ jaculatus, cadente de manibus codi-*

ce

ce, mortuus cecidit. Nam & alii quamplurimi sagittis & jaculis in medio crepidinis altaris probantur occisi: nam qui gladiis tunc interemti non sunt, postea pœnis attriti, regio jussu omnes necati sunt, præsertim maturioris ætatis. Hæc *Victor.* Similia in Britanniæ excidio contigisse, narrat *Gildas* Tom. I. Orthodoxogr. f. 838. *Tam nefandi piaculi non ignarus est immundæ leænæ Damnoniæ Tyranncius Catulus Constantinus, qui hoc anno post horribile juramenti sacramentum, quo se devinxit, nequaquam dolos civibus, Deo primum jureque jurando sanctorum demum choris & genitrice comitantibus facturum in duarum venerandis matrum sinibus, ecclesiæque carnalis sub sancto Abbate Amphibalo, latera regiorum tenerrima puerorum, vel præcordia crudeliter duum totidemque nutritorum, inter ipsa, ut dixi, sacrosancta altaria, nefando ense, hastaque pro dentibus laceravit: quorum brachia nequaquam armis, quæ nullus pene hominum fortius hoc eis tempore tractabat, sed DEO altarique protenta in die judicii, ad tuæ civitatis portas Christi veneranda patientiæ ac fidei suæ vexilla suspendent, qui ita sacrificii cœlestis sedem purpurea ac si coagulati cruoris pallia texerunt.* Hactenus *Gildas.* Seculo VI. Petrus & Severus hæretici ejusmodi se & altaria contaminarunt facinoribus. Patet id inter alia ex libello Monachorum ad Mennam Patriarcham, quæ exstat Act. V. Concil. Constantinop. tempore Justiniani Imp. A. C. 536. celebrati, Tom. XI. Concil. edit. Paris. f. 312. Verba hæc sunt: ἀλλὰ τί εἴπωμεν; τοὺς συγκλασθέντας δακτύλους τῶν ἁγίων, οἷς περιέσχον τὰ θυσιαστήρια, ὡς ἐπί τινα τό-

πον

που ἄσυλον ἐπ' αὐτὰ καταφυγόντες, διά τὴν τῶν εἰρημένων μιαιφονίαν, ὅθεν ἐξελκόμενοι ὑπὸ ἀνδρῶν ἀνηλεῶν, βιαίῳ θανάτῳ παρεδίδοντο &c. *Verùm quid dicemus? an sanctorum digitos confractos, quibus altaria circumdabant, & ad ipsa veluti ad locum aliquem intemeratum confugiebant propter prædictorum* (Severi scil. & Petri) *homicidia, unde extracti à viris homicidis violentæ morti traditi sunt &c.* Memorat id ipsum etiam libellus collegii Monachorum Apameæ ad Episcopos secundæ Syriæ, qui exstat ibidem f. 428. & inter alia hæc habet: εἰ δὲ καὶ τὴν μιαιφονίαν ἐξειπεῖν τολμήσομεν, εἰς ἣν καταχρώσας πολλάκις τὰς χεῖρας, καὶ ὁρῶν τὰ αἵματα τοῖς θυσιαστηρίοις ἀναπιμπλάμενα, προσφέρειν ἐθάῤῥει. ποῖος τῶν ὀρθοδόξων χριστιανῶν οὐκ ἀποκνήσει λέγειν, καὶ σιγῇ μᾶλλον ἀγαπήσει τὰ τοιαῦτα τῶν πραγμάτων ἐπικαλύπτειν; *Si autem & homicidia dicere audebimus, in quibus sæpius manus tinxit, & videns sanguinem altaribus respersum offerre ausus: quis Christianorum orthodoxorum non compungetur dicere, imo silentio magis diliget talia occultare?* Seculo IX. Leonem III. Papam Paschalis & Campulus ante ipsum altare oculis & linguâ privarunt, cecideruntque, ut de eo refertur ex libro Pontif. Tom. XX. Concil. edit. Paris. f. 178. Sed nihil attinet, plura id genus nefanda in medium afferre: cum ex his satis jam pateat, quam scelerate & impie furor hominum, Christianorum contaminarit ac profanarit altaria, quod quidem isti videntur didicisse primò à diabolo, qui inde ab initio homicida est Joh. VIII,

VIII, 44. deinde ab impiis Judæis, qui occiderunt Zachariam Barachiæ filium inter templum & altare Matth. XXIII, 35. Luc. XI, 51. ab ipsis denique sceleratis gentilibus, de quibus testatur *Hecuba* ap. Senecam:

Vidi execrandum regiæ cædis nefas,
Ipsasque ad aras majus admissum scelus.

Et Justin. lib. XX. *Sacerdotemque Deæ velatum ornamentis inter ipsa altaria trucidaverunt.* Sed de his alibi pluribus.

XXXIV. Tertio altare Christianorum profanatum *saccato corporis humore* (ut hanc à *Lucretio* dictionem mutuer) sed non sine infamiâ mittentis. Sempiterno enim dedecori & turpitudini Juliano est, quod de eo prodidit *Theodoritus* Hist. Eccl. lib. IV. cap. XII. f. 316. ὁ δὲ Ἰουλιανὸς οὖρον μὲν κατὰ τῆς ἱερᾶς τραπέζης ἐξέκελ-νε. τὸν δὲ Εὐζώϊον πειραθέντα κωλῦσαι, κατὰ τῆς κόρρης ἐπάταξε· φᾶναι δὲ λέγεται ὡς ἔρημα τὰ τῶν χριστιανῶν τῆς θείας ὑπάρχει κηδεμονίας. *Julianus ad sacram mensam misit lotium: Euzoio vero conato prohibere, alapam inflixit, ferturque dixisse, stabula Christianorum divinæ curationis esse.* Indignum Imperatore facinus, imo homine. Ac nescio, utrum magis vituperanda facti turpitudo, an verborum impudentia sit. Verecundius certe *Persius* Sat. VII, ad suos:

Sacer

Sacer est, inquit, *pueri*, *locus: extra mejite.*

XXXV. Quarto profanatum altare Christianorum *mimicâ saltatione* est, gentilium applaudente grege. Testes sunt Petri, Athanasii successoris literæ apud *Theodorit.* Hist. Eccl. lib. IV. cap. XXII. f. 329. quibus Alexandrinorum calamitatem à gentilibus illatam persequitur, & inter alia hoc etiam commemorat. ἃ γὰρ κατὰ τὸ γεγραμμένον, μήτε γέγονε μήτε ἠκούσθη ἐν ταῖς ἡμέραις τῶν πατέρων ἡμῶν, ταῦτα ἐπ' αὐτοῦ τοῦ θυσιαστηρίου ἐπετέλουν οἱ δυσσεβεῖς. ὡς γὰρ ἐν κρηπῖδι σκηνῆς ἀτάκτου, παῖδα τὴν ἄρρενα φύσιν ἐξαρνησάμενον καὶ τὴν γυναικείαν ποθήσοντα, στίβῃ κατὰ τὸ γεγραμμένον τοὺς ὀφθαλμοὺς διαχρισάμενον, καὶ φύκει τὰς ὄψεις ἐρυθήναντα, ὡς τὰ παρ' αὐτοῖς εἴδωλα, θηλυμόρφῳ τῷ σχήματι, ἐπ' αὐτοῦ τοῦ ἁγίου θυσιαστηρίου, ἔνθα κάθοδον τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπικαλούμεθα, ἐγκύκλῳ τῇ στροφῇ, ὧδε κἀκεῖσε τὼ χεῖρε σχηματιζόμενον, ὀρχεῖσθαι παρεσκεύασαν, πλατὺ μὲν γελῶντες, ἀθέσμους δὲ ἐπαφιέντες φωνάς. *Quæ enim, ut scriptum est, neq; facta neq; audita sunt in diebus Patrum nostrorum, ea super altari ipso perpetrarunt impii. Tanquam enim in proscenio dissolutæ actiones, puerum virilem sexum abnegantem, & affectantem muliebrem, stibio, sicut scriptum est, oculos litum, & fuco rubentem os, veluti ipsorum simulacra, confusa virili ac muliebri figurâ, imposuere super sanctum altare, ubi Spiritus S. adventum expetimus, qui illic circulari compositoque motu huc & illuc manus torquens*

quens saltaret, huic illi & clarum arridebant, & nefarias acclamabant voces. Vid. *Gregor. Nazianz.* Orat. XX. in Basil. f. 348.

XXXVI. Denique altare profanatum, equorum aliorumq; jumentorum *stabulatione* est. Cum Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomanni, Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Daciam, Thessalonicam, Achaiam, Epirum, Dalmatiam cunctasque Pannonias vastarent, altari pro equili usi sunt, teste *Hieronymo* in Epitaphio Nepotiani ad Heliodorum Tom. I. Oper. f. 26. his verbis: *Subversæ Ecclesiæ, ad altaria Christi stabulati equi, martyrum effossæ reliquiæ.* Huc pertinet, quod *Sidonius Apollinaris* de armentis altaria depascentibus commemorat lib. VII. ep. VI. ad Basilium p. 146. verba ejus vide supra cap. VI. §. V.

CAPUT XII.

DE ORNATU ALTARIUM.

I. An altarium aliquis ornatus exstiterit tempopore Tyrannorum.
II. Altarium ornatus splendidior cœpit Constantini M. ætate.
III. Templorum ornamenta.
IV. Ornamenta altarium recensentur.
V. Tapetes altarium & suppellex pretiosa.

VI. Crux in altari.
VII. Lintea & pallia altarium.
VIII. Flores in altari ſparſi.
IX. Vaſa altaris. Calicis Chriſti materia & forma.
X. Calices Apoſtolorum.
XI. Calices lignei. *Bona* notatur.
XII. Vitreorum calicum uſus in Eccleſiâ veteri, malè à quibusdam demonſtratur.
XIII. Argumenta de uſu calicum vitreorum apud veteres.
XIV. Calices metallici viliores.
XV. Calices aurei & argentei.
XVI. Figura calicum veterum.
XVII. Patellæ.
XVIII. Candelabra. Cerei accenſi.

§. I.

ETſi veteres, Eccleſiâ à tyrannis preſſâ, non adeò laboraſſe videntur de altarium *ornatu*; tamen nec planè neglexiſſe veriſimile eſt, ubi S. Euchariſtiam celebrarent, *mundo* an *immundo* loco. Hoc enim de iis credere, incredibilis eorum circa ſacra ritè tractanda ſolicitudo prohibet. Et ſi inſuper omnino habuiſſent, videri certè potuiſſent nullam habere rationem τάξεως καὶ εὐσχημοσύνης, rerumque divinarum majeſtatem vel infra profana, vel juxta ea, vel ſaltem non ſupra ea ponere atque collocare. Quæ omnia ab iis tam ſunt aliena, quàm quæ maximè.

II. Ubi autem ex infinitis illis laboribus reſpirare pauliſper cœpit Eccleſia Chriſtiana,

DEI

DEI & Conſtantini M. beneficio, tum ſtatim cura converſa non tantum ad ea, quæ *neceſſaria* erant, ſed ad *ornamenta* etiam, quibus à contemtu gentilium vindicari & ſplendidiorem effici putabant religionem Chriſtianam, ut adeò, in quibus poſtea tam ſolicitè elaborarunt, ea antea non videantur damnaſſe.

III. Ac de templorum quidem ornamentis dicere hîc nic nihil attinet. Quippe alienum à propoſito, nec indictum veteribus. Vide *Euſebium* de vit. Conſt. M. lib. III. cap. XXIX. ſeqq. & Hiſt. Eccl. lib. X. c. IV. ſeqq. *Evagrium* Hiſt. Eccl. lib. IV. cap. XXX. & alios. Altarium autem ornatum breviter, pro inſtituti ratione, explicare juvabit.

IV. Conſiſtebat is in *pulchris tapetibus*, *ſupellectili pretioſâ*, *auro & gemmis*, *linteis*, *palliis*, *floribus*, *crucis ſigno*. De ſingulis aliquid, quantum ex orthodoxâ antiquitate diſcere licuit.

V. *Tapetibus* & *ſupellectili pretioſâ* ornata illa templi Hieroſolymitani à Conſtantino M. ædificata ara fuit, idque cum conſecraretur. Teſtis *Theodoritus* Hiſt. Eccl. lib. I. cap. XXXI. f. 295. διεκοσμεῖτο δὲ καὶ τὸ θεῖον θυσιαστήριον, βασιλικοῖς τε παραπετάσμασι, καὶ κειμηλίοις λιθοκόλλοις χρυσοῖς. *Ipſa ara regiis tapetibus donisque aureis ac gemmatis conſpiciebatur ornata.* παραπέτασμα idem eſt quod *velum*. Sic enim *Suidas* & *Phavorinus* explicant: παραπέτασμα, παρακάλυμμα, παράπλωμα, τὸ λεγόμενον βῆλον. κειμήλιον *pretioſam ſupellectilem*

 ſignifi-

significat in altari repositam, à κεῖμαι jaceo. *Phavorinus*: κειμήλια ἔφη ὅμηρος τὰ κείμενα. Quæ autem illa κειμήλια fuerint, definire est difficile. Si conjecturæ locus, putarem fuisse, præter crucem, vasa ad S. Eucharistiam dispensandam parata, de quibus postea. Similem in modum ornata postea & alia fuerunt altaria, de quibus *Hieronymus* ad Demetriadem de Virgin. servandâ Tom. I. f. 69. *Alii*, inquit, *ædificent Ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles advehant, earumque deaurent capita, pretiosum ornatum non sentientia: ebore argentoque valvas, & gemmis aurata distinguant altaria, non reprehendo, non abnuo.* Et Chrysostomus homil. LI. in Matth. f. 456. τί τὸ ὄφελος χρυσόπαστα ἐπιβλήματα κατασκευάζειν τῇ τραπέζῃ· αὐτῷ δὲ μὴ δὲ τὴν ἀναγκαίαν παρέχειν σκέπην; *Quod hinc emolumentum consequitur, tapetes auro intertextos parare mensæ; ei autem* (pauperi) *velamina necessaria negare.* Et Bernhardus serm. IV. de Natal. Dom. f. 15. *Quam multa hodie gemmis & auro fulgent altaria, quanti ubique palliis parietes adornantur?* Sed nihil opus plura in hanc rem afferre testimonia. Hoc tantum observasse non inutile erit, nempe orthodoxis hodie Ecclesiis, quas Lutheranas vocant, optime cum illa veteri, quæ Constantini ætate floruit, convenire de ornatu altarium. Nam & nostra hodie tapetibus ornantur ut pretiosâ supellectili, ut cruce, patinâ, & calicibus, quibus ad Eucharistiæ dispensationem utimur.

VI.

VI. Tapetibus eodem ævo addita ad altaria ornanda *crux* fuit. Id quod colligo ex narratione *Sozomeni* de Probiano ſatellite Conſtantini M. Nam *iſte* (verba ſunt Sozomeni Hiſt. Eccl. lib. II. cap. III. f. 22.) *cum initio gentilis eſſet, poſtea tamen factus Chriſtianus: quanquam omnia alia religionis noſtræ inſtituta probabilia putabat, ſanctam tamen crucem ſalutis omnium cauſſam exſtitiſſe neutiquam admittere volebat.* ὧδε δὲ ἔχοντι γνώμης θεία προφανεῖσα ὄψις ἔδειξέ τι σταυροῦ σύμβολον τῶν ἀνακειμένων τῷ θυσιαστηρίῳ τῆς ἐνθάδε ἐκκλησίας. *Cui ſic animo affecto, viſio divinitus oblata quandam crucis effigiem, quæ in altari illius Eccleſiæ* (S. Michaëlis) *ſtatui ſolet, ante oculos propoſuit* &c. Quum igitur Probianus dicitur Symbolon ſeu imaginem vidiſſe crucis τῶν ἀνακειμένων τῷ θυσιαστηρίῳ, *ex iis rebus, quæ in altari repoſitæ ſunt,* hoc certe ſimul dicitur, inter alia crucem in altari fuiſſe repoſitam, cujus effigiem viderit Probianus. De Choſroë quoque Perſarum Rege commemorat *Evagrius* Hiſt. Eccl. lib. VI. cap. XX. f. 654. quod cum aliis anathematis S. Sergio Martyri miſerit crucem in uſum ſacræ menſæ. Sic enim inter alia habent ejus verba anathematis inſcripta: *Quocirca crucem hanc illico, ut ejus pretium una ad tuam ſanctiſſimam ædem miſi: dedique mandatum, ut ex ejus pretio diſcus unus & unus calix fierent, qui divinis myſteriis celebrandis inſervirent: quin etiam ut crux fieret & thuribulum fabricaretur, utrumque aureum in uſum ſacræ menſæ, & unicum utrinque aptum conficeretur auro colluſtratum.* Mit-

to superstitionem; hoc tantum accipio, moris & isto seculo (erat autem VI. â Christo nato) fuisse, *crucis* signum in altari habere, in quo iterum veteres nostræ hodie imitantur Ecclesiæ.

VII. De linteis, quibus tecta altaria, testis locuples *Optatus Milevitanus* est. Is enim lib. VI. adv. Parmen. tanquam morem ubique receptum commemorat, quod altaria linteis operirentur. Verba ita habent; *Quis fidelium nescit, in peragendis mysteriis ipsa ligna linteamine cooperiri? Inter ipsa sacramenta velamen potuit tangi, non lignum. Aut si tactu posset penetrari velamen, Ergo penetrantur & ligna.* De iisdem intelligendus *Victor Uticensis* Persecut. Afric. lib. I. Tom. I. Orthodox. f. 804. quum ait; *Ipsi* (Ariani) *rapaci manu cuncta depopulabantur, atque de palliis altaris, proh nefas, camisias sibi & femoralia faciebant. Femoralia* quid fuerint, fuse declarat *Casaubonus* ad Sveton. August. cap. 82. p. 278. seqq. Breviter: *fasciæ* primùm hâc voce significabantur, quibus veteres femora involvebant. Deinde *braccæ*, ubi earum usum Romani partim à Gallis Braccatis, partim à Germanis, Gothis aliisque populis septentrionalibus didicerant. *Camisia* illo seculo dicebatur, quæ Græcis *ἐσωτέρα*, *Tertulliano* lib. de Pallio, *interula*; Horatio lib. I. ep. I. *subucula*, vulgo hodie *indusium* ein Hemde. Vide *Vossium* de Vit. sermon. lib. II. cap. IV. p. 189. pluribus de hâc voce differentem. Linea igitur fuisse videntur illa altarium pallia, non lanea,

aut

aut ſerica: neque enim de lanâ aut ſerico interulas facere moris erat, ſed de lino, cujusmodi materia in braccis quoque adhibebatur. Cæterum obſervandum, quæ *linteamina* & *velamina* Optato, eadem Victori *pallia* fuiſſe dicta. De noſtrorum hodie altarium linteis nihil dico, res enim nota vel lippis & tonſoribus, quod dici ſolet.

VIII. *Flores* videamus in altari ſparſos. Oſtendit *Auguſtinus* lib. XXII. de Civ. D. cap. VIII. Tom. V. f. 1346. *Fuit ibi*, inquit, *vir in ordine ſuo primarius, nomine Martialis, ævo jam gravis, & multum à religione abhorrens Chriſtiana. Habebat ſanè fidelem filiam & generum eodem anno baptizatum. Qui cum ægrotantem multis & magnis precibus & lacrymis rogarent, ut Chriſtianus fieret, prorſus abnuit: eosque à ſe turbidâ indignatione ſubmovit. Viſum eſt genero ejus, ut iret ad memoriam S. Stephani, & illic pro eo quantum poſſet oraret, ut DEUS illi daret mentem bonam, quâ credere non differret in Chriſtum. Fecit hoc ingenti gemitu & fletu, & ſinceriter ardente pietatis affectu: deinde abſcedens, aliquid DE ALTARI FLORUM, quod occurrit, tulit, eique cum jam nox eſſet, ad caput poſuit. Tunc dormitum eſt: & ecce ante diluculum clamat, ut ad Epiſcopum curreretur, qui mecum forte tunc erat apud Hipponem &c.* Idem ex iſtis colligere eſt teſtimoniis, quibus generatim ſacra ædes floribus ornata fuiſſe dicitur. *Hieronymus* hâc in re commendat Nepotiani ſtudium in ejus Epitaphio Tom. I. Oper. f. 24. ſeqq. *Erat ſolicitus, ſi niteret*

altare (non *ad altare*, ut *Bulengerus* temere legit) *si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si janitor creber in portâ, vela semper in ostiis, si sacrarium mundum, si vasa luculenta, & in omnes ceremonias pia solicitudo disposita, non minus, non majus negligebat officium. Ubicunque eum quæreres, in Ecclesiâ invenires. Nobilem virum Q. Fabium miratur antiquitas, qui etiam Romanæ scriptor historiæ est, sed magis ex picturâ quàm ex literis nomen invenit: Et Beselebel nostrum plenum sapientia & spiritu DEI, scriptura testatur. Hyram quoque filium mulieris Tyriæ, quod alter tabernaculi, alter templi supellectilem fabricati sunt. Quomodo enim lætæ segetes, & uberes agri, interdum culmis aristisque luxuriant: Ita præclara ingenia, & mens plena virtutibus, in variarum artium redundat elegantiam. Unde & apud Græcos Philosophus ille laudatur, qui omne, quo uteretur, usque ad pallium & annulum manu suâ factum gloriatus est. Hoc idem possumus & de isto dicere, qui basilicas Ecclesiæ, & martyrum conciliabula, diversis* FLORIBUS, *& arborum comis vitiumque pampinis adumbrarit, ut quicquid placebat in Ecclesiâ, tam dispositione quàm visu, presbyteri laborem & studium testaretur.* Idem in S. Severo laudat *Gregorius Turonensis* lib. de Gloriâ Confess. cap. XXX. *Solitus erat*, inquit, *flores liliorum tempore quo nascuntur, colligere, ac per parietes hujus ædis* (in quâ nempe postea sepultus fuit) *appendere.* Paulinus Natal. 3. S. Felicis:

Fer-

Ferte DEO pueri laudem, pia solvite vota;
Spargite flore solum, prætexite limina sertis,
Purpureum ver spiret hiems, sit floreus annus
Ante diem, sancto cedat natura diei.

En templorum ornatum, quo certè non caruit altare, nec nostra hodie carent multis in locis.

IX. *Vasa* quoque sacra non parum altaribus ornamenti attulerunt. *Calices* intueamur, nec locus dubitationi erit. Ac primò quidem *calix Christi* spectandus foret, nisi tam incertum esset, quæ ejus materia & forma fuerit, quam certum, Christum eo fuisse usum ex Matth. XXVI, 27. Marc. XIV, 23. Luc. XXII, 17, 20. *Baronius* quidem exploratum se putat habere, quod alios latet. Sic enim scribit ad A. C 34. n. 63. *Non prætерimus tamen dicere quod calix ille, in quo Redemtor noster JEsus Christus sacratissimam Eucharistiam consecravit, ut egregium tantæ rei monumentum, à communi usu selectus, ac summâ industriâ asservatus, adhuc Bedæ temporibus Hierosolymis visebatur, de quo hæc ipse lib. de locis sanctis cap. 2. In platea, quæ Martyrium & Golgotha, continuat, exedra est, in quâ calix Domini scriniolo reconditus per operculi foramen tangi solet & osculari: qui argenteus calix hinc inde duas habens ansulas sextarii Gallici mensuram capit.*

Verùm, quod pace tanti viri dixerim, & fallit & fallitur. Fallit credulos & parum cautos lectores. Fallitur & ipſe, ejusmodi ſcriptoris innixus teſtimonio, cujus ſimplicitate abuſi olim multi, neſcio quid non ei perſuadentes. Ut proinde facilitatem ejus in credendis multis, quæ priora ſecula non crediderant admodum ſuſpectam meritò habeant cordatiores, vid. *Caſaub.* Exerc. XVI. A. 34. n. 138. p. 472. Ac ſi non alius, is certe, qui de locis ſanctis eſt, ejus liber fabularum plenus eſt, de quo ne *Baronius* quidem dubitavit, qui hoc alibi ingenuo agnoſcit & fatetur. Vis exempla? Adi *Caſaubonum* Exerc. II. n. III. p. 124. ubi reperies, quod quæris. Videat autem *Baronius*, vel quisquis ejus partium eſt, quid reſpondendum putet *Chryſoſtomo*, qui calicem Domini non phyſicè, ſed myſtice pretioſum fuiſſe aſſeverat, atque ex metallo nobiliori factum diſerte negat homil. LI. in Matth. f. 455. his quidem verbis: οὐκ ἦν ἡ τράπεζα ἐξ ἀργύρου τότε ἐκείνη, οὐδὲ τὸ ποτήριον χρυσοῦν, ἐξ οὗ ἔδωκε τοῖς μαθηταῖς ὁ Χριστὸς τὸ αἷμα τὸ ἑαυτοῦ· ἀλλά τίμια ἦν καὶ φρικτὰ, ἐπειδὴ πνεύματος ἔγεμεν. *Non erat ex argento illa menſa, nec ex auro ille calix, quo Chriſtus diſcipulis ſanguinem præbuit ſuum: pretioſa tamen erant omnia, & venerationis plena, quia ſpiritu abundabant.* Hæc *Chryſoſtomus*, longe verius quàm *Baronius.*

X. Miſſo igitur illo calice, cujus de materiâ & formâ certi nihil conſtat, alios quæramus, & an quicquam altaribus ornamenti afferre

re potuerint, videamus. Et hîc quidem proximus locus deberetur *Apostolorum calicibus* nisi & hi tenebris immersi laterent. Hocquidem neminem præterit, calicibus usos Apostolos esse, vel solo Paulo teste 1 Cor. X, 16, 21. XI, 26, 27, 28. verum quæ ratio eorum fuerit, nemini puto cognitum atque perspectum esse. Et licet *Honorius* in Gemma animæ lib. I. cap. 89. scribat, *Apostolos & eorum successores in ligneis calicibus Missas celebrasse*; tamen non plus fidei ejus testimonio tribuere possumus, quam tribuunt ipsi Pontificii, aliàs in credendis talibus admodum faciles. Itaque nemo nobis, puto, vitio dabit, si eorum verbis usi cum Cardinali *Bona* rer. liturg. lib. I. p. 25. p. 457. dicamus: *Honorio id asserenti sine legitimo teste non credimus.*

XI. Neque tamen prorsus negamus, *lignorum calicum* usum in veteri fuisse Ecclesiâ. Id enim nobis persuadet memorabile illud apophthegma *Bonifacii*, Episcopi Moguntini, qui in Concilio Triburiensi, seculo IX. habito, interrogatus, an in vasculis ligneis, sacramenta conficere liceret? respondit: *Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur; nunc contra lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus*, ut est ap. *Walafrid. Strab.* rer. Eccl. cap. XXIV. f. 101. & Centur. Magdeb. IX. cap. IX. f. 295. è Tom. II. Concil. Quo quidem quid planius pro calicibus vel aureis vel ligneis dici possit, non video: Et non videre miror *Bonam* l. c. qui ex istis verbis colligi non posse existimat usum lignei calicis in veteri

Eccle-

Ecclesiâ, & credit potius, S. Antistitem zelo DEI succensum præteritorum comparatione sua tempora redarguisse. Quasi vero utrumque dicere non potuisset. Neque enim pugnant inter sese, ita ut, unum si dixisset, alterum dicere non potuisset. Quin optime conveniunt, dicere quod res est, & alterum acute reprehendere. Adde, quod aliis verbis usum calicum, aliis sacerdotum mores descripserit. Illum hisce: *ligneis calicibus utebantur, & aureis utuntur calicibus.* Hos istis: *Quondam sacerdotes aurei, nunc lignei sacerdotes.* Et licet sacerdotes aureos & ligneos vocarit improprie, non tamen ita appellavit calices; sed ut sacerdotis suæ ætatis aureis calicibus verè & propriè uti asserit: Ita quoque veteres calices ligneos verè & propriè adhibuisse significat. Ipsum etiam Concilium Triburiense cap.9. temere statuisset, *ut deinceps nullus sacerdos sacrum mysterium corporis & sanguinis JEsu Christi Domini nostri in ligneis vasculis nullo modo conficere præsumeret.* Temere, inquam, hoc statuisset, nisi ante usus ligneorum calicum obtinuisset. Qui enim, quæso, prohiberetur, ne quid DEINCEPS nullo modo fieret, quod ante factum non esset? Quæ quidem consequentia adeò evidens & firma est, ut ne ipse quidem *Bona* eam possit negare aut infirmare. Tantum dicit, *fuisse in aliquâ Ecclesiâ calicem ligneum vel propter rerum penuriam, vel propter incuriam sacerdotum.* Ita verò vel non aurei fuissent veteres sacerdotes, quia negligentes; vel non præferendi sacerdotibus illius

illius ætatis, in quam Bonifacius inciderat, quia non voluntate, sed necessitate fuissent meliores.

XII. Ligneis calicibus jungo *vitreos*. Nam & hujus generis adhiberi solebant in Ecclesiâ veteri. Non negant alii; sed argumentis suis, quibus utuntur, id non efficiunt, nec possunt. Afferunt in medium *calicum picturas* ex *Tertulliano*, cujus verba lib. de pudicit. cap. VII. ita habent: *Procedant picturæ calicum vestrorum*. Et cap. X. *Si fortè patrocinabitur pastor, quem in calice depingis*. At picturæ etiam ligneis, etiam lapideis, etiam corneis, denique etiam metallicis convenire possunt. Tum novum *Tertulliano* non est, novas vocibus imponere significationes, & obscurè pariter ac durè loqui. Alii ex *frangendi* verbo tale quid colligunt, ut quum *Optatus* l. c. de Donatistis ait: *Fregistis calices sanguinis Christi portatores*. At is *altaria* etiam dicit â Donatistis *fracta*, quæ tamen vitrea fuisse, nemo tam insanus erit, qui asserat. Lignea autem fuisse, ipse ibidem inculcat sæpius, vide supra cap. VI. Deinde non tantum fractos, sed etiam massatos (ut *Lucretiano* utar verbo) sive in massam redactos fuisse scribit. *Fregistis*, inquit, *calices, quorum species revocastis in massas*. Eas *massas* deinde *venditas* fuisse addit, quod certe de vitreis vasis dici non potuit. Et Latinis sanè *frangi* dicitur, quicquid rumpi, illidi, conteri, discerpi, secari, dirui potest. Unde *Cicero* Verr. VI. *Aureus annulus, quem habebat, fractus est & comminutus*.

tus. Et lib. IV. ad Attic. epist. III. *Q. Fratris domus conjectu lapidum fracta est.* Virgil. XI. Æneid. v. 480. *Frange manu telum.* Et Georg. I. v. 94. *Multum adeò rastris glebas qui frangit inertes.* Et v. 266. *fruges nunc frangite saxo.* Quæ omnia argumento sunt, ex voce *frangendi* temere colligi, vitreos fuisse calices, qui fracti dicuntur.

XIII. Firmiora igitur quærenda præsidia, si usum vitreorum calicum asserere volumus. Nec verò ea desunt. S. *Hieronymus* de Exuperio Tolosano Episcopo Epist. IV. ad Rusticum sub finem ita scribit: *Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro,* Tom. I. f. 48. *Irenæus* adv. Hæres. lib. I. cap. IX. f. 71. de Marco, Mago, hæc refert: *Pro calice vino mixto fingens se gratias agere, & in multum extendens sermonem invocationis, purpureum & rubicundum apparere facit poculum, ut putetur ea gratia ab iis, quæ sunt super omnia, suum sanguinem stillare in illius calicem, per invocationem ejus.* Sive, ut Græca habent (Græcè enim scripsisse, ostendit *Brisson.* observ. divin. & human. juris ad L. Dominico de Spectaculis in C. Theod. adde *Gerhard.* Patrol. p. 101.) apud *Epiphan.* hæres. XXXIV. *ποτήρια οἴνῳ κεκραμένα προσποιούμενος εὐχαριστεῖν, καὶ ἐπὶ πλέον ἐκτείνων τὸν λόγον τῆς ἐπικλήσεως, πορφύρεα καὶ ἐρυθρὰ ἀναφαίνεσθαι ποιεῖ, ὡς δοκεῖν τὴν ἀπὸ τῶν ὑπὲρ τὰ ὅλα χάριν τὸ αἷμα τὸ ἑαυτῆς στάζειν ἐν τῷ ἐκείνῳ ποτηρίῳ διὰ τῆς ἐπικλήσεως αὐτοῦ.* Hic cum præstigiator ille dica-

catur fecisse, ut calices vino repleti apparerent rubicundi, peractâ consecratione, eo ipso simul significatur, materiam illorum fuisse pellucidam, ut colores vini transmittere potuerint. Cumque hîc non commemoretur singularis aliqua & pretiosior aliquanto ac rarior materia pellucida, ideò verisimile est, vulgarem tantum fuisse ac vilem. Tale autem vitrum est. Itaque de vitro hunc locum interpretatur *Nicetas Choniates* lib. IV. Thes. cap. 6. *Ille*, inquit, *ut divus Irenæus auctor est, vitrea quædam albi coloris pocula præparabat: deinde carmine nescio quo usus confestim eorum aliud in rubrum, aliud in purpureum, aliud denique in cæruleum convertebat.* Quamvis verò præstigiis adscribendum, quicquid hîc à Marco factum, non improbabile tamen videtur, eum Catholicorum morem imitatum esse. Cæterum de Cæsario quoque Arelatensi *Cyprianus* in ejus vitâ refert, quod vitreo calice usus fuerit. Hæc enim ejus jactatur vox: *Annon in vitro habetur sanguis Christi?* Exempla calicum vitreorum fractorum & per miraculum aliquod reparatorum, quæ apud *Gregorium* M. lib. I. dial. cap. 7. Tom. I. f. 1338. Et *Turonens.* lib. I. de Gloriâ Martyr. cap. 46. occurrunt, lubens prætermitto: neque enim adhuc à me impetrare potui, ut crederem.

XIV. Ad *metallicos* nunc venio, cujusmodi illi apud *Optatum* videntur fuisse à Donatistis fracti. Sic enim ait: *Fregistis calices, quorum species revocastis in massas, mercem nefariis*

nun-

nundinis procurantes. Emerunt forſan in uſus ſuos ſordidæ mulieres. Emerunt pagani, facturi vaſa, in quibus incenderent idolis ſuis. Metalla hîc innui, illa in maſſam revocatio docet, metallorum veluti propria. Quale autem metallorum genus fuerit, cum prætermiſſum ab *Optato* ſit, nobis explicare eſt difficile. Videtur tamen non pretioſum aliquod, ut aurum vel argentum, quod *Bona* l. c. pag. 465. fruſtra ſibi perſuadet: ſed vulgare tantum ac vile fuiſſe, quia emtum putat à ſordidis mulieribus in uſus ſuos. Harum verò vaſa non aurea vel argentea, ſed plumbea, ſtannea, ærea, & ſimilia eſſe ſolent.

XV. Neque tamen vel *aureis* vel *argenteis* calicibus vetus caruit Eccleſia. *Auguſtinus* lib. III. contr. Creſcon. Grammat. cap. XXIX. Tom. VII. f. 260. ex Actis ſub Diocletiano commemorat, in Eccleſiâ Cirtenſi repertos fuiſſe calices duos aureos & ſex argenteos, idque Diocletiano octies, Maximiano ſepties Coſſ. adeoque ante tempora Conſtantini M. ut proinde mirum ſit, quoſdam hunc Imperatorem auctorem facere aureæ argenteæque ſupellectilis & cæterorum ornamentorum in templis Chriſtianorum. Hoc tamen verum, nec criminis loco ponendum, ſed laudandum potius, quod valde ille auxerit ſplendorem rerum ſacrarum multaque pretioſa vaſa Chriſtianis donarit. *Platina* in Sylveſtro p. 41. ait, Conſtantinum M. in Baſilicâ D. Petri recens ædificatâ obtuliſſe calices aureos tres, librarum duodecim; calices argenteos viginta-

ginti, quorum ſinguli decem librarum fuerint. Similia eundem vaſa in Baſilicâ Pauli obtuliſſe. Baſilicæ Seſſorianæ inter alia donaſſe argenteos ſcyphos quatuor, calices aureos decem; Baſilicæ S. Agnetis, calicem aureum librarum decem, calices argenteos quinque; S. Marcellini & Petri, calices aureos tres cum gemmis praſinis & hyacinthinis; S.Petri, Pauli & Johannis Baptiſtæ ap. Oſtienſes calices argenteos decem. Sed hæ nugæ ſunt. Illud tantum generatim ſcriptores antiqui produnt, Conſtantinum *vaſa pretioſa* Eccleſiis donaſſe. *Theodoritus* Hiſt. Eccl. lib. III. cap. XII. f. 316. Julianum Antiochenorum ſacra vaſa ærario ſuo inferri juſſiſſe ait. καὶ τά τε ἱερὰ σκεύη τοῖς βασιλικοῖς ταμείοις ὁ τύραννος παραδοθῆναι προσέταξε. *Et vaſa ſacra regio ærario inferri tyrannus imperabat.* Pretioſa ergo fuiſſe neceſſe eſt, id quod diſſimulare non potuit infelix ille Felix, ejus Quæſtor, de quo hæc refert Theodoritus l. c. ὁ δὲ Φίλιξ τῶν ἱερῶν σκευῶν τὴν πολυτέλειαν θεασάμενος, Κωνσταντῖνος γὰρ καὶ Κωνστάντιος φιλοτίμως ταῦτα κατεσκεύασαν, ἰδοὺ, ἔφη, ἐν ποίοις σκεύεσιν ὑπηρετεῖται ὁ Μαρίας υἱός. *Felix conſpicatus ſacrorum vaſorum pretia, nam Conſtantinus ac Conſtantius illa paraverant ambitioſe: En, inquit, qualibus vaſis miniſtratur Mariæ filio!* Calices inter ea fuiſſe aureos argenteosve, dubitari non poteſt, at eorum multitudinem, pondus & alia cum *Platina* definire velle in tanto veterum ſilentio, temerarium eſt. *Ambroſius* Offic. lib. II. cap. XXVIII. f. 51. ſe confregiſſe ait vaſa myſtica

 ſtica

ſtica, ut captivos redimeret. *Nos aliquando*, inquit, *in invidiam incidimus, qui confregerimus vaſa myſtica, ut captivos redimeremus.* Aurea ergo argenteave fuiſſe probabile eſt: alioqui non ſuffectura fuiſſent redimendis captivis. Aurea autem fuiſſe, ſatis luculenter oſtendit verbis ſequentibus, quibus ſe excuſat. Inter alia *adſtruxiſſe* ſe ait, *multo fuiſſe commodius, animas Domino quam aurum ſervare.* Addit rationem: *Qui enim ſine auro miſit Apoſtolos, & eccleſias ſine auro congregavit. Aurum Eccleſia habet, non ut ſervet, ſed ut eroget, & ſubveniat in neceſſitatibus.* Cum ergo hîc dixerit, aurum ſe non ſervaſſe; Illic verò vaſa myſtica ſe confregiſſe: nonne conſequens erit, vaſa myſtica ad redimendos captivos confracta fuiſſe aurea? Poſtea ſubjungit: *Aurum ſacramenta non quærunt*, quo ipſo non negat, aurum ad ſacramenta diſpenſanda adhibitum olim fuiſſe; ſed tantum neceſſarium illud fuiſſe negat. De poculo autem eum hæc intellexiſſe, illud indicat, quum ait: *Hic numerus captivorum, hic ordo præſtantior eſt, quam ſpecies poculorum.* Et paulo poſt: *Agnoſco infuſum auro ſanguinem Chriſti*: auro, id eſt, poculo aureo μετωνυμικῶς, & hæc talia alia apud eundem legas. *Chryſoſtomus* homil. LI in Matth. f. 455. Μὴ νομίζωμεν ἀρκεῖν εἰς σωτηρίαν, εἰ χήρας καὶ ὀρφανοὺς ἀποδύσαντες, ποτήριον χρυσοῦν καὶ λιθοκόλλητον προσενέγκωμεν τῇ τραπέζῃ· εἰ γὰρ βούλει τιμῆσαι τὴν θυσίαν, τὴν ψυχὴν προσένεγκε, δι' ἣν καὶ ἐτύθη· ταύτην χρυσῆν ποίησον. ἂν δὲ αὕτη μένῃ μολίβδου καὶ ὀστράκου χεί-

ρων

ρων, τὸ δὲ σκεῦος χρυσοῦν, ἢ τὸ κέρδος; μὴ τοίνυν τοῦτο σκοπῶμεν, ὅπως χρυσᾶ σκεύη προσφέρωμεν μόνον, ἀλλ' ὅπως καὶ ἐκ δικαίων πόνων. *Non putemus, ſatis eſſe nobis ad ſalutem, ſi cùm viduas & orbos parentum ſpoliaveris, aureum calicem & gemmis ornatum huic menſæ offeras. Vis hoc ſacrificium honorare? Animam tuam offeras, propter quam Chriſtus immolatus eſt, eam auream facito. Quod ſi anima tua plumbo ac teſta deterior eſt, quid tibi proderunt aurea vaſa? Non igitur laboremus ad aurea vaſa offerenda ſolum; verum etiam multò magis de juſto labore acquiſita offeramus.* Et poſtea: Ταῦτα λέγω, οὐ κωλύων ἀναθήματα κατασκευάζεσθαι τοιαῦτα· ἀξιῶν δὲ μετὰ τούτων, καὶ πρὸ τούτων, τὴν ἐλεημοσύνην ποιεῖν· δέχεται μὲν γὰρ καὶ ταῦτα· πολλῷ μᾶλλον δὲ ἐκεῖνα· ἐνταῦθα μὲν γὰρ ὁ προσενεγκὼν ὠφελήθη μόνον· ἐκεῖ δὲ καὶ ὁ λαβών. ἐνταῦθα δοκεῖ καὶ φιλοτιμίας ἀφορμὴ τὸ πρᾶγμα εἶναι· ἐκεῖ δὲ ἐλεημοσύνη καὶ φιλανθρωπία τὸ πᾶν ἐστι. *Hæc dico, non quia vetare velim talium vaſorum oblationem, ſed quia dignum putem, ante omnia miſericordiæ ac benignitati eſſe incumbendum; nam & vaſa DEUS ſuſcipit, ſed illa multò magis ſibi gratioſa ſunt. Et vaſa quidem danti ſolùm profuerint, benignitas vero etiam accipienti. Et hîc quidem oſtentatio nonnunquam poteſt accuſari, ibi verò totum miſericordi animo attribuitur.* Et rurſus: ποτήριον χρυσοῦν ποιεῖς, καὶ ποτήριον ψυχροῦ οὐ δίδως; *Calicem aureum facis, & aquæ frigidæ calicem ei non præbes.* Videmus hîc *Chryſoſtomum* in eos invehi, qui nullâ pauperum & miſerorum ratione habitâ, calices aureos gemmiſque di-

ſtinctos obtulerunt, & hoc modo Chriſtianorum ſe probè defunctos eſſe officio crediderunt. Nec tamen ipſam talium vaſorum oblationem ſe improbare dicit, ſed tantum injuſtè factam, nec ullâ cum miſericordiâ conjunctam. Ex quo colligere eſt, *calices aureos gemmisque diſtinctos* receptos fuiſſe in Eccleſiâ veteri: aliàs enim non obtuliſſent. Idem docet *Prudentius* de Coron. hymn. II. ubi hoſtem introducit à Stephano cum Eccleſiæ theſauris petentem vaſa ſacra his verſibus:

Hunc eſſe veſtris orgiis
Moremque & artem proditum eſt,
Hanc diſciplinam federis,
Litent ut auro antiſtites.
Argenteis ſcyphis ferunt
Fumare ſacrum ſanguinem.

Pertinet huc & illud, quod *Auguſtinus* habet in Pſalm. CXIII. conc. 2. Tom. VIII f. 1307. *Hoc venerantur* (gentiles) *quod ipſi ex auro argentoq; fecerunt. Sed enim & nos* PLERAQUE INSTRUMENTA ET VASA EX HUJUSMODI MATERIA VEL METALLO *habemus in uſum celebrandorum ſacramentorum*, QUO IPSO MINISTERIO CONSECRATA *ſancta dicuntur, in ejus honore, cui pro ſalute noſtrâ inde ſervitur.* Quibus verbis *Auguſtinus* non tantum vaſorum ſacrorum *materiam*, ſed etiam *conſecrationem* deſcribit, ſed talem, quæ à Pontificiâ planè aliena

na est. Dicit enim ipso *usu*, nimirum primo, consecrari sacra vasa, perinde ut nos consecrari diximus altaria. Cum Roma â Gothis duce Alarico diriperetur, reperta quoque ibi talia sunt vasa, quæ possedit basilica Petri. Testis est *Orosius* lib. VII. cap. XXXIX. p. 667. cujus verba jucundam & memorabilem continent historiam. Ex donatione Chosrois Regis Persarum, Sergii quoque ædes calicem aureum habuit, teste *Evagrio* l. c. Calicis gemmati Ecclesiæ Edessenæ donati, mentio sit in Concil. Chalced. Act. X. Tom. IX. Conc. Paris. edit. f. 56. Atque id genus testimonia sequentium inprimis ætatum afferri multa possent, nisi superfluum videretur.

XVI. Hoc tantum restat explicandum, quâ *formâ* fuerint veterum calices, ubi quidem nos iterum pene destituit antiquitas, nisi quod *Tertullianus* picturarum in calicibus meminit Lib. de pudicit. cap. VII. ait: *Procedant picturæ calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius* (ovis scil. perditæ & â Domino quæsitæ & humeris ejus portatæ.) Et cap. X. *Si fortè patrocinabitur pastor, quem in calice depingis.* Et paulò post: *At ego ejus pastoris scripturas haurio, qui non potest frangi.* Quibus verbis ille insectatur Catholicos, quasi imaginem pastoris ovem perditam gestantis in calicibus pingerent, ut in omne scelus animarentur, tanquam veniam peccatorum summi pastoris misericordiâ recepturi post lapsum, quam ipse negabat. Cæterum

rum non vanâ conjecturâ eandem puto fuisse calicum in veteri Ecclesiâ formam ac figuram, quæ hodie est. Neque enim usquam ea immutata legitur.

XVII. De *patellis* nihil ferè habeo dicere, silente antiquitate. Fuisse veteribus, nulla dubitatio. Quippe tam opus iis erat ad panem, quam calicibus ad vinum distribuendum. Videntur autem generatim significatæ *vasorum* appellatione esse. Cum enim veteres appellant *vasa altaris* numero multitudinis, nescio sanè, quid aliud vel magis intelligere potuerint, quàm cum calicibus patellas. Ita ergo de iis interpretanda ista, quæ supra citavimus, testimonia erunt, ut *Chrysostomi* homil. LI. in Matth. f. 455. *Theodoriti* lib. III. cap. XII. f. 316. *Augustini* Enarr. in Ps. CXIII. Conc. 2. Tom. VIII. f. 1307. *Orosii* lib. VII. cap. XXXIX. pag. 667. ex quibus colligere est, aureas & argenteas fuisse, perinde ut calices, adeoque magnum etiam altaribus attulisse ornamentum.

XVIII. Ad vasa altaris *candelabra* quoque pertinent, quæ cum cereis accensis aliquid splendoris attulisse, non facile negabitur. De eorum apud veteres usu loquitur *Paulinus* Natal. III. S. Felicis, his versibus:

Clara coronantur densis altaria lychnis:
Lumina ceratis adolentur odora papyris,
Nocte dieque micant, sic nox splendore diei

Ful-

Fulget: & ipsa dies cœlesti illustris honore
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

Et *Prudentius* de Coron. hymn. II. de S. Laurent. ubi tyrannum introducit, ita de Christianorum ritibus loquentem:

Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis sacris
Adstare fixos cereos.

Neque verò *noctu* tantum, sed de *die* etiam *accensi cerei* sunt, idque sub lectionem Evangelii in signum lætitiæ, quod egregiè docet *Hieronymus* adversf. Vigilantium, morem istum temerè reprehendentem Tom. II. Oper. f. 123. *Per totas Orientis Ecclesias*, inquit, *quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria, jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. Unde & virgines illæ Evangelicæ semper habent accensas lampades suas. Et ad Apostolos dicitur: Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et de Johanne Baptista: Ille erat lucerna ardens & lucens: ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de quâ in Psalterio legimus: Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine & lumen semitis meis.* Ubi iterum pulchram Ecclesiæ nostræ cum veteri in hoc cerimoniarum genere consensionem videre licet.

CAPUT XIII. DE LOCO ET SITU ALTARIUM.

I. Loca extraordinaria altarium varia.
II. Altaria in cœmeteriis.
III. In Templis locus ordinarius. Templorum partes.
IV. Altaria in medio templi.
V. Non omnia in medio collocata.
VI. Nec omnia ortum spectabant, sed quædam etiam alios mundi cardines.
VII. Pleraque tamen in Orientem versa erant.
VIII. Templorum situs.
IX. Libertas Ecclesiæ in situ templorum.
X. Ratio, cur in Orientem olim spectaverint templa & altaria.

§. I.

Quam varia olim fuerunt loca conventuum sacrorum, tam varia etiam fuerunt altarium. Videntur tamen commodè dispesci posse in *ordinaria* & *extraordinaria*. Hujus generis erant ædes privatæ, naves, speluncæ subterraneæ, deserti montes & valles, ac inprimis cœmeteria. *Eusebius* Hist. Eccl. lib. VII. cap. XXII. f. 77. πᾶς ὁ τῆς καθ' ἕκαστον θλίψεως τόπος, πανηγυρικὸν ἡμῖν γέγονε χωρίον, ἀγρὸς, ἐρημία, ναῦς, πανδοχεῖον, δεσμωτήριον. *Quilibet singularum afflictionum locus, panegyricus nobis fuit, ager, soli-*

ſolitudo, navigium, diverſorium, carcer. Sive, *omnis preſſuræ, quæ ſingulos ſpectabat, locus, ager, deſertum, navis, diverſorium publicum, carcer nobis ad conventus aptus fuit.* Walafridus *Strabo* de reb. Eccleſ. cap. III. *Cum multiplicaretur numerus credentium, cœperunt domos ſuas facere Eccleſias, ut in geſtis ſanctorum creberrime legitur: Et privatas habitationes ad publicas fidelium contulerunt utilitates. Sæpe etiam perſecutorum rabiem declinantes in cryptis & in cœmeteriis & ſpeluncis atque deſertis montibus & vallibus conventicula faciebant.* Ubi autem convenerunt, ibi etiam menſas ſuas ſacras, vel quicquid earum loco fuit, habuiſſe probabile eſt. Frequentata verò illa loca fuerunt triſtiſſimis inprimis illis temporibus, quibus Eccleſia Chriſti graviſſime affligebatur, à tyrannis, quà ante, quâ poſt Conſtantinum M. De iſto abundè teſtatur *Euſebius* in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, non uno loco. Hoc docet *Victor Uticenſis* in hiſtoriâ Perſecutionis Africanæ lib. I. Tom. I. Orthodoxogr. f. 801. Tunc enim (ſeculum agebatur quintum) myſteria â Catholicis celebrata, quocunque potuere loco. Verba *Victoris* habent ita: *Recedentes illi triſtitiâ & mœrore confecti, cœperunt, qualiter poterant, ablatis miniſtris, divina myſteria celebrare.*

II. Solenne verò inprimis veteribus erat iſtâ tempeſtate, ni prohiberentur, frequentare *cœmeteria*, id eſt, illa loca, ubi exanima Chriſtianorum corpora ſepulta erant, ibique ſacra ſua peragere. Loco *menſarum* iis erant *monu-*

numenta martyrum, altaris præ se ferentia speciem & nomen. Videre id eſt ex laudati ſæpe Concilii Carthaginenſis IV. can. XIV. Juri etiam Canonico inſerto. *Placuit, ut altaria, quæ paſſim per agros & vias, tanquam memoriæ martyrum conſtituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ martyrum conditæ probantur, ab Epiſcopis, qui locis eisdem præſunt, ſi fieri poteſt, evertantur.* Patet igitur, in illis locis, ubi corpora aut reliquiæ ſaltem martyrum reconditæ, excitatos fuiſſe tumulos in modum menſarum ſ. altarium, ut eſſent memoriæ martyrum. Idem nos docere videtur *Optatus Milevitan.* lib. III. adv. Parmen. p. 106. ubi de Donatiſtis hæc inter alia facit verba: *In loco Octavenſi occiſi ſunt plurimi, detruncati ſunt multi, quorum corpora usque in hodiernum per dealbatas aras aut menſas potuerunt numerari. Ex quorum numero cum aliqui in Baſilicis ſepeliri cœpiſſent, Clarius Presbyter in loco Sublenſi ab Epiſcopo ſuo coactus eſt, ut inſepultam faceret ſepulturam.* En dealbatas per agros aras, monumenta defunctorum! Atque hæc quidem loca *extraordinaria* erant.

III. *Ordinaria* autem, *templa* ſive *Baſilicæ* fuerunt, in quibus ut ſacræ reponerentur menſæ, ipſe ſacrorum ordo poſtulaſſe videtur. Neque enim S. cœna, tanquam firmamentum conventuum ſacrorum, commodè ſine menſis celebrari potuit. Sed juvat *partes templorum* paululum intueri, ut deinde, quam partem occuparint altaria, facilius explicare & intelligere poſ-

ſimus. Erant autem illa in modum templi Hieroſolymitani, in tres diviſa partes. Prima *porticus* erat, ad portas templi ſita, ubi pœnitentes, catechumeni, audientes, hæretici, Judæi ac pagani ſtabant. Græci *προναον* appellarunt. Latini *veſtibulum*. Altera erat *ναὸς*, Latini *templum*, *gremium*, *navem* vocarunt, ubi fideles ſedebant rem divinam facturi, ſed ſeorſum viri à feminis, & puellæ ab uxoribus & viduis. Tertia *Presbyterium* fuit ſive Chorus, Græcis *βῆμα* & *ἱερατεῖον*, ſ. *ſacrarium*, *ſanctuarium*, interior nempe illa pars templi à Gremio cancellis velis & gradibus diſtincta: quo nemini patebat aditus, niſi ſacerdotibus & aliis clericis, & tandem etiam Imperatori: reliquis autem Laicis nonniſi oblationis tempore, nec id tamen ubique, ſed quibusdam tantum in locis; nec diu iis ibi manendum fuit, ſed peractâ oblatione ſtatim exeundum. Erat autem apud veteres non ſemper, uti nunc apud nos eſt, in extremâ templi parte, ſed plerumque in *medio*, & intra ſuum ambitum continebat 1. ſuggeſtum ſive ambonem, ubi Tractator vel lector conſtitutus erat, quem tamen *Guil. Beveregius* Annot. in Concil. Nicæn. I. Pandect. SS. Can. f. 73. in ipſo etiam templo ſive *ναῷ* fuiſſe tradit ex *Symeone Theſſalonicenſi*; 2. ſedilia varia, nempe cathedram Epiſcopi, ſedilia Presbyterorum, ſubſellia Diaconorum, aliorumque clericorum mattas: Et 3. in medio *Altare* ſ. menſam ſacram. Vide de iſtis partibus pluribus diſſerentem *Hoſpinianum* de

de Orig. Templor. lib. II. cap. I. f. 74. seqq. *Joachimum Hildebrandum* Enchirid. de sacris publicis priscæ & primitivæ Ecclesiæ cap. 2. & de templis Græcorum speciatim *Guil. Beveregium* l. c. à quo subjectam veteris cujusdam templi ichnographiam mutuati sumus. Vid. Fig. Et in hâc quidem primum occurrit προπύλαιον i. e. *porticus* sive *vestibulum*, ubi ante portã sacræ ædis stabant *lugentes*, viliori habitu amicti, cæterosque fideles, qui ædem ingrediebantur, obsecrantes, ut pro se DEO supplicarent. Quâ de caussa etiam loco isti tribuitur, στάσις τῶν προσκλαιόντων, *statio lugentium*. Succedunt μεγάλαι πύλαι, *maximæ portæ*, per quas aditus patet in primam eamque infimam ædis partem, quæ νάρθηξ dicitur, & πρόναος. Hîc primo stabant *Catechumeni*, deinde *Energumeni* & *leprosi*, & supra hos illi pœnitentes, quos *Audientes* vocabant. Illorum locus στάσις τῶν κατηχουμένων, istorum στάσις τῶν χειμαζομένων, horum στάσις τῶν ἀκροωμένων dictus. Locus hic etiam Baptisterio fuit, quod κολυμβήθρα appellatum. Sequitur media ædis pars, ναὸς vocata, vel ἐκκλησία, in quam ducebant ὡραῖαι πύλαι *speciosæ portæ*. In hac primum erat στάσις τῶν ὑποπιπτόντων, locus illorum pœnitentium, quos *prostratos* vocarunt, deinde ἄμβων i. e. *cathedra*, tum στάσις τῶν πιστῶν καὶ συνισταμένων, locus ille, ubi stabant Deum venerantes *Fideles*, & una cum illis, qui in quarto pœnitentium gradu constituti erant, συνιστάμενοι dicti. Ad utrumque latus, dextrum & sinistrum, ἔμβολος erat, porticus quædam, tegu-

1. Thronus
subselliis
3. Sacellum
in quo sacr
habeban
5. Sancta po
superioren



tegulis operta. Et hæc quidem ratio *Gremii* sive mediæ partis fuit. Inde transibatur per *sanctas fores* in partem illam intimam sanctissimamque, quæ βῆμα dicebatur, & à *Gremio Cancellis* distinguebatur, ubi erat ἁγία τράπεζα *sacra mensa* sive *altare*, & post eam θρόνος *sedes Episcopi* cum συνθρόνῳ sive *subsellis Presbyterorum*. Huic adjunctum erat à dextra parte διακονικὸν, ubi diaconi sacra vestimenta atque vasa reponebant (Germani hodie vocant die Sacristey, *Sacristiam* barbari) à sinistrâ, πρόθεσις, ubi sacra præparabantur. Vide laudatum Beveregium l. c. qui hæc omnia testimoniis firmat.

IV. Altare igitur *in medio* erat choro adeoque in ipso etiam interdum templi medio. *Eusebius*, vel potius Auctor Orationis Panegyricæ coram Paulino Episcopo in consecratione templi Tyrii habitæ, apud *Eusebium* Hist. Eccl. lib. X. cap. V. f. 111. ὧδε καὶ τὸν νεὼν ἐπιτελέσας, θρόνοις τε τοῖς ἀνωτάτω εἰς τὴν τῶν προέδρων τιμὴν καὶ προσέτι βάθροις ἐν τάξει τοῖς καθόλου κατὰ τὸ πρέπον κοσμήσας, ἐφ᾽ ἅπασί τε τὸ τῶν ἁγίων ἅγιον θυσιαστήριον ἐν μέσῳ θεὶς, εὖθις καὶ τάδε, ὡς ἂν εἴη τοῖς πολλοῖς ἄβατα, τοῖς ἀπὸ ξύλου περιέφραττε δικτύοις, εἰς ἄκρον ἐντέχνου λεπτουργίας ἐξησκημένοις, ὡς θαυμάσιον τοῖς ὁρῶσι παρέχειν τὴν θέαν. *Hic absoluto templo ac sedibus excelsissimis ad honorem præsidentium, deinde & subselliis ordine per omnia collocatis ornato, ac post omnia sancto sanctorum, ALTARI videlicet IN MEDIO constituto, rursus etiam ista, ut multis sint inaccessa, cancellis ligneis, ad verticem usque artifi-*

ciosa

ciosâ celaturâ fabrefactis ita circumdedit ut admirabilem adspectum videntibus exhibeat. Hinc intelligitur, quomodo in Concil. Constantinop. sub Menna Act. V. Tom. XI. Concil. edit. Parif. f. 370. omnis multitudo cucurrisse dicatur circum circa altare. Μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν τοῦ ἁγίου εὐαγγελίου, ἐξ ἔθους τῆς θείας λειτουργίας ἐπιτελουμένης, καὶ τῶν θυρῶν κλεισθεισῶν, καὶ τοῦ ἁγίου μαθήματος κατὰ τὸ σύνηθες λεχθέντος, τῷ καιρῷ τῶν διπτύχων, μετὰ πολλῆς τῆς ἡσυχίας, συνέδραμον ἅπαν τὸ πλῆθος κύκλῳ τοῦ θυσιαστηρίου, καὶ ἠκροῶντο. *Post lectionem S. Evangelii, ex more sacrâ Missâ finitâ, & januis clausis, ac sanctâ lectione juxta consuetudinem lectâ, tempore Diptychorum cucurrit omnis multitudo cum magno silentio circumcirca altare, & audiebant.* Nempe quia in medio erat. Id quod etiam significat *Augustinus* de verb. Domini secundum Johann. homil. XLVI. Tom. X. Oper. f. 175. *Per istos dies magistri pascunt, Christus quotidie pascit, mensa ipsius est illa in medio constituta.* Eundem locum altaria sequentibus etiam seculis in templis obtinuerunt, ut septimo in Galliis, ubi in monasterio Sitthin, quod Berthinus exstruerat, altare stetisse in medio templi, ex *Vincentii* lib. XXIII. cap. III. asserunt Auctores Cent. Magd. Cent. VII. cap. VI. f. 68. Et octavo ap. *Cranzium* in Metropoli lib. I. c. IX. p. 20. ubi Witikindus ad Carolum M. *Posteaquam mensam adieras templo mediam.* Nono etiam, tempore Gregorii IV. eundem servatum morem fuisse, patet ex Tom XXI. Concil. edit. Paris. f. 113.

V. Neque tamen ubivis locorum id observatum, sed quibusdam in locis *chorum* primam sive *extremam templi partem* fuisse, existimat *Hospin.* l. c. f. 74. Testimonia non addit. De Græcis id docet *Beveregius* l. c. Hoc certum, non omnia altaria *medium* occupasse templi. *Beda* lib. V. Hist. Eccl. Anglor. cap. XVII. Tom. III. Oper. f. 181. ex Adamnani libro de locis sanctis refert, Hierosolymis in æde Resurrectionis fuisse tria altaria in tribus locis parietis, versus Austrum, Boream & Occasum. Verba ita habent: *Hujus quoque ad occasum Ecclesiæ* (Golgotanæ) *Anastasis h. e. Resurrectionis Dominicæ rotunda Ecclesia, tribus cincta parietibus, duodecim columnis sustentatur, inter parietes singulos latum habens spatium viæ, quæ tria altaria in tribus locis parietis medii continet: h. e. australi, aquilonari & occidentali* &c. Paulo post ante ostium monumenti Christi, quod in eâdem fuit æde, stetisse tradit quadratum altare, factum ex minori parte illius lapidis, qui monumento fuerat impositus: & alterum quadrangulum ex ejusdem lapidis majori parte fuisse versus ortum. Verba hæc sunt: *Lapis, qui ad ostium monumenti positus erat, nunc fissus est, cujus pars minor quadratum altare ante ostium nihilominus ejusdem monumenti stat: major verò pars in orientali ejusdem Ecclesiæ loco, quadrangulum aliud altare sub linteaminibus exstat.* Non ergo omnia in medio fuerunt.

VI. Ex iisdem verbis intelligi simul licet, non omnia altaria *Orientem* spectasse, sed quædam

dam etiam occidentem, quædam meridiem, quædam ſeptentrionem. Id quod nec negare, nec improbare potuit *Walafridus Strabo*, qui circa A. C. 840. floruit, lib. de reb. Eccl. cap. IV. f. 71. ubi diſerte concludit, *non erraſſe illos vel errare, qui templis vel noviter DEO conſtructis, vel ab idolorum ſqualore mundatis, propter aliquam locorum oportunitatem, in diverſas plagas altaria ſtatuerunt.* Addit rationem: *Quia non eſt locus, ubi non ſit DEUS.* Exempla quoque ſubjungit: *Veriſſimâ enim*, inquiens, *relatione didicimus, in Eccleſiâ, quam apud Æliam Conſtantinus Imperator cum matre Helena, ſuper ſepulchrum Domini, miræ magnitudinis in rotunditate conſtituit; itemque Romæ, in templo, quod ab antiquis Pantheon dictum, à beato Bonifacio Papa, permittente Phoca Imperatore, in honorem omnium ſanctorum conſecratum eſt; in Eccleſiâ quoque B. Petri principis Apoſtolorum, altaria non tantum ad orientem, ſed etiam in alias partes eſſe diſtributa. Hæc cum ſecundum voluntatem vel neceſſitatem fuerint ita diſpoſita, improbare non audemus.*

VII. Pleraque tamen in *orientem* ſpectaſſe videntur. Hinc *Socrates* lib. V. Hiſt. Eccl. cap. XXII. f. 250. de altari Antiochenorum ad occidentem converſo ita loquitur, quaſi hoc ipſum præter alia habuerit præcipuum. Ἐν ἀντιοχείᾳ δὲ τῆς συρίας, inquit, ἡ ἐκκλησία ἀντίστροφον ἔχει τὴν θέσιν· οὐ γὰρ πρὸς ἀνατολὰς τὸ θυσιαστήριον, ἀλλὰ πρὸς δύσιν ὁρᾷ. *Eccleſia Antiochiæ Syriæ contrarium ab aliis Eccleſiis ſitum habet. Nam altare non ad orien-*

orientem, *sed ad occidentem spectat*. Si igitur structura templi Antiocheni, in hoc contraria fuit aliis templis, quod in illo altare non ad orientem, sed ad occasum spectaverit, consequens omnino est, in aliis templis altaria non ad occasum, sed ad orientem spectasse. Atque hic situs fuit altarium quorundam Hierosolymitanorum, cum illius quadranguli ex majori lapidis sepulchralis parte facti, de quo antè dictum; tum alterius in monte Oliveti, de quo idem *Beda* l. c. cap. XVIII. f. 182. hæc inter alia tradit: *In montis summo vertice, ubi Dominus ad cœlos adscendit, ecclesia rotunda grandis ternas per circuitum cameratas habet porticus desuper tectas. Interior namque domus propter Dominici corporis meatum camerari & tegi non potuit: altare ad orientem habens angusto culmine protectum.*

VIII. Similiter collocata & pleraque veterum templa erant. *Tertullianus* advers. Valentin. cap. III. alludens ad Christianorum templa: *Nostræ*, inquit, *Columbæ domus simplex*, *editis semper & apertis & ad lucem. Amat figura Spiritus S. orientem.* Legit hæc paulo aliter *Renatus Laurentius de la Barre* f. 284. edit. Paris. ann. 1580. nempe, ita: *Amat figuram Spiritus S. orientem Christi figuram.* Sed res eodem recidit, quando de domo Spiritus S. utrobique dicitur, quod amet orientem. *Isidorus* Orig. lib. XV. cap. IV. p. 1196. de veteribus hæc prodidit: *Quando templum construebant, orientem spectabant æquinoctialem, ita ut lineæ ab ortu ad occidentem missæ fierent partes cœli dex-*

tra sinistra æquales, ut qui consuleret ac deprecaretur, rectum aspiceret orientem. Atque hunc morem *usitatiorem* appellat *Paulinus* epist. XII. ad Severum, quanquam ipse eundem non observaverit in basilicâ, quam ædificarat. Sic enim ait: *Prospectus basilicæ non, ut usitatior mos est, orientem spectat, sed ad Domini mei B. Felicis Basilicam pertinet, memoriam ejus aspiciens.*

IX. *Arbitrii* res ergo erat, non juris, hoc an alio modo sacram collocare ædem. In eandem sententiam *Walafridus Strabo* l. c. scribit: *Usus frequentior & rationi vicinior habet, in orientem orantes converti, & pluralitatem maximam Ecclesiarum eo tenore constitui.* Ubi simul rationem indicat, quare in orientem conversa fuerint altaria.

X. Nimirum in orientem olim spectabant, qui DEUM precibus venerabantur. Eodem ergo & altaria spectare, conveniens existimabatur veteribus. Et illud quidem plurimis facere planum possemus testimoniis, nisi esset Iliada post Homerum. Tractavit enim jam hoc argumentum diligenter *Hildebrandus* in Rituali Orantium cap. I. §. V. seqq. quod in omnium versatur manibus. De moralitate ejus accurate egit *Thomasius* in eruditâ disp. de Ritu veterum Christianorum precandi versus orientem Lipsiæ ann. 1670. edita, ubi & caussas ejusdem varias, â variis allatas, singulari judicio expendit, & illorum tandem præcipuè probat sententiam, qui ritum illum ideò volunt pla-

placuiſſe veteribus, ut admonerentur homines, Eccleſiam velut è nocte ac tenebris Vet. Teſt. in lucem diemque federis novi per Evangelii de Chriſto prædicationem emerſiſſe, cap. XII. §. 122. ſeqq.

CAPUT XIV.

DE NUMERO ALTARIUM.

I. Altare unum in unâ æde apud veteres, quod variis teſtimoniis probatur.

II. Pontificii, & qui iis olim præluſerunt, altarium numerum auxerunt. Unum autem retinuerunt Æthiopes & Abyſſini Chriſtiani.

III. Unum etiam Moſcovitis eſt, & hodie Orthodoxæ Eccleſiæ, quam Lutheranam vocant.

§. I.

UNum tantum Eccleſia vetus in ſingulis templis ſeu ædibus & locis, conventibus ſacris deſtinatis, habuit altare. *Ignatius* epiſt. VI. ad Philadelphenſes Tom. I. Orthodoxogr. f. 33. Μία ἐστιν ἡ σάρξ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, καὶ ἓν αὐτοῦ τὸ αἷμα τὸ ὑπὲρ ἡμῶν ἐκχυθέν. εἷς καὶ ἄρτος τοῖς πᾶσιν ἐθρύφθη, καὶ ἓν ποτήριον τοῖς ὅλοις

διενεμήθη, ἓν θυσιαστήριον πάσῃ τῇ ἐκκλησίᾳ, καὶ εἷς ἐπίσκοπος ἅμα τῷ πρεσβυτερίῳ καὶ τοῖς διακόνοις τοῖς συνδούλοις μου. *Una est caro Domini nostri JEsu Christi, & unus illius sanguis, qui pro nobis effusus est, & unus calix qui pro omnibus nobis distributus est, unus panis, qui omnibus fractus est, UNUM ALTARE omni Ecclesiæ, & unus Episcopus cum Presbyterorum collegio & Diaconis conservis meis &c.* Hæc ille, satis, opinor, disertè: ἓν θυσιαστήριον πάσῃ τῇ ἐκκλησίᾳ. *Unum altare omni Ecclesiæ*, id est, singulis Ecclesiis, nimirum uti est singulis Ecclesiis unus Episcopus. In augustissimo Tyriorum templo unum tantum *Paulinus* Episcopus posuerat altare. Τὸ τῶν ἁγίων ἅγιον θυσιαστήριον ἐν μέσῳ θεὶς, ait Panegyrista de eo ap. *Eusebium* Hist. Eccl. lib. X. cap. IV. f. 111. Non in numero multitudinis *sancta altaria*, sed in singulari, *sanctum sanctorum altare in medio posuerat.* Et infra illud disertè μονογενές *unicum* appellat. Sic enim perorat f. 113. Σεμνὸν δὲ καὶ μέγα, καὶ μονογενὲς θυσιαστήριον, ποῖον ἂν εἴη ἢ τὸ τοῦ κοινοῦ πάντων ἱερέως τῆς ψυχῆς τὸ εἰλικρινὲς, καὶ ἁγίων ἅγιον· ᾧ παρεστὼς ἐπὶ δεξιᾷ ὁ μέγας τῶν ὅλων ἀρχιερεὺς αὐτὸς Ἰησοῦς ὁ μονογενὴς τοῦ θεοῦ, τὸ παρὰ πάντων εὐῶδες θυμίαμα, καὶ τὰς δι' εὐχῶν ἀναίμους καὶ ἀΰλους θυσίας, φαιδρῷ τῷ βλέμματι καὶ ὑπτίαις ὑποδεχόμενος χερσὶ, τῷ κατ' οὐρανὸν πατρὶ καὶ θεῷ τῶν ὅλων παραπέμπεται, πρῶτος αὐτὸς προσκυνῶν, καὶ μόνος τῷ πατρὶ τὸ κατ' ἀξίαν ἀπονέμων σέβας, εἶτα δὲ καὶ πᾶσιν ἡμῖν εὐμενῆ διαμένειν καὶ δεξιὸν εἰς ἀεὶ παραιτούμενος. *Augustum & magnum & UNI-*

CUM ALTARE quodnam aliud est quam sinceritas illa & sanctum sanctorum animæ communis omnium sacerdotis, ad cujus dexteram adstat magnus ille omnium pontifex ipse JEsus unigenitus DEI, qui ab omnibus odoriferum illud thymiama, & incruenta spiritualiaque precum sacrificia alacribus oculis ac pronis manibus suscepta, cœlesti patri & DEO omnium destinat, & primus ipse cum adoratione & solus Patri competentem honorem exhibet, ac deinde orat, ut nobis omnibus placidus ac benevolus constanter ac perpetuo esse velit? Hactenus *Eusebius.* *Athanasius* epist. ad solitariam vitam agentes Tom.I. f.656. ubi ethnicorum & Arianorum adversus Catholicos edita facinora commemorat, unius tantum mensæ facit mentionem. Ait enim, quod ἁρπάσαντες τὰ συμψέλλια, καὶ τὸν θρόνον, καὶ τὴν τράπεζαν, ξυλίνη γὰρ ἦν, καὶ τὰ βῆλα τῆς ἐκκλησίας, *subsellia, thronum, mensam (erat enim lignea) tabulas Ecclesiæ, & cætera, quæ potuere, foras elata combusserint ante vestibulnm in magna platea, & thura insperserint.* Certè si plures mensæ in illâ æde fuissent, non unam tantum, ut h. l. dicitur, sed cæteras etiam abstulissent & combussissent, quid enim attinuisset unam tollere, relictis cæteris, quæ idem præstare possunt? Neque verò, si plures abstulissent, *Athanasius* Numero singulari usus fuisset, sed ut τὰ συμψέλλια *subsellia* appellat, quia multa; ita & τραπέζας *mensas*, ut multas, sine dubio dixisset. Nunc autem ut θρόνον in Numero singulari dixit, quia unus fuit; Ita τράπεζαν etiam dixisse videtur eadem de caussâ,

 quia

quia una tantum in illâ æde fuit. *Gregorius Nazianzenus* Gorgoniam commemorat nocte intempestâ, sanitatis recuperandæ ergo venisse ad altare, & quæsivisse aliquid sacrorum Symbolorum. *Desperatis*, inquit, *omnibus aliis auxiliis ad mortalium omnium medicum confugit* (Gorgonia) *atque intempestâ nocte captata, cum morbus nonnihil remisisset*, τῷ θυσιαστηρίῳ προσπίπτει μετὰ τῆς πίστεως, *ad altare cum fide procumbit*, καὶ τὸν ἐπ' αὐτῷ τιμώμενον, *eumque, qui super ipso honoratur, cum ingenti clamore invocans omnibusque nominibus appellans, atque omnia ea, quæ unquam mirificè gesserat, velut in memoriam ei revocans (nam & veteres & novas historias callebat) tandem piâ & præclarâ quadam impudentia effertur. Eam, quæ Christi fimbriâ sanguinis profluvium compresserat, imitatur, quidque fecerit audite. Cum caput suum pari cum clamore lacrymisque, quibus abundabat (mulierculæ illius instar, quæ olim Christi pedes rigavit)* τῷ θυσιαστηρίῳ *altari admovisset, nec se prius illud dimissuram esse denunciasset, quàm sanitatem obtinuisset, ac deinde hoc suo pharmaco corpus totum perfudisset, etsi quid uspiam antityporum pretiosi corporis aut sanguinis manus recondiderat, id lacrymis admiscuisset, ô rem mirandam! statim liberatam se morbo sentit, atque & corpore & animo & mente levis discedit, pro spei mercede, id, quod speraverat, consecuta, & per animæ robur corporis robur accipiens*, Orat. XI. Quod si plura in illâ æde fuissent altaria, non in uno tantum quæsivisset sacra Symbola, non uni tantum caput admovisset, non unum tantum apprehendisset;

dissent; omnia adiisset, in omnibus quæsivisset, quod anxia cupiebat, omnes Sanctos, si quidem illis erecta fuissent altaria, ut Pontificii volunt, venerata esset. Nec *Nazianzenus* contentus fuisset, generatim tantum appellasse altare, quando omnes rei istius gestæ circumstantias attingere in animo habebat; sed speciatim expressisset, quodnam altare fuisset, ad quod Gorgonia accessit. At hoc nec *Nazianzenus* dixit, nec Gorgonia illud fecit. Itaque ex Gorgoniæ facto & Nazianzeni dictione non temerè colligas, unum tantum in illâ æde fuisse altare. Potest huc etiam referri, quod *Chrysostomus* habet homil. XVIII. in 2. Corinth. VIII. f. 873. ubi ad concordiam suos adhortaturus, eadem, quo Ignatius, cui idipsum quoque propositum fuit, utitur ratione, nempe quod una omnibus sit mensa. Verba hæc sunt: ὡς μίαν οἰκίαν δεῖ τὴν ἐκκλησίαν οἰκεῖν, ὡς σῶμα ἓν, οὕτω διακεῖσθαι πάντας. ὥσπερ οὖν καὶ βάπτισμα ἐν ἔστι, καὶ τράπεζα μία, καὶ πηγὴ μία, καὶ κτίσις μία, καὶ πατὴρ εἷς. τί τοίνυν διῃρήμεθα, τοσούτων συναγαγόντων ἡμᾶς; τί διεσπάσμεθα; *Omnes tanquam domum unam, sic Ecclesiam habitare, omnes, ut unum corpus, ita affectos esse, convenit: quemadmodum videlicet & Baptisma unum est, & mensa una, & fons unus, & creatio una, & denique pater unus. Ecquid igitur dissecti ac divulsi sumus, quum tot summæ conjunctionis vincula habeamus?* Quod si quis mensæ voce hîc significari S. Eucharistiam vult, is velim cogitet, annon, ut Eucharistia mensam requirit adeoque

eam non excludit, quin & ipsa mensa appellatur; ita & mensæ voce tam propriè de supellectili, quam metonymicè de Adjunctâ Eucharistia intellectâ, id, quod intenderat, efficere potuerit S. *Chrysostomus*? Nec verò à propriâ significatione verborum recedendum, nisi res ipsa cogat, quod hic non fit: Addo alia. *Socrates* situm altaris in Antiochenâ Ecclesiâ descripturus lib. V. cap. XXII. f. 250. non τὰ θυσιαςήρια *altaria*, tanquam plura, sed τὸ θυσιαςήριον *altare* tanquam unum in occidentem ait spectasse. Quod si plura fuissent, plura sine dubio nominasset, quia ita melius probare potuisset, quod intendebat, nempe Antiochenam ædem ἀντίςροφον τὴν θέσιν *contrarium habuisse situm*. Pertinent huc & illa loca, quibus Ecclesiæ orthodoxæ unum asseritur altare, heterodoxæ multa. *Cyprianus* lib. II. epist. I. f. 30. hæreticos ait *contra altare unum atq; divinum sacrificia foris falsa ac sacrilega offerre* conatos esse. *Hieronymus* Comm. in Amos lib. I. cap. III. Tom. VI. f. 84. *Non unum altare, quod habet Ecclesia, sed altaria hæreticorum plurima: Tot enim habent altaria, quot schismata.* Vide supra cap. II. §. XXVI. Et licet in illis locis altare non de mensa, sed de signato mensæ, cultu nempe, religione ac fide Christianâ intelligendum sit μετωνυμικῶς; tamen ipsum signum propterea non excluditur, sed includitur; quemadmodum etiam arcus & gladius Ps. XLIV, 7. in quibus David se non confidere ait, etsi de militari scientiâ ac fortitudine intelliguntur, arcus tamen & gladios pro-

priè

priè dictos non excludunt. Nec ſcribas & Phariſæos negandum eſt ſediſſe in cathedrâ Moſis Matth. XXIII, 2. etſi cathedræ vox ibi Metonymicè ſignificat poteſtatem cum docendi tum judicandi & regendi populum.

II. Cæterum etſi Pontificii, & qui iis olim præluſerunt ſeceſſionem hâc in re, ut in multis aliis, fecerunt ab Eccleſiâ veteri, & multa in unâ æde ſine neceſſitate & cauſſâ probabili excitarunt altaria; *Æthiopes* tamen & *Abyſſini* Chriſtiani veterem conſuetudinem retinuerunt, quod in eorum laudem *Franciſcus Alvarez* cap. III. Hiſtor. Æthiop. his prodidit verbis: *Unicum habent altare, quod eſt in majori ſacello, tectum umbone convexo, vel molliter faſtigiato, fulto quatuor columnis ſtantibus ad quatuor altaris angulos.*

III. Retinuerunt etiam *Moſcovitæ*, teſte *Sigismundo* Lib. Bar. in Herberſtein Commentar. rer. Moſcovit. cap. de Relig. f. 21. cujus verba de iis habent ita: *In ſingulis templis unicum tantum altare.* Quin & hodie orthodoxa & Catholica retinet Eccleſia, quam Lutheranam vulgo appellant.

CAPUT XV.

DE CORPORIBUS ET RELIQUIIS SANCTORUM AD ALTARIA VEL SUB IIS ETIAM CONDITIS.

I. Christiani primi in cœmeteriis pro altaribus usi sunt Sanctorum tumulis.
II. Sub altari Sanctorum reliquiæ & corpora sepulta.
III. Episcoporum sepulcra sub altaribus.
IV. Quomodo hic convenerit Christianis cum gentilibus, quomodo non item.
V. Origo hujus ritus, Sanctorum corpora effosa & translata.
VI. Translationis istius ratio.
VII. Quid de eâ sentiendum sit.

§. I.

QUo tempore exulare quasi cogebatur Ecclesia (quod erat ante imperium Constantini M.) Christiani suos conventus in cœmeteriis inprimis agere solebant, licet & ab istis sæpissime arcerentur sævitiâ tyrannorum, uti Historiæ Ecclesiasticæ scriptores referunt. Etsi verò in iis postea domunculæ, quas Oratoria vocabant, exstrui sunt cœptæ; tamen nec omnibus in locis, nec omni tempore illæ exstiterunt.

terunt. Itaque ſub dio ferè ſacra ſua celebrare ſunt coacti. Cumque cœmeteria interdum longius abeſſent, ut menſas eò portare etiamſi voluiſſent, tamen per ethnicos, omnes vias obſidentes, omnes latebras perreptantes & Chriſtianos ſummâ diligentiâ inquirentes, non potuiſſent; idcircò loco menſæ illud veriſimile eſt eos uſurpaſſe, quod ipſius loci commoditas ſuppeditavit. Quid verò commodius in cœmeteriis ad S. Euchariſtiam celebrandam reperiri potuiſſet, quàm exſtantes Sanctorum tumuli? Qui præterquam quod menſæ vicem præſtabant, etiam fratrum in Domino quieſcentium (Apoc. XIV, 15.) memoriam renovabant, & ſuperſtitibus ad ſubeundum crucis jugum confirmandamque conſtanti fidei profeſſione beatam defunctorum de reſurrectione futurâ ſpem (Tit. II, 13.) animos faciebant.

II. Super *tumulis* ergo Sanctorum, Chriſtianos antiquiſſimos ſacram interdum celebraſſe cœnam, omnino exiſtimo; atque, ut ita ſentiam, eo non parum moveor, quod poſtea vel altaria Sanctorum oſſibus ac reliquiis ſuperimpoſita, vel Sanctorum corpora ſub altaribus jam exſtructis ſepulta fuerint. Teſtatur id *Prudentius* aliquot in locis. In Eulalia v. 211. 212.

Sic venerarier oſſa libet
Oſſibus altar & impoſitum.

in Hippolyti coronatione v. 170. 171.

Illa ſacramenti donatrix menſa, eademq;
Cuſtos

Custos fida sui martyris apposita,
Servat ad æterni spem judicis ossa sepulcro.

in Vincentio v. 515. 516.

Sed mox subactis hostibus
Jam pace justis redditâ,
Altar quietem debitam
Præstat beatis ossibus.
Subjecta nam sacrario,
Imamque ad aram condita,
Cœlestis auram muneris
Perfusa subter hauriunt.

Et ante eum *Ambrosius*, quem locum suæ sepulturæ destinarat, eundem postea reliquiis SS. Martyrum, Gervasii & Protasii concessit. Verba ejus exstant epist. LXXXV. Tom. III. Oper. f. 223. & ita habent: *Succedant victimæ triumfales in locum, ubi Christus hostia est: sed ille super altare, qui pro omnibus passus est: Isti sub altari, qui illius redemti sunt passione.* Et initio libri de exhortat. ad Virgin. de reliquiis Sanctorum Vitalis & Agricolæ hæc inter alia facit verba: *Munera salutis accipite, quæ nunc sub sacris altaribus reconduntur.* Eundem morem suo comprobat testimonio *Hieronymus* lib. contr. Vigilantium Tom. II. f. 123. ubi ita scribit: *Malè facit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum offert Domino sacrificia, & tumulos eorum*

Chri-

Christi arbitatur altaria. Nec ſemel id inculcat *Paulinus Nolanus* lib. II. epiſt. IV. ad Severum, Tom. II. Orthodoxogr. f. 134. de Claro Presbytero:

> *Sancta ſub æternis altaribus oſſa quieſcunt.*

Et mox eodem:

> *Digna pio domus eſt, altaria ſub quibus artus*
> *Conditur exanimus: nam ſpiritus æthere gaudet.*

iterum de eodem alio Epitaphio:

> *Caſta tuam digne velant altaria corpus*
> *Ut templum Chriſti contegat ara DEI.*

Sozomenus etiam lib. V. cap. IX. f. 65. Zenonem Epiſcopum Gazæ commemorat Eccleſiam ædificaſſe, & altare in eâ erexiſſe ibique repoſuiſſe reliquias martyrum. Verba hæc ſunt: εὐκτήριον ἐδείματο οἶκον πρὸ τοῦ ἄστεος, καὶ θυσιαστήριον ἐν αὐτῷ ἐπήξατο, καὶ τὰ ὀστᾶ τῶν μαρτύρων ἀπέθετο πλησίον Νέστορος τοῦ ὁμολογητοῦ. *Extra urbem exſtruxit Eccleſiam, & altare in eâ erexit, martyrumque reliquas ibi repoſuit propter reliquias Neſtoris Confeſſoris.* Videre quoque id eſt ex Concil. Carthag. IV. can. XIV. *Placuit, ut altaria, quæ paſſim per agros & vias tanquam memoriæ martyrum conſtituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ martyrum conditæ probantur, ab Epiſcopis, qui locis eisdem præſunt, ſi fieri poteſt evertantur.* Ubi cum everti juben-

jubentur illa altaria, in quibus nullum corpus aut reliquiæ martyrum erant, cum tamen memoriæ martyrum vulgò habeantur, eo ipso simul, vi oppositorum, significatur, illa relinquenda & pro memoriis martyrum habenda esse, in quibus martyrum corpora aut reliquiæ conditæ sunt.

III. Atque ut alii sancti eorumque reliquiæ sub aris olim recondebantur: ita & sub iisdem *Episcopi* sepeliebantur. *Ambrosius* disertè: *Hunc ego locum*, inquit, (nempe sub altari: hæc enim verba proximè sequuntur superiora) *prædestinaram mihi. Dignum est enim, ut ibi requiescat sacerdos, ubi offerre consuevit. Sed cedo sacris victimis dexteram portionem, locus iste martyribus debebatur.* Idem de se ipso testatur *Synesius* in Catastas. fine f. 303. περιφύσομαι τῶν κιόνων τῶν ἱερῶν, αἳ τὴν ἄσυλον ἀπὸ γῆς ἀνέχουσι τράπεζαν. ἐκεῖ καὶ ζῶν καθεδοῦμαι, καὶ ἀποθανὼν κείσομαι. *Sacratas columnas amplectar, quæ puram & incontaminatam à terrâ mensam sustinent. Illic ego & sedebo vivus, & mortuus jacebo.* Ex hoc more ortæ illæ Donatistarum *dealbatæ aræ*, ap. *Optatum Milevitan.* lib. III. adv. Parmen. p. 106. de quibus supra cap. XIII. §. II.

IV. Et licet *ethnicis* quoque *sepulcra* quædam fuerint *sub aris*, ut *Clemens Alexandrinus* admonit. ad gentes f. 29 his testatur verbis: οὐδὲ μὴν τὸν ἐν Τελμισσῷ βωμὸν τοῦ Ἀπόλλωνος, ὃν μνῆμα εἶναι, καὶ τοῦτον Τελμισσέως τοῦ μάντεως, ἱστοροῦσι. *Sed neque Apollinis aram* (prætermittam) *quæ*

quæ est in Telmisso, quam ipsam quoque scribunt esse monumentum Telmissis vatis; tamen propterea non improbanda aut culpanda illa Christianorum consuetudo est, quoniam ne Apostoli quidem omnia gentilium instituta rejecerunt. Quanquam hîc longe alia Christianorum, alia gentilium fuisse videatur ratio. Quippe gentiles, quos aræ dignabantur honore, colere ceu Deos solebant, non secus ac suos hodie Pontificii sanctos. At Christiani veteres contenti, honesto loco condidisse sanctorum ossa, de cultu amplius soliciti non erant, sed tantum, ne inde eruerentur, providebant, gratâque eorum memoriâ se oblectabant & confirmabant. Itaque rectius Pontificius reliquiarum cultus, quàm iste Christianorum veterum sepeliendi ritus cum gentilium cerimoniis confertur.

V. Videtur autem studium istud veterum sub aris recondendi sanctorum reliquias, Constantini M. tempore inprimis viguisse. Is enim, quod gentiles videbat facere in Heroibus & aliis præstantibus viris, id sibi potiori jure in sanctis DEi hominibus, Prophetis, Apostolis & martyribus faciendum putavit, inprimis cum gentiles illorum reliquias haberent immundas. Itaque cœpit aperire obscuriora sanctorum sepulcra, & reliquias inde ad loca celebriora transferre, splendidissimis ad exemplum gentilium adhibitis pompis, teste *Hieronymo* adv. Vigilant. Tom. II. Op. f. 122. *Nicephoro* Hist. Eccl.

Eccl. lib. VII. cap. XXX. f. 323. &c. quod ejus ſtudium mox imitati alii, ut videre eſt ap. *Sozomen.* Hiſt. Eccl. lib. V. cap. XIX. f. 71. *Ruffinum* Hiſt. Eccl. lib. I. cap. XXXV. f. 212. *Socratem* lib. III. cap. XVIII. f. 224. *Ambroſium* epiſt. LXXXV. ad Soror. Tom. III. f. 223. *Hieronymum* l. c. Conf. iterum *Sozomen.* lib. II. cap. XIII. f. 26.

VI. Et oſſa quidem cæteraſque reliquias tranſtuliſſe videntur non tantum ob locorum delectum, ſqualidiori præferentes honeſtiorem, profano ſacrum; ſed etiam ob meliorem cuſtodiam ipſarum exſuviarum, quibus inſidiari interdum gentiles ſolebant, tantum ut ægrè facerent Chriſtianis. Pompas autem addiderunt partim ad conteſtandam & publice celebrandam promiſſionem ac ſpem glorioſæ reſurrectionis, quæ Chriſtianos maneret, quocunque mortis genere decederent; partim ad excitandos hominum animos ad admirationem, prædicationem & imitationem fidei ac virtutum, quibus Sancti conſpicui fuerant. Vid. *Chryſoſtom.* in Babylam.

VII. Quanquam vero hæc initio tolerabilia nec ſine cauſſis ſuſcepta fuerint, eventus tamen poſtea docuit, piè magis, quàm prudenter talia fuiſſe inſtituta. Facta enim ſtatim ſunt ſeminaria ſuperſtitionum, & in eas tandem prorſus abiere. Id quod egregie oſtendit B. noſter

noster *Chemnitius* in Exam. Conc. Trident. Part. III. de Reliq. Sanct. f. 660. seqq. cujus disputationem intervertit *Hospinianus* de orig. Templor. lib. II. cap. VII. f. 95. seqq.

CAPUT XVI.

DE SANCTITATE ET HONORE ALTARIUM.

I. Sanctitas altarium ad verbum asserta à Patribus.
II. Vocibus etiam idem valentibus.
III. Cur sancta haberentur altaria.
IV. Qualis illa altarium sanctitas fuerit.
V. Origo sanctitatis illius.
VI. Honor quomodo ad altaria referatur.
VII. Honorifica altaris epitheta.
VIII. Altaria re ipsâ honorata.
IX. An flexione genuum honorata fuerint.
X. Tertulliani testimonium ex lib. de Pœnit. quo dixisse fertur, *Aris Dei adgeniculari*, vitiosè legi aliquot rationibus ostenditur. Pœnitentes olim accidebant ad genua fidelium, Ecclesiam ingredientium. προσκλαυσις quid fuerit. Supplicum mos apud gentiles.
XI. Altaria honorata (1) ornamentis.
XII (2) Osculis.
XIII. (3) Cancellis. Eorum nomina, caussa, materia, forma.
XIV. (4) Munditie.
XV. (5) Armorum depositione. Ne Imperator quidem cum armis ad altare veniebat.

XVI. (6) Admiſſione certorum tantum hominum.	XVII. (7) Abſtinentiâ à cibo & ſomno.
	XVIII. (8) Aſyli jure.

§. I.

SANCTITAS altarium ubique ferè à SS. aſſeritur Patribus & Conciliis, primo quidem ad verbum. Ita dicitur *ἱερὰ τράπεζα Concilio Nicæno* Diatypoſ. de Cœnâ, *Gregor. Nazianzeno* Orat. IV. quæ eſt II. invectiva in Julian. f. 110. & Orat. XIX. in laudem Patris f. 299. & Orat. XX. in Baſil. f. 353. Et Orat. XXXII f. 527. *Sozomeno* Hiſt. Eccl. lib. V. cap. XX. f. 71 b. & lib. IX cap. I. f. 117. & cap. II. f. 118. & lib. VIII. cap. VII. f. 108. *Theodorito* Hiſt. Eccl. lib. IV. c. XII. f. 316. & lib. V. cap. XVIII. f. 343. *ἁγία τράπεζα Greg. Nazianz.* Apologet. ſ. Orat. I. f. 5. & Orat. XXVIII. f. 473. *ἅγιον θυσιαστήριον Chryſoſt.* homil. XX. in 2. Corinth. VIII. f. 886. *Sacrum altare* Aratori Hiſt. Apoſtol. lib. I. p. 583. *Sanctum altare* Ennodio Dict. II. p. 473. *Sacroſanctum altare* Ambroſ. lib. I. de Virgin. Tom. I. f. 78.

II. Deinde per voces idem valentes, quæ ſunt *θεία τράπεζα Concil. Nicæn.* l. c. *Greg. Nazianz.* Orat. XX. f. 351. *θεῖον θυσιαστήριον Theodorit.* Hiſt. Eccl. lib. I. cap. XXXI. f. 295. & lib. V. cap. XXI. f. 344. b. *Dionyſ.* Hierarch. Eccl. cap. III. p. 132. 133. 134. 136. ſeqq. *Altare DEI* Cyprian.

prian. lib. III. ep. I. f. 42. & lib. I. ep. IX. f. 25. Prudent. hymn. V. in Vincent. pag. 104. *Ara DEI* Tertullian. de Orat. f. 793. Paulin. Nolan. lib. II. ep. IV. ad Sever. Tom. II. Orthodoxogr. f. 134. *Altare Christi* Hieron. lib contr. Vigilant. Tom. II. f. 123. *Ara Christi* Ambros. lib. V. ep. XXX. Tom. III. f. 114. *Mensa DEi* Petr. Chrysol. serm. X. p. 44. *Mensa Domini* Augustin. epist. LIX. f. 299. & lib. II. contra literas Petiliani cap. XLVII. Tom. VII. f. 120. *Mensa Dominica* Augustin. Tract. XXVI. in Johann. Tom. IX. f. 230.

III. *Sancta* autem appellabantur & habebantur altaria, *generatim* ob usus sacros, quibus tantum destinata erant; *speciatim* verò partim ob sancta mysteria ibi tractata, partim ob sacrificia precum publica & solemnia eo loco peracta. De mysteriis *Chrysostom.* homil. XX. in 2. Corinth. VIII f. 886. ἅγιον, inquit, γίνεται, ἐπειδὴ σῶμα δέχεται χριστοῦ *Sanctum efficitur* (altare puta,) *postquam Christi corpus excipit.* De precum sacrificiis *Nyssenus* l. c. ait: *Quoniam DEi cultui consecratum atque dedicatum est, ac benedictionem accepit, mensa sancta, altare immaculatum est, quod non amplius ab omnibus, sed à solis sacerdotibus iisque venerantibus contrectatur.*

IV. Patet ex his, non *interiorem*, cujus non sunt capacia; sed *exteriorem tantùm* aliquam *sanctitatem* altaribus in Ecclesiâ veteri esse tributam: nam sacra mysteria, sacrificia precum, & cætera id genus non erant altaribus interiora,

R 2 sed

ſed externa, nec aliam iſta niſi relativam quandam (ut Scholaſticorum hîc utar voce) ſanctitatem parere poſſunt. Atque hæc veterum quoque mens erat. Hinc altare vocabant lapidem naturâ communem. *Chryſoſtomus* l. c. λίθος μὲν ἐστι τὴν φύσιν. *Naturâ quidem lapis* eſt. *Gregorius Nyſſenus* l. c. λίθος ἐστὶ φύσει μὲν κοινός. *Lapis eſt natura communis, nihil differens ab aliis cruſtis lapideis, ex quibus parietes noſtri exſtruuntur & pavimenta exornantur.*

V. *Originem* hujus ſanctitatis à *conſecratione* derivabant, quod ſupra cap. XI. §. 29. ex *Nyſſeno* oſtenſum. Nunc ſubjicere tantum placet Imperatoris l. 6. in tantum §. Sacræ autem res D. de diviſ. rer. ubi *ſacra res* definitur, *quæ publicè eſt conſecrata*; & l. 9. Sacra loca D. eodem ubi *ſacra loca* dicuntur, *quæ publicè ſunt dedicata.* Quanquam verò ibi *ſanctum à ſacro* diſtinguatur l. 8. Sanctum, & l. 9. Sacra loca §. Propriè dicimus D. eod. res tamen eodem recidit, quando quod nobis hîc *ſanctum*, idem in legibus illis *ſacrum* dicitur.

VI. Sanctitatem excipit *honor altarium*, tanquam illius conſequens. Neque enim ideò ſancta erant altaria, quia honorabantur, ſed ideò honorabantur, quia ſancta erant. Intelligo autem hîc *honoris* vocem non *propriè* de cultu DEI aut hominum dignitate; ſed *metaphoricè* eâ ſignificatione, quâ rebus inanimatis ob earum præſtantiam & decus quoque tribui ſolet, ut quum lectus dicitur כבודה *honoratus* Ezech. XXIII,

XXIII, 41. aut quum *sylvis honores discussisse* dicitur Aquilo ap. *Virgil.* II. Georg. v. 404. cui simile illud *Ausonii* Idyll. 15.

> *Nec mora, ridentis calathi patefecit honorem.*

Ita quum non *domo dominum*, *sed domino domum honestandam* ait *Cicero* lib. I. Offic. quo etiam illud *Pythagoræ* Symbolum pertinet: τεθίμα τὸ σχῆμα καὶ βῆμα, σχῆμα καὶ τριώβολον. *Honora inprimis figuram & aram, figuram & triobolum*, quod ex Brassiano JCto explicat *Erasmus* in Adag. f. 774.

VII Honorem istum SS. Patres partim *verbis* declararunt, partim *factis*. Ad verba pertinent *honorifica* illa *epitheta*, cùm ea, quæ supra sunt adducta: appellari enim *sanctum*, *sacrosanctum*, *mensam Domini*, *DEI*, *Christi*, altaribus omnino est honori; tum quæ de honore speciatim loquuntur, ut quum altare dicitur σεμνὸν *venerandum* ap *Euseb.* Hist. Eccl. lib. X. cap. IV. f. 113. σεβάσμιον ap. *Greg. Nazianz.* Orat. XIX. in laudem Patris f. 292. Latine *venerabile* ap. *Ambros.* de Elia & jejun. Tom. IV. f. 328. *venerandum* ap. *Paulinum* l. c. quò etiam referas, quod θαυμαστὸν sive *admirabile* vocatur *Chrysostomo* l. c.

VIII. Sed & *re ipsâ* veteres honorasse altaria constat. *Chrysostomus* l. c. σὺ δὲ τὸ μὲν θυσιαστήριον τοῦτο τιμᾷς, ὅτι δέχεται τοῦ Χριστοῦ σῶμα. *Tu altare quidem illud honoras, quia Christi corpus capit.*

En honorem, & cauſſam honoris; honorem autem non intelligit eum, qui verbis, ſed qui re ipſâ habetur: de operibus enim ibi loquitur.

IX. At *quomodo* altaria honorarint, non eſt una eademque omnium ſententia. E Pontificiis nonnulli volunt, veteres *flexis genibus* veneratos altaria eſſe. Idque probare conantur teſtimonio quodam *Tertulliani*, quem Lib. de Pœnitentiâ, inter ſigna humilitatis pœnitentium numeraſſe ajunt, *Presbyteris advolvi, aris DEI adgeniculari.* Facit id nominatim *Beat. Rhenanus* Comment. ſuper iſtum librum f. 475. quum ita ait: *Hîc vides, Chriſtianis antiquitus altaria venerationi fuiſſe, quibus adgenicularentur.* Rhenanum ſequitur *Bellarminus* Tom. I. part. II. lib. II. de reliqv. Sanct. cap. III. f. 935. & alii, eodem nixi teſtimonio.

X. Verum fallunt & falluntur, quicunque ita ſentiunt. Lectio vitioſa, quæ habet *aris DEI*, cum potius legendum ſit *charis DEI.* Locus integer ſic habet f. 483. 484. *Exomologeſis proſternendi & humilificandi hominis diſciplina eſt, converſationem injungens miſericordiæ illicem. De ipſo quoque habitu atque victu mandat* (ſcil. exomologeſis) *ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit, triſti tractatione mutare: cæterum paſtum & potum pura noſſe, non ventris ſcilicet, ſed animæ cauſſâ: plerumque verò jejuniis preces alere, ingemiſcere, lacrymari & mugire dies noctesque ad Dominum DEum tu-*

um

um, *Presbyteris advolvi*, & *CHARIS DEI adgeniculari*, *omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere.* Hanc lectionem probat (1) *fide codicum* veterum, *Vaticanorum* inprimis, ex quibus illam nobis restituit *Pamelius* homo Pontificius in not. ad h.l. Adprobat eandem *Joh Ludovicus de la Cerda*, Jesuita, Adverf. facr. cap 169. num. 12. nec non *Gabriel Albaspinæus* Aurelianensis Episcopus observ. lib. I. observ. 22. p. 202. Ipseque Cardinalis *Bona* rer. Liturg. lib I. cap. XVI. p. 237. (2) Firmat præterea illam ipsius *Tertulliani explicatio*, quâ *charos DEI* verbis statim subjectis appellat *Fratres*; & quod ante dixerat, *charis DEI adgeniculari*, nunc reddit, *fratribus legationes deprecationis suæ injungere.* Et paucis interjectis multo clarius: *Cum te*, inquit, *ad fratrum genua protendis*, *Christum contrectas*, *Christum exoras.* Ubi *ad fratrum genua se protendere*, idem esse apparet, quod *charis DEI adgeniculari.* Nec existimandum fortè, ad illum locum verba hæc minus pertinere, quin continent ejus declarationem manifestam, ut & ea, quæ præcedunt, adeoque omnia inter se cohærent arctissime. Nec aliena sunt illa, quæ idem tradit lib. de pudicit. f. 746. *Adsistit idololatres*, *adsistit homicida*, *in medio eorum adsistit & mœchus*, *pariter de pœnitentiæ officio sedent*, *in sacco & cinere inhorrescunt*, *eodem fletu gemiscunt*, *eisdem precibus ambiunt*, *eisdem genibus exorant*, *eandem invocant matrem.* Et postea in eodem libro f. 755. *Et tu quidem pœnitentiam mœchi ad exorandam fraternita-*

tem in Ecclesiam inducens, conciliatum & concineratum cum dedecore & horrore compositum prosternens in medium ante viduas, ante Presbyteros, omnium lacrymas suadentem, omnium vestigia labentem, omnium genua detinentem. Hîc sanè, perinde ut illic, persequitur officia pœnitentium, verbis tamen diversis. Illic ait, *sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare*, hîc, *in sacco & cinere inhorrescere, & concineratum cum dedecore & horrore compositum esse.* Illic, *ingemiscere, lacrymari & mugire dies noctesque ad Dominum DEUM*; hîc, *eodem fletu ingemiscere.* Illic, *omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere*; hîc, *eisdem precibus ambire.* Illic, *Presbyteris advolvi, charis DEI adgeniculari*; hîc, *eisdem genibus exorare, eandem invocare matrem, omnium vestigia lambere, omnium genua detinere.* Ex quibus videre est perspicuè, eandem vim habere has Tertulliani phrases; *Adolvi, adgeniculari charis DEI, ad fratrum genua se protendere, genibus exorare, omnium genua detinere &c.* Accedit (3) *consuetudo* veteris Ecclesiæ, quæ non parum stabilit nostram lectionem. Solebant enim pœnitentes inter alia, quæ hîc commemorantur, etiam accidere ad genua fidelium, Ecclesiam ingredientium, eosque rogare, se ut precibus juvarent. Ex hoc more Natalius quidam apud *Eusebium* Hist. Eccl. lib. V. cap.XXV. f. 74. *Induto sacco ac cinere inspersо multo studio ac lacrymis ante Zephyrinum Episcopum procidit, & pedibus advolutus non clericorum modo, sed & plebis, in lacrymas & miserationes*

omnem

omnem provocavit Ecclesiam, ut indulgentiam sibi à Christo continuis & jugibus pro ipso precibus impetrarent. Græcè ita narratur f. 56. b. Τὸν Ναταλιον ἐνδυσάμενον σάκκον, καὶ σποδὸν καταπασάμενον, μετὰ πολλῆς σπουδῆς καὶ δακρύων προσπεσεῖν Ζεφυρίνῳ τῷ ἐπισκόπῳ, κυλιόμενον ὑπὸ τοὺς πόδας οὐ μόνον τῶν ἐν τῷ κλήρῳ, ἀλλὰ καὶ τῶν λαϊκῶν· συγχέαι τε τοῖς δάκρυσι τὴν εὔσπλαγχνον ἐκκλησίαν τοῦ ἐλεήμονος χριστοῦ. Hinc Dionysius, vel quisquis auctor est, epist. ad Demophilum, invehitur in eundem propterea, quod eum, qui se ad sacerdotis pedes abjecerat, calice detruserat. σὺ δὲ ὡς τὰ γράμματά σου δηλοῖ, καὶ προσπεσόντα τῷ ἱερεῖ, τὸν ὥς φὴς ἀσεβῆ καὶ ἁμαρτωλὸν, οὐκ οἶδ᾽ ὅπως καθ᾽ ἑαυτοῦ παρὼν ἀπελακτίσας. εἶτα, ὁ μὲν ἐδεῖτο καὶ ὡμολόγει πρὸς ἰατρείαν κακῶν ἐληλυθέναι, pag. 448. *Tu verò, ut tuæ literæ indicant, procidentem sacerdoti impium (ut ais) atque peccatorem, nescio quo pacto contra disciplinæ ordinem adstans calce abjecisti ac repulisti, cum ille quidem verecunde, quod oportuit, fateretur, se ad peccatorum remedia quærenda venisse.* Atque hæc erat illa πρόσκλαυσις quam *Gregorius Thaumaturgus* in eâ Epistolâ, quam Græci ejus nomine inter suos canones retulere, ita definivit can. XI. ἡ πρόσκλαυσις ἔξω τῆς πύλης τοῦ εὐκτηρίου ἐστίν· ἔνθα ἑστῶτα τὸν ἁμαρτάνοντα, χρὴ τῶν εἰσιόντων δεῖσθαι πιστῶν, ὑπὲρ αὐτοῦ εὔχεσθαι. *Fletus seu luctus est, extra portam oratorii, ubi peccatorem stantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro se precentur.* Pandect. Canonum SS. Apost. & Concil. Guil. Beveregii Tom. II. f. 29. *Græcus*

Scholiastes Harmenopuli in epitome Canonum sect. 5. tit. 3. προσκλαίων, ἤγουν ἔξω τῆς ἐκκλησίας ἱστάμενος, καὶ τῶν εἰσιόντων δεόμενος, ὑπὲρ αὐτοῦ εὔχεσθαι. *Plorans, hoc est stans extra ecclesiam & ingredientes orans, ut pro se preces fundant.* Plura de pœnitentiæ gradibus vide ap. *Albaspinæum* Obs. 22. & seqq. *Christoph. Justellum* not. ad cod. Can. Eccl. Univers. Tom. I. Biblioth. jur. Can. Vet. f. 76. *Is. Casaubonum* Exerc. XVI. ad Annal. Baron. n. 43. p. 397. *Simplicium Verinum* seu *Cl. Salmasium* in epist. ad Justum Pacium p. 74. Par ratio *supplicum* erat apud gentiles. *Dionysius Halicarnass.* lib. VI. de legatis Latinorum: καὶ τῶν γονάτων ἁπτόμενοι πάσης τῆς γερουσίας καὶ τὰς ἱκετηρίας παρὰ τοῖς ποσὶ τοῦ ποστουμίου τιθέντες. *Totique senatui ad genua procidebant, positis ad Postumii pedes supplicum insignibus.* Agathias lib. II. Histor. Καίσαρι δ' εἰλιχθεὶς περὶ γούνασι. *Cæsari advolutus ad genua.* Homer. 1. Iliad.

> - - - - - λάβε γούνων
> Σκαιῇ, δεξιτερῇ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος
> ἑλοῦσα.
> - - - - - *apprehendit genua.*
> *Sinistrâ, dextrâ autem mentum tenuit.*

Virgil. III. Æneid. v. 607. de Græco quodam:

> *Dixerat, & genua amplexus, genibusque volutans*
> *Hærebat,*

Nec hominum tantum, sed *Deorum* quoque genua contigisse, antiquitas testatur. Græci hoc dicunt

dicunt τοῖς ἴχνεσι τοῦ ἀγάλματος προσφῦναι. *Heliodor.* lib. V. Æthiopic. Histor. εἰς τὸ ἄδυτον παρελθὼν, καταλαμβάνει τοῖς ἴχνεσι τοῦ ἀγάλματος προσπεφυκυῖαν. Et lib. VII. τοῖς δὲ ἴχνεσι προσφὺς τοῦ ἀγάλματος, ὁρῶν δὲ ἐπιπλεῖστον οὕτως ἔχων, ὀλίγου μὲν καὶ ἐκθανεῖν ἐδέησε. Velamina etiam sua ad eorum, quibus supplicabant, genua protendebant, imo quandoque deponebant. *Euripides*:

> ἱκετηρίας δὲ γούνασιν ἐξάπτω σέθεν:

Hinc in Andromachâ:

> Ὦ ναυτίλοισι χείματος λιμὴν φανεὶς
> Αγαμέμνονος παῖ, πρός σε τῶν δὲ γουνάτων
> Οἴκτειρον ἡμᾶς, ὧν ἐπισκοπεῖς τύχας,
> Πράσσοντας οὐκ εὖ, στεμμάτων δ' οὐχ ἥσσονας
> Σοῖς προστίθημι γούνασιν ὠλένας ἐμάς.

Hoc ait, manus suas, quibus ejus genua contingebat, religionem καὶ αἰδῶ obtinere debere non minorem, quam velamenta ad genua deposita. Caussam hujus moris (veram equidem dicere nolo) exponit *Plinius* Histor. Natural. lib. XI. cap. 45. pag. 550. *Hominis*, inquiens, *genibus quædam & religio inest, observatione gentium. Hæc supplices attingunt: ad hæc manus tendunt: hæc, ut aras, adorant, fortassis quia inest iis vitalitas. Namque in ipsâ genu utriusque commissura dextrâ lævâque, à priore parte gemina quædam buccarum*

rum inanitas est, quâ perfossâ, ceu jugulo, spiritus fugit. Vide *Jacobi Dalechampii* notas in h. l. pag. 551. ubi plura de hoc supplicum more reperies testimonia. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Redeo ad institutum, & unam adhuc addo rationem, quâ illius lectionis veritas demonstratur. Ea est (4) *conditio pœnitentium* in veteri Ecclesiâ, quibus non licebat accedere ad S. Domini mensam, quemadmodum tradunt Pontificii. *Pamelius* not. ad h. l. *Pœnitentes*, inquit, *ne ad pastophoria quidem virorum aut mulierum, multò minus intra septa cleri ad aras usque permittebantur.* Albaspinæus Observ. 24. p. 212. ait: *Notum est, eos omnes, qui fidelium numero non censebantur, cujusmodi erant Pœnitentes, Catechumeni, Energumeni, Judæi, Schismatici, Hæretici, procul à fidelibus & sanctuario ad januam rejectos fuisse.* Et Observ. 34. p. 268. *In primo gradu* pœnitentes *Ecclesiæ introitu prohibebantur, in ejus limine ad terram projecti, squalidi, horridi, & maximè miserabili habitu in oculos prætereuntium incurrebant: fidelium vilissimas vestes osculabantur: lacrymarum vi ac copia calceos irrigabant, ipsorumque genua officiosè complectebantur.* In cæteris gradibus etsi mitius tractabantur, Eucharistiam tamen percipere aut quidquam altari offerre non poterant, docente eodem observ. 25. pag. 230. Idque inde ab Apostolorum ævo in Ecclesiâ DEI observatum fuisse volunt. Quod si ita est, profecto non potuit *Tertullianus* jubere pœnitentes *aris DEI adgeniculari.*

XI.

XI. Quamobrem miſſo iſto honore commentitio, verum inquiramus, altaribus olim exhibitum. Is verò non unus fuiſſe videtur. Primò enim veteres altaria honorarunt *ornamentis* variis, ut linteis puriſſimis, tapetibus ſplendidiſſimis, floribus pulcherrimis, vaſis pretioſiſſimis, & id genus aliis, de quibus ſupra. Quæ enim altaribus ornamento, eadem & honori fuerunt; quemadmodum nunc quidem honoris vocem interpretamur.

XII. Deinde eadem honorarunt *oſculis*. Sic *Ambroſius* lib. V. epiſt. 33. ad Marcellinam ſororem Tom. III. Oper. f. 131. teſtatur, oſcula militum aris impreſſa ſub Valentiniano in argumentum pacis. *Certatim*, inquit, *hoc nunciare milites, irruentes in altaria oſculis ſignificare pacis inſigne.*

XIII. Tertio, *cancellis*, ne omnibus promiſcue aditus ad ea pateret. Ita Paulinus Tyri Epiſcopus, teſte *Euſebio* lib. X. cap. IV. f. 111. τὸ τῶν ἁγίων ἅγιον θυσιαστήριον ἐν μέσῳ θεὶς, αὖθις καὶ τάδε, ὡς ἂν εἴη τοῖς πολλοῖς ἄβατα, τοῖς ἀπὸ ξύλου περιέφραττε δικτύοις, εἰς ἄκρον ἐντέχνου λεπτουργίας ἐξησκημένοις, ὡς θαυμάσιον τοῖς ὁρῶσι παρέχειν τὴν θέαν, *Sanctum ſanctorum altare in medio poſuit, & iſta* (nempe ſubſellia Presbyterorum, & ſedem Epiſcopi) *ut multis eſſent inacceſſa, cancellis ligneis ad verticem usque artificioſâ cælaturâ fabrefactis ita circumdedit, ut admirabilem adſpectum videntibus exhibeat.* Quibus quidem verbis deſcribitur (1) cancellorum cauſſa efficiens, quæ fuit

fuit Epiſcopus; (2) finis, ut multis eſſent inacceſſa; (3) materia, ut h. l. lignum; alibi fortè alia materia; (4) forma, quam ipſa appellatio indicat. Vocat enim δίκτυα, nempe quia decuſſatis lignis & opere reticulato erant facti. Aliàs dicti καγκέλλοι & κιγκλίδες; à *Nicephoro Callisto* τ̃ ἱερατείȣ κιγκλίδες Hiſt. Eccl. lib. XII. c. 41. à *Contacuzeno* ἱεραὶ κιγκλίδες, à *Cyrillo Scythopolitano* καγγέλα in vitâ S. Sabæ; & in vitâ S. Euthymii ſingulariter κάγγελον· Vocantur etiam κίονια & ςῆθεα à *Germano* in Myſtagogiâ; & à *Sozomeno* δρύφακτα τ̃ ἱερατείȣ Hiſt. Eccl. lib. VII. cap. 25. Atque hos cancellos ſine dubio in animo habuit *Carolus M.* quando in Capit. Aquisgranenſi cap. LXXI. ſancivit, ut *altaria ſecundum ſuam dignitatem venerentur, & non ſit Domus DEI & altaria pervia canibus.* Tom. XX. Concil. edit. Pariſ. f. 35. Vide *Kenethi* Regis Scotorum legem religioſ. Tom. XXI. Concil. f. 404. Cancelli enim præſtant, ne altaria pervia ſint canibus. Videre tamen ex illâ Conſtitutione Carolinâ etiam hoc eſt, cancellos ad altarium honorem pertinuiſſe. Quo enim fiebat, ne altaria pervia eſſent canibus, eo altaria ſecundum dignitatem ſuam Chriſtiani venerabantur. Cancellorum autem id beneficio factum eſſe, nemo negabit.

XIV. Quartò altaria honorabant *munditie.* Mundabant quippe ſpongiâ, teſte *Chryſoſtomo* homil. III. in Epheſ. II. f. 1052. ȣ̓χ ὡρᾷς τῇ σπογγιᾷ τὴν τράπεζαν περιπλύνοντα, καὶ τὸν οἶ-

κον

κον καθαίροντα, καὶ τοὺς πίνακας τιθέντα; Non vides lavantem ſpongia menſam, & domum mundantem, & diſcos menſæ imponentem?

XV. Quinto altaria honorabant *armorum depoſitione.* Nam qui ad ea accedebant, arma deponere cogebantur. De ſupplicibus exſtat Conſtitutio Impp. Theodoſii & Valentiniani ad Antiochum perſcripta, & ſubjuncta Concilio Epheſino Oecumenico III, in quâ iis diſertè interdicitur armis. *ὅπλα δὲ ἐν σιδήρῳ, ἢ ἐν ἑτέρῳ εἴδει ἀμυντήρια, τοὺς προσφεύγοντας οὐδαμῶς ἔχειν, ἢ ἐπιφέρεσθαι ἐντὸς τῆς ἁγίας ἐκκλησίας προστάττομεν. ταῦτα οὐ μόνον ἐκ τῶν θείων ναῶν τε καὶ θυσιαστηρίων, ὡς τὰ λοιπὰ κωλύοντες, ἀλλὰ καὶ τῶν οἰκημάτων &c. Ferrea autem vel alterius generis arma ad defenſionem comparata ne fugientes habeant, neve intra ſanctam Eccleſiam inferant, omnino prohibemus. Hæc namque ut reliqua omnia hujusmodi, non modo à ſacris templis & aris abeſſe volumus, ſed etiam à domibus* &c. Tom. VI. Concil. edit. Pariſ. f. 452. & l. 3. Pateant §. 1. Arma quoque C. De his qui ad Eccleſ. confug. Quid? Quod ne ipſi quidem Impp. cum armis ad altare venerint. Sic enim ajunt loco ex Concil. citato: *καὶ γὰρ ἡμεῖς, οὓς ἀεὶ τῷ δικαίῳ τῆς ἡγεμονίας περιστοιχίζει τὰ ὅπλα, καὶ οὓς οὐ πρέπει δίχα δορυφόρων εἶναι, τῷ τοῦ θεοῦ ναῷ προσιόντες, ἔξω τὰ ὅπλα καταλιμπάνομεν, ἀποτιθέμενοι τὸ διάδημα. Nam & nos, qui ſemper jure imperii armis circumdamur, quosque ſine armatis ſtipatoribus eſſe non convenit, DEI templum ingreſſuri, foris arma relinquimus, & ipſum etiam diadema deponimus.*

XVI.

XVI. Sexto honorarunt altare *admiſſione hominum* tantum *ſacrorum*, non item cæterorum omnium promiſcuè, quâ de admiſſione aliorum, aliorum verò excluſione ſeparatim infra diſſeram cap.XX.

XVII. Septimo idem honorarunt *abſtinentiâ à cibo & ſomno*, dum circa illud verſabantur. Inprimis ſupplices ſive ii, qui ad altaria confugiebant prohibebantur dormire aut cibum capere ad altare. Sic Theodoſius & Valentinianus l. c. ad Antiochum ſcribunt: ὅθεν τοὺς δίχα ὅπλων τῷ ἁγίῳ οἴκῳ τοῦ θεοῦ, καὶ εἰς τὸ ὁσιώτατον θυσιαστήριον ἐν οἱωδήποτε ἔθνει, ἢ κατὰ ταύτην τὴν πόλιν προσφεύγοντας, ὑπνοῦν ἐν τῷ ναῷ, ἢ καὶ ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ καὶ ἐπ' αὐτοῖς τροφῆς μεταλαμβάνειν, ἐκτὸς τινὸς ὕβρεως παρὰ τῶν κληρικῶν προσήκει κωλύεσθαι. *Quamobrem qui ſine armis ad ſanctum DEI templum vel ad ſanctum altare, in quacunque illi gente, vel in hâc civitate confugerint, in templo dormire, aut etiam in altari, vel ibi cibum ſumere, citra ullam injuriam à Clericis prohiberi debent.* conf. l. 3. Pateant. §.2. Proinde C. eod.

XVIII. Denique ἀσυλίᾳ ſive *aſyli jure* veteres altaria ſua honorarunt, honorem autem quendam in iſto jure ſitum fuiſſe, non tantum inde licet exiſtimare, quod ἄσυλον *Suidas* appellat τίμιον *honore dignum*; ſed etiam ex eo, quod *Nazianzenus* Orat XX. in laudem Baſilii f. 353. legem, quâ jus Aſyli tribuitur altaribus, vocat νόμον τετιμηκότα θυσιαστήρια, *legem honorantem altaria*; eam verò violare appellat καθυβρίσαι

βρίσαι τὴν ἱερὰν τράπεζαν contumeliâ afficere ſacram menſam. Si ergo contumeliâ afficitur altare, violato aſyli jure; honoratur certè idem, ſervato illo jure. Quin *Chryſoſtomus* ſupplices diſertè ornamenta altaris vocat Serm. in Eutrop. Tom. VIII. edit. Etonenſ. f. 69. τούτῳ τῷ θυσιαστηρίῳ κόσμος. ποῖος κόσμος φησι, τὸ τὸν ἐναγῆ καὶ πλεονέκτην καὶ ἅρπαγα ἅπτεσθαι τοῦ θυσιαστηρίου; μὴ λέγε ταῦτα· ἐπειδὰν καὶ ἡ πόρνη ἥψατο τῶν ποδῶν τοῦ χριστοῦ, ἡ σφόδρα ἐναγὴς καὶ ἀκάθαρτος· καὶ οὐκ ἦν ἔγκλημα τῷ Ἰησοῦ τὸ γινόμενον, ἀλλὰ θαῦμα καὶ ὕμνος μέγας. *Hoc ipſum eſt eximium altaris ornamentum. Dices, hoccine ornamentum, hominem ſceleſtum, avarum, rapacem altaria contingere? cave talia dixeris: quandoquidem & meretrix pedes ipſius Chriſti contigit, inceſta illa & impurata: nec tamen hoc in crimen Domino Jeſu ceſſit, ſed in admirationem & laudem magnam.* Sed de hoc ſequenti capite pluribus agemus. Nunc tantum addidiſſe ſatis erit ſigna conſenſionis noſtræ Eccleſiæ cum veteri, in hoc etiam genere. Nam & nos hodiè ſolemus altaria variis ornare rebus, mundare, & cancellis munire. Et licet oſculis ea non honoremus, tamen nec apud veteres iſtum ubique morem valuiſſe, probari poteſt.

CAPUT XVII.
DE ALTARIUM ΑΣΥΛΙΑ, SEU JURE ASYLI.

- I. Aſyli etymon.
- II. Poteſtas vocis gemina.
- III. Synonyma Grammatica.
- IV. Ἀσυλίαν altarium exſtitiſſe, probatur.
- V. Ἀσυλία altarium definitur.
- VI. Cauſſa ejusdem efficiens, Magiſtratus. Leges Imperatorum de hoc jure. Canones Eccleſiaſtici de eodem. Vis obligandi utrisq; quomodo inſit.
- VII. Supplicum nomina. Non omnes promiſcuè iſto gaviſi jure ſunt, quod probatur (1) Legibus,
- VIII. (2) Exemplis.
- IX. Poſtea omnes promiſcuè admiſſi.
- X. Forma juris ἀσυλίας in quo poſita ſit.
- XI. Finis ejusdem abſolutè ultimus.
- XII. Finis in certo genere ultimus.
- XIII. Finis intermedius ex parte altarium.
- XIV. Finis intermedius ex parte ſupplicum.
- XV. Origo ἀσυλίας altarium. A gentilibus ortam eſſe, ſi uſus legitimus ſpectetur, negatur. Reſpondetur ad teſtimonium in contrarium allatum.
- XVI. Baptiſmi imago in ſacris gentilium ante Chriſtum natum.
- XVII. Non omnia gentilium inſtituta ſimpliciter reprobanda.
- XVIII. Reſpondetur ad teſtimonia Scripturæ, quibus gentilium mores prohibemur ſequi.
- XIX. Ἀσυλία altarium Chriſtianorum orta ab Hebræorum aſylis eſt.
- XX. An Chriſtiani Imperatores in aſyliâ altarium rectè imitati Hebræos ſint?

XXI. Moralitas ἀσυλίας altarium.
XXII. Ratione abusus, ἀσυλία altarium moraliter mala fuit.
XXIII. Sed in usu suo spectata, ratione fundamenti bona fuit.
XXIV. Ratione termini, generatim considerata, indifferens fuit.
XXV. Sed moraliter bona, quatenus præcepta ab Imperatoribus Christianis. Leges forenses Judæorum quomodo abrogatæ.
XXVI. Effectus ἀσυλίας, securitas & incolumitas supplicum.
XXVII, Asyla Hebræorum & Christianorum quomodo inter se convenerint:
XXVIII. ἀσυλία templorum.
XXIX. Judicia Christianorum cognationem cum ἀσυλίᾳ altarium habent.
XXX. Violatio ἀσυλίας altarium
XXXI. Pœna Ecclesiastica violatorum ejusmodi.
XXXII. Pœna civilis eorundem, alia mitior;
XXXIII. Alia asperior.
XXXIV. Jus asyli altaribus ademtum.
XXXV. Abusus ἀσυλίας altarium.

§. I.

ASυλία ab *Asylo* nomen mutuata. Ἄσυλον autem unde dicatur, non constat inter omnes. *Servius* ad II. Æneid. v. 761. p. 306. dictum putat quasi ἄσυρον ab α στερητικῷ & σύρω, quod est *traho*, quod neminem inde abstrahere liceat. Placere id videtur *Ludovico Vivi* comment. ad August. lib. I. de Civ. DEI cap. XXXIV. f. 86. quanquam alterum etymon, quod melius,

nec ignoret nec improbet. *Polydorus Virgilius* autem de Inventor. rer. lib. III. cap. XII. pag. 216. disertè probat. Quanquam verò non insolens sit mutatatio ꝗ ρ. in λ. ut propterea non nimis incommoda ista videatur notatio; tamen non opus est ad literarum transmutationem confugere, ubi commodius & aptius verbum in promtu est. Tale autem hoc loco est συλάω, quod est *spolio*, *violo*, *diripio*. Hujus enim elementa propius ad Asylum accedunt. Nec vis aliena est. Ad asyla enim qui rectè confugiebant, inviolati erant. Eâ de caussâ hoc etymon meritò prætulerunt alteri *Fungerus* in Etymolog. Trilingv. p. 95. *Hospinianus* de Orig. templor. lib. I. cap. XV. f. 69. Et *Becmannus* de orig. Lat. Lingv. p. 260. quorum postremus tamen ab אשל, quod *Nemus* significat, asylum quoque putat appellatum esse potuisse. Verum si ex Hebræâ linguâ arcessenda vocis origo est, derivarem potius à שלל *spoliavit*, *prædatus est*, unde ipsum quoque συλάω est; ex quo postea factum σκυλάω, tandem σπυλάω, & inde Latinum *spolio*.

II. Quemadmodum verò asylum vel *generatim* quemcumque refugii locum significat; vel *speciatim* certum aliquem secundum rationem adjecti vocabuli: ita ἀσυλία quoque vel generatim jus cujuscunque asyli, vel speciatim jus certi asyli significat, ut h. l. ubi ad altaria, nec ea quidem omnia, sed Christianorum tantum refertur, ideoque dicitur ἀσυλία altarium, id est,

jus

jus incolumitatis, libertatis & veniæ ad altaria Christianorum relatum.

III. *Synonyma* asyli generalia prætermitto, quod enim Hebræis dicantur ערי מקלט *urbes vel receptus refugii* Num. XXXV, 13. & ערי המועדה *urbes conventus* Jos. XX, 9. LXX. Interpretibus ad Num. XXXV, 20. Jos. XX, 2. πόλεις τῶν φυγαδευτηρίων, & φυγαδευτήρια, notum.

IV. Ad rem ipsam venio, ἀσυλίαν nempe altarium, quam in veteri Ecclesiâ exstitisse, & *exempla* supplicum evincunt, & *leges* Imperatorum, & *testimonia* SS. Patrum. Ea verò nunc haud placet sigillatim persequi, cum conjunctim omnia suppeditet *Gregorius Nazianzenus* Orat. XX. in laudem Basil. f. 353. ubi meminit Basilii ἀσυλίαν altarium defendentis, quam & ipse approbat; deinde mulieris cujusdam ad altare confugientis; denique legis, quæ honorem vult haberi altaribus. Locus integer ita habet: γυναῖκά τινα τῶν ἐπιφανῶν ἐξ ἀνδρὸς οὐ πρὸ πολλοῦ τὸν βίον ἀπολιπόντος, ὁ τοῦ δικαστοῦ σύνεδρος ἐβιάζετο, πρὸς γάμον ἕλκων ἀπαξιοῦσαν. ἡ δὲ οὐκ ἔχουσα ὅπως διαφύγῃ τὴν τυραννίδα, βουλὴν βουλεύεται, οὐ τολμηρὰν μᾶλλον, ἢ συνετὴν, τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ προσφεύγει, καὶ Θεὸν ποιεῖται προστάτην κατὰ τῆς ἐπηρείας. τί οὖν ἔδει ποιεῖν ὦ πρὸς τῆς τριάδος αὐτῆς, ἵν' εἴπω τι καὶ δικανικῶς μεταξὺ τῶν ἐπαίνων, μὴ λέγω τὸν μέγαν Βασίλειον καὶ τῶν τοιούτων ἅπασι νομοθέτην, ἄλλον δὲ τινα τῶν πολὺ μετ' ἐκείνων, ἱερέα δὲ ὅμως, οὐκ ἀντιποιεῖσθαι, κατέχειν, κήδεσθαι, χεῖρα ὀρέγειν Θεοῦ φιλανθρωπίᾳ καὶ νόμῳ τῷ τετιμηκότι θυσιαστήρια;

ρια; οὐ πάντα δρᾶσαι καὶ παθεῖν ἐθελῆσαι πρότερον, ἢ τὶ βουλεύσασθαι κατ' αὐτῆς ἀπάνθρωπον; καὶ καθυβρίσαι μὲν τὴν ἱερὰν τράπεζαν, καθυβρίσαι δὲ τὴν πίστιν μεθ' ἧς ἱκέτευε; *Mulieri cuidam, amplissimo loco natæ, cujus maritus haud pridem extremo vitæ die functus erat, judicis assessor vim afferebat, invitamque ad nuptias pertrahebat. Illa autem cum nullâ ratione hanc vim effugere posset, consilium capit non majoris audaciæ, quam prudentiæ plenum. Ad sacram enim mensam confugit, Deumque adversus hanc injuriam propugnatorem sibi adoptat. Quid igitur per Trinitatem ipsam (ut forensi quoque dicendi generi nonnihil inter laudes utar) faciendum fuit, non dico magno Basilio, ac de his rebus aliis leges statuenti, sed alii cuipiam longe inferiori, dum tamen sacerdoti? Quid aliud, nisi ut eam assereret, retineret, omni curâ tueretur, DEI clementiæ & legi, quæ altaribus honorem haberi jubet, manum porrigeret, omnia denique prius faceret aut pateretur, quam ut inhumanius ullum adversus eam consilium iniret, sicque & mensam sacrosanctam, & fidem etiam illam, cum quâ supplex erat, contumeliâ afficeret?*

V. Demonstrato igitur, mensas sacras Christianorum gavisas esse asyli jure, hoc nunc proxime agendum videtur, ut ejus naturam & constitutionem, ex sententiâ orthodoxæ antiquitatis, explicemus. Quod quidem faciemus primò *conjunctim* in definitione; deinde *distinctè & separatim* in caussarum enumeratione. Definitio hæc est: ΑΣΥΛΙΑ ALTARIUM ERAT JUS INCOLUMITATIS, MAGISTRATUS

AU-

AUCTORITATE ET EPISCOPORUM CONSENSIONE SACRIS CHRISTIANORUM MENSIS TRIBUTUM, CUJUS BENEFICIO INVIOLATI ERANT, EO QUI RECTE CONFUGERANT.

VII. CAUSSA EFFICIENS erat primò *Magistratus*, voce hâc sumtâ non per modum Abstracti, pro ipso imperio; sed per modum Concreti pro personâ habente imperium; deinde etiam *Episcopi* vel *Concilia* potestatem ejusmodi condendi juris sibi sumserunt. De Magistratu testantur leges Christianorum Imperatorum, quibus assertum altaribus illud jus est. Theodosii & Valentiniani ad Antiochum P. P. perscripta constitutio hæc est: Ἀνεῴχθησαν τοῖς αἰδέουσιν οἱ ναοὶ τοῦ μεγάλου θεοῦ· οὐ γὰρ μόνα τὰ θεῖα θυσιαστήρια καὶ τὸν εὐκτήριον ναὸν τὸν τεττάρων τῶν τειχῶν περιβολῇ τειχιζόμενον, εἰς ἀσφάλειαν συντελεῖν τῶν προσφευγόντων θεσπίζομεν, ἀλλ' εἴ τι καὶ περαιτέρω τούτου τυγχάνει, ἄχρι τῶν τελευταίων θυρῶν τῆς ἐκκλησίας, ἐλέου βωμὸν τοῖς προσφυγοῦσιν εἶναι προστάττομεν &c. *Pateant summi DEI templa timentibus; nec sola altaria & oratorium templi circumjectum, qui ecclesias quadripartito parietum septu concludit, ad tuitionem confugientium sancimus esse proposita: sed usque ad extremas fores Ecclesiæ, quas oratum gestiens populus primas ingreditur, confugientibus aram salutis esse præcipimus &c.* l. 3. C. de his qui ad Ecclesiam confugiunt. In Concilio Ephesino Oecumenico III. cui ista Imperatorum constitutio annexa est, pluribus verbis ea-

 dem

dem deſcribitur. Initium ſic habet: *ἀνεῴχθησαν τοῖς δεδιόσιν οἱ ναοὶ τοῦ μεγάλου θεοῦ, καὶ τοὺς προσφεύγοντας ἱκέτας ὁ κοινὸς ὑποδεχέσθω βωμός. Pateant trepidis magni DEI templa; ſupplices fugientes communis ſuſcipiat ara* &c. Tom. VI. Concil. edit. Pariſ. f. 449. ſeqq. Honorii & Theodoſii ad Jovinum P. P. perſcripta lex ita habet: *Fideli devotaque præceptione ſancimus, nemini licere ad ſacroſanctas Eccleſias confugientes abducere: ſub hac videlicet definitione, ut ſi quisquam contra hanc legem venire tentaverit, ſciat ſe majeſtatis crimine eſſe retinendum*, l. 2. C. eod. & quanquam hic altaris mentio non fiat diſertè; intelligitur tamen illud in voce Eccleſiæ, cujus præcipua pars altare eſt. Conf. l. 6. Præſenti C. eod. & Novell. XVII. cap. VII. Idem ſancitum poſtea Canonibus Eccleſiaſticis eſt. Concil. Arauſicanum I. circa A. C. 441. can. V. præcipit; *Eos qui ad Eccleſiam* (adeoque etiam ad altaria) *confugerint, tradi non oportere, ſed loci ſancti reverentiâ & interceſſione defendi.* Tom. III. Concil. Illuſtrat. Period. III. Peric. V. Exerc. 31. p. 537. Idem legitur in jure Canonico Diſt. 87. cap. Eos qui ad Eccleſiam. Concilii Illerdenſis A. C. 508. canon. VIII. ita habet: *Nullus clericorum ſervum vel diſcipulum ſuum ad Eccleſiam fugientem, extrahere audeat, vel flagellare præſumat. Quod ſi fecerit (donec digne pœniteat) à loco, cui honorem non dederit, ſegregetur*, Tom. III. Concil. Illuſtr. Period. III. Peric. VI. diatr. IV. p. 640. Vide eundem in jure Canonico, Cauſſ. XVII. q. IV. c. Nullus clericorum.

Con-

Concilium Aurelianense IV. circa medium sec. VI. habitum can. XXI. in eundem modum: *Si quis*, inquit, *necessitatis impulsu ad Ecclesiæ septa confugerit; & sacerdote vel præposito Ecclesiæ prætermisso atque contemto, eum quisque de locis sacris, vel altari, seu vi seu dolo abstrahere aut solicitare fortè præsumserit: ut inimicus Ecclesiæ, ab ejus liminibus arceatur* &c. Cent. Magdeb. VI. cap. IX. f. 293. Et ejusmodi sunt multa alia. Videtur autem leges inter Imperatorum & canones Episcoporum hoc discriminis fuisse, quod illæ obligarint omnes tam Clericos quàm Laicos; hi verò Episcopos & clericos inter se tantum, idque ex consensu: illæ directè & per se vi summæ potestatis, quæ penes Imperatorem erat; hi indirecte & *καθ' ἄλλο* vi approbationis & confirmationis per summam potestatem factæ. Hinc moris in Conciliis erat, ablegare Episcopos quosdam ad Imperatorem, qui peterent ab eo confirmationem eorum, quæ statuta erant, vel etiam concessionem quorundam privilegiorum.

VII. MATERIA sive OBJECTUM *ἀσυλίας* in Ecclesiâ veteri erant *supplices* sive homines ad mensam sacram confugientes. Codex nominat *ad Ecclesiam confugientes*. l. 2. C. de his qui ad Eccl. conf. *αἰδέοντας reverentes sive venerantes*, *προσφεύγοντας confugientes*, absolutè *πρόσφυγας confugas* l. 3. C. eod. *Refugas* l. 6. §. sed si C. eod. *Chrysostomus* appellat *φυγάδας* Serm. in Eutrop. Tom. VIII. edit. Eton. f. 71. *Sozomenus* Hist. Eccl. lib. VIII. cap. VII. f. 108. *ἱκέτας θεοῦ*

supplices DEi. Admittebantur autem initio, cum legitimus ac verus illius juris usus adhuc vigeret, non promiscue omnes, sed *innocentes*, & tales qui *vel non atrociter*, *vel non destinato consilio* peccarant. Docent hoc cum leges Imperatorum, tum exempla supplicum. Arcadius & Honorius l 1. C eod. adimunt ἀσυλίας beneficium Judæis criminum reis vel ære alieno obrutis; concedunt autem innocentibus & ære alieno liberatis. Sic enim habent verba legis: *Judæi qui reatu aliquo vel debitis fatigati simulant se Christianæ legi velle conjungi, ut ad Ecclesias confugientes evitare possint crimina, vel pondera debitorum, arceantur: nec ante suscipiantur, quam debita universa reddiderint, vel fuerint innocentiâ demonstratâ purgati.* Justinianus Novell. XVII. cap. VII. nominatim ab asylis arcet homicidas, adulteros, & virginum raptores, disertè docens, beneficio isto non sontes, sed læsos & innocentes gaudere oportere. Lex ita habet: οὔτε δὲ ἀνδροφόνοις, οὔτε μοιχοῖς, οὔτε παρθένων ἅρπαξιν ἁμαρτάνουσι τὴν ἐκ τῶν ὅρων φυλάξεις ἀσφάλειαν. ἀλλὰ κἀκεῖθεν ἐξελκύσεις καὶ τιμωρίαν αὐτοῖς ἐπάξεις. οὐ γὰρ τῶν τὰ τοιαῦτα ἁμαρτανόντων φείδεσθαι προσήκει, ἀλλὰ τῶν περιόντων, ἵνα μὴ τοιαῦτα ὑπὸ τῶν τολμηροτέρων πάσχοιεν, ἄλλως τε ἡ ἐκ τῶν ἱερῶν ἀσφάλεια οὐ τοῖς ἀδικοῦσιν, ἀλλὰ τοῖς ἀδικουμένοις δέδοται παρὰ τοῦ νόμου· καὶ οὐκ ἂν εἴη δυνατὸν ἑκάτερον ἰσχυρίζεσθαι τῇ παρὰ τῶν ἀσύλων τόπων ἀσφαλείᾳ, καὶ τὸν ἀδικοῦντα, καὶ τὸν ἀδικούμενον. *Neque autem homicidis, neque adulteris, neque virginum raptoribus de-*

lin-

linquentibus terminorum custodies cautelam, sed etiam inde extrahes, & supplicium eis inferes. Non enim talia delinquentibus parcere competit, sed hoc patientibus: ut non talia à præsumtoribus patiantur. Deinde templorum cautela non nocentibus, sed læsis datur a lege: Et non erit possibile utrumque tueri cautelâ sacrorum locorum, & lædentem & læsum. Et Novell. XXXVII. addit eos, qui Christiano vim attulerunt. ὁ καταφεύγων ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν Καρχηδόνος, ἐχέτω ἀσυλίαν, εἰ μὴ ἄρα φόνον, ἢ ἁρπαγὴν παρθένου, ἢ βίαν χριστιανοῦ ποιήσει. *Qui ad Carthaginensium Ecclesiam confugerit, is impunitatem habeto, nisi homicidium, aut raptum virginis, aut vim in Christianum admiserit.* Conf. Novell. CXVII. cap. ult. §. Quia verò. In eandem sententiam legem quoque tulisse Carolum M. *Aventinus* lib. IV. Annal. refert.

VIII. De *jure* ergo satis testantur *leges*, de *facto exempla*. Ea nunc considerabimus, recensitis legibus. Nobilis illa femina, quam *Basilius* ἀσυλίας altarium jure defendebat, innocens erat: nihil enim mali commiserat; tantum recusaret nuptias viri cujusdam potentis, qui eam miserè deperibat. Verba perspicua sunt ap. *Gregor. Nazianzen.* Et jam supra citata. Alexander Episcopus Alexandriæ cùm ad altare se tueretur ἀσυλίας beneficio, nihil designarat, nisi quod Arium recipere nollet; quod ipsum tamen non criminis loco, sed in laude potius ponendum erat. Rem narrat *Ruffinus* Hist. Eccl. lib. I. cap. XII. f. 207. verbis sequentibus: *Ad ultimum*

timum certam ei (Alexandro) *diem statuentes denunciant* (Arii fautores) *ut aut ipse Arium susciperet, aut si reniteretur, se ecclesiâ pulso & in exilium truso ab alio eum suscipiendum sciret. Tum ille nocte, quæ ad constitutum intererat diem, sub altari jacens atque in oratione & lacrymis totam pervigilem ducens Ecclesiæ caussam Domino commendabat.* Maximianus Episcopus Catholicus Bagaiensis, ut ad altare confugeret, nullâ re aliâ impellebatur, quàm vi Donatistarum, qui basilicam fundi Calmanensis ei eripere conabantur, quam tamen justo judicio obtinuerat, ut legere est ap. *Augustin.* lib. III. contr. Crescon. Grammat. Tom. VII. Oper. f. 267. & Epist. L. Tom. II, f. 220. verba ipsa supra jam allata. Supplices isti, quos Eutropius è templis, quò confugerant, extrahere conabatur, innocentes fuisse, cùm Eutropii injustitia, tum Pentadiæ innocentia me credere jubet, quæ supplicibus istis annumeratur, nec tamen ullum admisisse facinus memoratur, sed tantum vim Eutropii effugere voluisse dicitur. Verba *Sozomeni* l. c. de Eutropio hæc sunt: οὗτος (εὐτρόπιος) γὰρ μείζων ὢν τῶν βασιλέως εὐνούχων μόνος καὶ πρῶτος ὧν ἴσμεν ἢ ἀκηκόαμεν, ὑπάτου καὶ πατρὸς βασιλέως ἀξίᾳ ἐτιμήθη. Ἐπεὶ δὲ τῆς παρούσης δυνάμεως οὐκ ἐνενόησε τὸ μέλλον, καὶ τὰς συμβαινούσας ἐν τοῖς ἀνθρωπίνοις πράγμασι μεταβολάς, ἐπεχείρει τῆς ἐκκλησίας ἀφέλκειν ἱκέτας θεοῦ δι' αὐτὸν ἐνθάδε διατρίβοντας, καὶ μάλιστα πενταδίαν τὴν τοῦ τιμασίου γαμετήν. Ὃν στρατηγὸν δυνατὸν καὶ φοβερώτατον γενόμενον, εἰς τὴν κατ' Αἴγυπτον ὄασιν ἀϊδίῳ

φυγῇ

φυγῇ ἐζημίωσε τυραννίδ☉ ἐπαγαγὼν αἰτίαν. *Hic ut inter Imperatoris Eunuchos præcipuus erat, ita & primus etiam & solus ex his, quos quidem nos vel cognovimus vel audivimus, ad eam dignitatem evectus fuit, ut & consulatum adipisceretur, & Imperatori Patris loco reputaretur. Sed quia neque præsenti potentiæ impendentia, neque contingentes humanarum rerum vicissitudines considerabat, eos extrahere templis aggrediebatur, qui propter ipsum in his ad DEUM confugæ supplices hærebant: inprimis verò Pentadiam Timagii conjugem, quem quidem potentem ac strenuum ducem ille tyrannidis affectatæ condemnatum perpetuo apud Oasin Ægypti exilio multarat.* Servi illi apud *Socratem* Hist. Eccl. lib. VII. cap. XXXIII. (cujus verba supra citavimus cap. XI. §. 33.) cum heri sui sævitiem ferre non possent, ideoque ad altare confugerent, hactenus innocentes erant & ἀσυλίας beneficio fruebantur. Verum cum postea nec arma deponere nec abire vellent, & sacris ministeriis obeundis impedimento essent, quin etiam innocenti sanguine se tandem contaminarent, non mirum indignos eos fuisse habitos, qui altarium beneficio fruerentur. Inde ortæ postea Imperatorum leges, quibus supplices sine armis esse jubent l. 3 & 4. C. de his qui ad Eccl. conf. Sancti, qui hæreticorum Petri & Severi manus violentas effugere se posse sperabant, si ad altare se reciperent, hoc ipso innocentes erant, quia sancti, & quia læsi. Verba adscribere nihil opus, cum jam supra c. I. sint posita. Quanquam verò nihilo-

mi-

minus postea fuerint violati; res tamen facti, non juris fuit. Id quod etiam de Maximiano Episcopo & aliis dicendum.

IX. Patet igitur ex his abunde satis, ut puto, innocentes initio, vel eos etiam, qui non graviter nec destinato consilio peccarant, ad altaria ἀσυλίας beneficio gavisos; cæteros autem *scelerate impios* eodem privatos esse. Quod utinam perpetuum fuisset, minus certe scelerum postea contigisset. At ubi mox omnes promiscue admittebantur, & facinus morte piandum habebatur, quenquam inde abstrahere, quisquis etiam esset, tum non fenestra, sed porta patefacta omnis generis vitiis ac sceleribus est, quo de postea plura in abusibus.

X. FORMA juris ἀσυλίας, quatenus ut jus seu lex consideratur, fuit vis obligandi homines vel ad obedientiam, vel ad pœnam. Obligabantur autem ista lege partim ipsi *supplices*, partim *magistratus & clerici* supplicum defensores, partim *supplicum adversarii*. *Illi*, ne arma haberent l. 3. §. Arma quoque & §. Hos vero qui C. de his qui ad. Eccl. conf. aut somnum cibumve intra templum vel ipsum altare caperent l. d. §. Proinde ii. *Isti*, ne supplices omnes promiscue susciperent l. 1. C. eod. & Novell. 17. cap. 7. nec susceptos traderent Dist. 87. cap. Eos qui ad Ecclesiam conf. nec somnum aut cibum, eos intra altare capere aut arma habere sinerent l. 3. §. Proinde & §. Hos vero. C. eod. atque ut per Oeconomum caussas eorum diligenter co-

cognoſcendas & ad Judices referendas curarent l. 6. §. Quod ſi, & §. Inter Eccleſiæ. C. eod. *Hi* denique, ne extraherent: ſecus condemnandi majeſtatis l. 2. C. eod. & capitis l. 6. in pr. C. eod. Cæterum hanc obligandi ſive cogendi vim, prout nunc deſcripta eſt, fuiſſe formam juris ἀσυλίας, primò ex eo patet, quod vis obligandi ſive cogendi generatim conſtituitur forma juris generatim conſiderati. Vid. *Jac. Martinii* Polit. lib. II. cap. XXXI. p. 926. Ergo & vis obligandi ſpecialis ad ſupplices & quæ eò pertinent relata, erit forma juris illius ſpecialis, ad ſupplices ſpectantis, quod ἀσυλίαν vocamus. Deinde etiam idem à *Formæ* deſcriptione probatur. Forma dat eſſe rei, diſtingui, & operari. At vis illa obligandi jus ἀσυλίας conſtituebat, illudque à nudis Epiſcoporum conſiliis & ſententiis, quæ alios cogere non poterant, diſtinguebat, denique etiam per illud operabatur, ita ut ſupplices verè ſalvi atque incolumes eſſent nec ad ſupplicium rapi juſte poſſent.

XI. FINIS vel *ultimus* eſt, vel *intermedius*, ut vocant. *Ultimus* vel *abſolutè*, vel in *hoc genere* talis eſt. Ille *Gloria DEI*; quam non poterant non ſibi ob oculos ponere veri Chriſtiani, memores præcepti illius Apoſtolici 1. Cor. X. 31. Tum perſuaſum ſibi habebant veteres, pertinere ad celebrationem clementiæ & miſericordiæ divinæ, ſervare innocentes vel non planè ſontes. Hinc Epiſcopi ſuſcipientes ſupplices atque protegentes dicebantur χεῖρα ὀρέγειν θεῷ

φιλαν-

Φιλανθρωπίᾳ manum porrigere DEI clementiæ erga homines, quod de Basilio usurpavit *Nazianzenus* l. c.

XII. Iste, *salus reipubl.* sive civitatis politica fuit. Quemadmodum enim religio generatim multum confert ad felicitatem civilem, etsi non ad hanc, sed ad æternam ac cœlestem primariò ordinata sit: ita & ista religionis cerimonia de asylis speciatim ad finem istum facilè consequendum faciebat. Miseros enim & vi pressos tutum habere perfugium, reorum caussas accuratè cognosci, priusquam sententia in eos feratur, sanguinem innocentem non effundi, per imprudentiam delinquentibus peccati veniam fieri, pœnas interdum pro rerum conditione mitigari, nemo sanus negabit ad felicitatem civilem pertinere. At hæc ἀσυλίας beneficia erant.

XIII. *Finis intermedius* alius *ex parte altarium*, alius *ex parte supplicum* fuit. Ex parte altarium, *honos atque ornamentum* erat, quo de cap. præcedente dictum.

XIV. Ex parte supplicum erat *securitas atque incolumitas*. Eam enim ob caussam jus ἀσυλίας tribuebatur altaribus, ut supplices eò confugientes tuti essent atque incolumes. Atque id spectabant ipsi etiam supplices, cùm eò se reciperent. Justinianus Novell. 17. cap. 7. vocat ἀσφάλειαν *securitatem.* Interpres appellat *cautelam. Ambrosius* epist. XXXIII. Tom. III. f. 129. *Non ego me vallabo circumfusione populorum, nec altaria*

taria tenebo vitam obsecrans, sed pro altaribus gratius immolabor. Hactenus caussæ.

XV. Sequuntur ADJUNCTA, *Origo & moralitas* (liceat hâc voce uti, quando commodior non occurrit.) *Originem* arcessunt nonnulli à *gentilium* instituto, quos constat confugientibus ad aras pepercisse. Mihi hîc distinguere placet inter jus ἀσυλίας *per se* ratione legitimi usus, & *per accidens* ratione abusus spectatum. Hoc modo non negabo, à gentilibus ortum esse, idque in animo habuisse videtur D. *Mœbius* vir maxime reverendus, Asylol. sacr. cap. VI. ubi contra Pontificiorum asyla, & illa quoque veterum, quæ cum abusu fuere conjuncta, disputat. Illo autem sensu non videtur probabile, à gentilibus petere voluisse veteres Christianos, quod à Judæorum sacris ritibus & legibus, DEUM ipsum auctorem habentibus, accipere longè tutius potuerunt. Nec Theodosii & Valentiniani Impp. constitutio, quæ in fine Concilii Ephesini Oecumenici III. exstat, illud evincit. Quippe illi tantum concludunt à minori ad majus, existimantes, multò magis decere Christianos suam religionem custodire, cum gentiles suæ, quæ tamen error erat, tam observantes fuerint. Verba plana sunt & ita habent: καὶ γὰρ εἰ ἐθνικῆς ἀρχαιότητος ἡ θρησκεία πλάνη, καὶ θεὸς τὸ δοκοῦν, οὕτω τῆς οἰκείας δεισιδαιμονίας ἐξήσκει τὴν παρατήρησιν, ὥστε τοὺς βωμοὺς μὴ πᾶσιν, ἀλλὰ γὰρ τισιν ἐπιτρέπειν τῶν ἱερέων· τοὺς δὲ ναοὺς, ὥσπερ καὶ διὰ τῆς γῆς ὑψουμένοις, ἐν ταῖς ἀκροπόλεσι, καὶ τοῖς

ὀχυρωτέροις τῆς πόλεων ἀναθεῖναι τόποις. τὰ δὲ κατασκευασθέντα εἴδωλα προσκυνεῖν, καὶ μετὰ σεπτῆς μεγίστης ἔχειν ματαιότητος, πόσῳ μᾶλλον ἡμᾶς προσήκει τὴν θρησκείαν μετὰ πάσης φυλάττειν παρατηρήσεως. *Etenim si veterum paganorum religio, quæ error erat, & cui, quod libitum fuisset, Deus erat, adeò superstitionis suæ observans fuit, ut altaria non quibusvis, sed certis sacerdotibus duntaxat committeret, & fana sua perinde ac si ipsius quoque terræ situ extollerentur, in arcibus ac munitioribus urbium locis dicaret, atque idola fabrefacta adoraret, maximaque cum veneratione ac vanitate coleret: QUANTO MAGIS par est, ut nos religionem nostram omni cum observantiâ custodiamus*, Tom.VI. Concil. edit. Paris. f. 448. Deinde iterum concludunt à minori ad majus, nempe cum statuæ imperatoriæ ex instituto majorum salutem afferant iis, qui eò confugiunt, idque propter regiam majestatem, cui dicatæ sint; idcirco multò magis convenire, ut altaria Christianorum servent supplices, ob cœlestem majestatem, cui sacra sint. Ubi quidem jus ἀσυλίας statuis tributum ex instituto gentilium derivant, non verò illud, quod ad mensas sacras retulere Christiani. Sic habent verba f. 449. ὥστε μηδαμοῦ τοῖς εὐλαβουμένοις ἀναιρεθῆναι φιλανθρωπίαν, βωμὸν σωτηρίας καὶ ἐν τοῖς ἡμετέροις ἀφιδρύμασιν ἡ ἀρχαιότης ἀνέθηκε --- τοσαύτης τοιγαροῦν τῆς ἀφῆς τοῦ ἱδρύματος διὰ τὸ βασιλικὸν σέβας τοῖς δεομένοις ἐπικουρίαν διδούσης, πόσην χρὴ τοῖς εἰς τὰ ἁγιώτατα καταφεύγουσι θυσιαστήρια ὑπάρχειν βοήθειαν; *Majores etiam nostri, ne aliquo modo*

modo timore perculsis humanitas denegata videretur, in nostris quoque statuis aram salutis constituerunt - - - - - Jam si statuæ complexus propter regiam majestatem tantum præsidii miseris conciliat, quantum opis illis debet esse paratum, qui salutis caussa ad sacrosancta altaria confugiunt? Quod si jam inde concludere quis velit, ideo â gentilibus ortam ἀσυλίαν altarium esse, quod Imperatôres magis decere dixerint, ut altaria Christianorum eo jure honorentur, quam aræ gentilium: concludat etiam necesse est, constantiam in religione ortam à gentilibus esse, quia Jeremias II, 10,11. Israelitas multo magis suam retinere debere religionem dixit,cum videant ethnicos suam non mutare: Itemque, continentiam Christianorum ab athletis gentilium ortam, quia Paulus docet, Christianos, cum videant gentiles athletas continentes esse, multò magis tales esse oportere 1. Cor.IX,25. item, fidei constantiam in adversis sive tolerantiam malorum, quæ DEUS nobis immittit, ortum à pietate erga parentes ducere, quia Auctor epist. ad Hebr. XII,9.12. ait conveniens esse, ut, cum parentes carnis, etiamsi nos castigent, revereamur, multò magis DEI castigationem paternam feramus: Item curam DEI in sustentandis hominibus oriri ab ejus curâ, quâ alat aves, quia Servator persuadet, DEUM Patrem multò magis aliturum homines, cùm aves alat Matth. VI,26.Sed hæc omnia absurda sunt,

XVI. Accedit quod non continuò ad gentiles referenda ſit origo illius cerimoniæ, quam Chriſtiani poſt gentiles uſurparunt: alioqui vel ipſe SS. Baptiſmus, quem Chriſtus inſtituit, ex gentilium moribus derivandus eſſet, cum jam ante Chriſtum multis in gentilium ſacris aqua adhiberi ſoleret in ſimilitudinem Baptiſmi. In ſacris Mithræ inter alios initiationis ritus erat διανήξασθαι ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ὕδωρ πολὺ *per dies multos natare per aquam*, ut ſcribit *Nonnus* Collect. Hiſtor. ad Orat. στηλιτ. α´ Nazianz. In Eleuſiniis apud fluvium Iliſſum τὸν καθαρμὸν τελοῦσι τοῖς ἐλάττοσι μυστηρίοις *luſtrationem peragebant minoribus myſteriis*. Et quia aquæ beneficio ille καθαρμὸς fiebat, propterea, qui initiandos luſtrabat, ὑδρανὸς appellabatur. *Heſychius*: ὑδρανός, ἁγνιστὴς τῶν ἐλευσινίων. Eadem ratio aliarum quoque expiationum fuit. *Pauſanias* in Corinthiacis f. 114. Μυκηνῶν δὲ ἐν ἀριστερᾷ, πέντε ἀπέχει καὶ δέκα στάδια τὸ Ἡραῖον· ῥεῖ δὲ κατὰ τὴν ὁδὸν ὕδωρ ἐλευθέριον καλούμενον· χρῶνται δὲ αὐτῷ πρὸς καθάρσια αἱ περὶ τὸ ἱερὸν καὶ ἐπὶ τῶν θυσιῶν ἐσῶσιν ἀπορρήτως. *Ad lævam Mycenarum ſtadia XV. abeſt Junonis fanum. Præter viam aqua fluit, quæ dicitur Eleutheria ſeu liberatrix. Eâ ad arcanas expiationes utuntur templi & ſacrorum antiſtitæ.* Ex hoc more primariæ Tanagræorum matronæ ſacris Liberi Patris arcanis initiatæ ad mare deſcendebant expiationis gratia. *Pauſanias* Bœoticis f. 571. Τὰς γυναῖκας τὰς Ταναγραίων πρώτας Διονύσου τὰ ὄργια μυηθείσας ἐπὶ θάλασσαν καταβῆναι

καθαρ-

καθαρσίων ἕνεκα. *Similiter XVI. feminæ aut ædiles Eleorum nullam attingebant munerum suorum partem, priusquam* ὕδατι ἀποκαθήρωνται. γίνεται δὲ σφίσιν ἐπὶ κρήνῃ Πιέρα τὰ καθάρσια: *aqua lustrata fuerunt. Eam verò lustrationem ad Pieram fontem suscipiebant*, teste eodem in Eliac. I. f. 319. Usi præterea & multis aliis in sacris aquâ fuerunt, quo de Antiquitates Græcæ loquuntur. Neque verò existimandum, ad corporis tantum sordes abstergendas adhibitam veteribus aquam fuisse. Minime. Ipsas etiam sordes animi eâ tolli sibi persuadebant: Eâ enim de caussâ ad initiationes inprimis & mysteria eam adhibebant, quorum ratio in universum hæc erat, ut qui se disciplinâ imbuendos traderent, paulatim ita purgati ab hujus vitæ inquinamentis & peccatorum sordibus, ad nescio quæ arcana perducerentur. Quo de eruditè disserentem vide *Casaubonum* Exerc. XVI. ad Annal. Baron. num. XXXXIII. p. 391. seqq. Hinc etiam ipsi homicidæ, perpetratâ cæde, aquâ manus abluebant, expiaturi hoc modo facinus commissum. *Sophocles* in Ajace v. 664. seqq.

Ἀλλ' εἶμι πρός τε λουτρὰ καὶ παρακτίους
λειμῶνας, ὡς ἂν λύμαθ' ἁγνίσας ἐμὰ,
Μῆνιν βαρεῖαν ἐξαλεύσωμαι θεᾶς.
Sed eo ad undam & litoralia
Prata, ut cædem, quâ contaminatus sum, abluens
Gravem iram Deæ effugiam.

Ubi Scholiastes: ἔθος γὰρ ἦν τοῖς παλαιοῖς, ὅταν ἢ φόνον ἀνθρώπου, ἢ ἄλλας σφαγὰς ἐποίουν, ὕδατι ἀπονίπτειν τὰς χεῖρας εἰς κάθαρσιν τοῦ μιάσματος. *Erat mos antiquorum, ut qui cædem hominum vel aliorum animantium commisisset, aquâ manus abluerent ad commissi piaculi lustrationem.* Quem morem imitatus videtur Pilatus damnato capitis Servatore mundi Matth. XXVII, 24. Æneas quoque apud *Virgilium* II. Æneid. v. 717. seqq.

Tu genitor cape sacra manu, Patriosque penates,
Me bello è tanto digressum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero. - - -

Ad quem locum illustrandum multa è gentilibus affert *Cerda* Tom. II. f. 254. Memorabile etiam illud *Ciceronis* Orat. pro S. Rosc. Amerin. *Mari cætera, quæ violata sunt, expiari putantur.* Sed quorsum hæc? quorsum? ut planum fiat, imaginem aliquam Baptismi fuisse ante Christum, nec tamen ipsius Baptismi originem inde repetendam. Et ejusmodi multò plura hanc in rem afferri possent, de omnibus ferè Christianorum cerimoniis, sed non opus esse puto, tam longe digredi â proposito. Redeamus igitur ad asyla, in quibus constituendis etiamsi concederemus, Imperatores Christianos ad gentilium asyla respexisse; nondum tamen consequens

quens eſt, imitatos hîc eſſe illos: quia alios habuerunt, quos tutius imitari poterant, nec illorum aſyla, ut exemplar, ad cujus ſimilitudinem ſua conformare vellent, ſed tantum ut comparatum imparis ſive inferioris conditionis reſpexerunt, ut è verbis citatis videre eſt.

XVII. Nec video, quid abſurdi conſecuturum ſit, etiamſi quis dicat, imitatos vel hîc vel in aliis id genus rebus Chriſtianos Impp. gentiles eſſe: quando non omnia gentilium inſtituta ſimpliciter & abſolutè reprobanda. Fuerunt enim in illis, perinde ut in nobis, immò omnibus omnino hominibus, reliquiæ imaginis divinæ, à quibus quæcunque proficiſcuntur, quatenus inde proficiſcuntur, non ſunt rejicienda, quin tuto aliis in exemplum proponi poſſunt, ut ſunt v. g. quæ de moribus recte & honeſtè conformandis & civitate ritè gubernandâ aliisque talibus ſapienter præceperunt. Nec DEUS ipſe in V. T. dubitavit Iſraëlitis proponere imitandam gentilium in retinendâ religione conſtantiam Jerem. II, 10. 11. Nec Apoſtoli refugerunt gentilium ad ſacra Chriſtianorum transferre dictiones nonnullas & ritus, ut vel ex 1. Corinth. IX, 24. 25. 1. Tim. III. 16. (in quo poſteriori loco Apoſtolum ad myſteria gentilium reſpexiſſe, ſingulari oſtendit Exercitatione *Jacob Gothofredus*) aliisque locis quam plurimis, immo ut breviter dicam, omnibus Epiſtolis Paulinis videre eſt. Quam rationem ſecuti etiam poſtea SS. Patres ſunt, licet eventu interdum

non adeò felici, ut historia Ecclesiastica testatur.

XVIII. At *gentilium mores, studia & opera prohibemur sequi* Deut. XII, 30. XVIII, 9. Matth. VI, 8. 32. Eph. IV, 17. 1. Thess. IV, 5. Non nego. Verum (ut Scholasticorum utar vocabulis) id non intelligendum simpliciter, sed secundum quid: de gentilibus consideratis non materialiter, quatenus homines sunt ratione præditi; sed formaliter, quatenus gentiles sunt. Sive, ut cum Scripturâ loquar, non prohibemur sequi gentiles, quatenus *in iis est veritas* Rom. I, 18. & τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, 19. quatenus etiam sunt γνόντες τὸν θεὸν, 21. & *ea quæ legis sunt* τὰ τοῦ νόμου *faciunt*, cap. II, 14. Prohibemur autem sequi, quatenus *veritatem in injustitia detinent* Rom. I. 18. *eamque commutant in mendacium*, 25. nec DEum ὡς θεὸν *tanquam DEUM celebrant*, 21. sed *ejus gloriam in similitudinem hominis, volucrum, quadrupedum & reptilium mutant*, 23. atque ita *rem creatam colunt eique potius serviunt, quam DEO*, 25.

XIX. Quæ igitur cum ita sint, probabilius nobis videtur, Christianos Impp. templis & altaribus Christianorum jus ἀσυλίας tribuentes, *Judæorum* sibi ob oculos posuisse *asyla*, de quibus agitur Num. XXXV. & Jos. XX. Primò enim ut Apostoli prudenti consilio ad Judæorum ritus suos interdum conformabant, quò facilius eos converterent, ut vel è prohibitione idolothytorum Act. XV, 29. et circumcisione

Timo-

Timothei Act.XVI,3.intelligi licet: Ita & SS.Patribus, & qui eorum consilia sequebantur Christianis Impp. solemme fuit, multas Judæorum cerimonias ad Christianam religionem transferre, & suos ritus veteris Testamenti auctoritate firmare. Hinc Pascha, Pentecoste, jejunia quatuor temporum, hinc ratio templorum eorumque encænia, hinc unctio, aliaque talia quam plurima prodierunt. Deinde longe tutius asylorum rationem petere à Judæis, quam gentilibus potuerunt. Illi enim legibus divinis ἀσυλίαν habebant definitam. Isti humanis tantum nitebantur iisq; valde corruptis. At quanto divinæ præstantiores humanis, tanto tutius ad illas præ his confugere poterant Christiani Imperatores. Id quod etiam fecerunt. Nam, quod tertio loco observari velim, illa Christianorum veterum asyla, ut initio se habebant, similiora Judæorum, quam gentilium asylis erant. Hîc enim omnes promiscue supplices, etiam sceleratissimi, impunitatem inveniebant. At illic isti tantùm homicidæ, qui non erant voluntarii, ut è Numer. XXXV,11. videre est. Atque hunc in modum Christiani etiam Impp. admittebant quidem innocentes vel non plane sontes, voluntariis autem homicidis & aliis sceleratè impiis impunitatem rectè denegabant. Concludo igitur, cum Christiani Imperatores mutuari à Judæis suos ritus solerent, & asylorum rationem ab iis longe tutius, quam à gentilibus discere possent, ipsorum etiam asyla Judæorum potius,

quam gentilium aſylis conformia eſſent, ideò probabile videri in tribuendo altaribus ἀσυλίας jure, Judæorum potius, quam gentilium aſyla ſibi ob oculos poſuiſſe.

XX. Nunc an *rectè* fecerint, non immeritò quæritur. Videri certè potuiſſent ἰȣδαΐζειν, quoniam in uſum revocarunt legem forenſem à Chriſto jam abrogatam. Sed ſalva res eſt. *Lex* illa Judæorum *de aſylis* non *mere forenſis* fuit, ſed ex parte etiam *moralis*, ex parte *cerimonialis*. *Forenſis* fuit, quatenus ἀσυλίαν tribuit ſex urbibus, tribus cis Jordanem, & totidem ultra Jordanem, ita ut is, qui non deliberato conſilio hominem interfeciſſet, tutò primò eò confugere, ne à vindice ſanguinis propinqui occiſi opprimeretur; deinde verò cauſſâ ſuâ judicibus legitimis, ad quos fide publica ducebatur, & inde in locum refugii reducebatur, probatâ, ibi manere, & diuturno ἀσυλίας beneficio ad mortem usque ſummi Pontificis frui poſſet. *Cerimonialis* fuit, quatenus typicè ſignificavit *Chriſtum*, in quo per fidem tutum habemus receptum, contra diabolum, æternum nobis molientem exitium. Quo de vide *Glaſſ.* lib. IV. Phil. S. Tract. III. obſ. 21. p. 1020. vel etiam ſpeciatim *vulnera Chriſti*, quæ per illa aſyla adumbrata fuiſſe, pulcherrimè oſtendit *Joh. Henric. Urſinus* Adverſ. ſacr. pag. 235. *Moralis* denique fuit, quatenus volebat, homicidas non temerè, ſed cauſſâ prius benè cognitâ, puniri; qui verò non conſulto hominem interfeciſſet, â morte

te vindicari; adeoque innocentis vel ſaltem non planè ſontis vitæ conſuli. Atque hoc morale, quod juris forenſis univerſalis eſt, ut omnes omnino omnium temporum judices obligat, ita non poterat quoque Chriſtianos Imperatores non obligare.

XXI. Patet jam non obſcure, ut opinor, quid de *Moralitate ἀσυλίας* altarium, tanquam *altero adjuncto* ſentiendum ſit. Ut tamen res fiat liquidior, placet nonnulla tradere explicatius diſtinctiusque.

XXII. Ἀσυλία altarium conſiderari poteſt vel *per ſe ratione uſus*, quem ſupra explicuimus; vel *per accidens ratione abuſus*, de quo infra agemus. Hoc modo quin *moraliter mala* fuerit, dubitare nemo ſanus poteſt: ut mirer, Pontificios etiam abuſus non erubeſcere defendere. Sed qualis fuerit, illo ſi ſpectetur modo, hoc jam diſputatur, hoc quæritur.

XXIII. Poteſt autem ita rurſus bifariam conſiderari, vel *eſſentialiter*, ut Scholaſtici loquuntur, ratione *fundamenti*; vel *accidentaliter*, reſpectu *termini*, altaris nempe, ad quod refertur. *Priori* modo moraliter *bona* fuit vi legis divinæ, naturalis etiam & humanæ, quæ jubet tueri innocentes, reorum cauſſas, antequam ſententia in eos feratur, probè cognoſcere, per imprudentiam peccantibus vel delicti veniam facere, vel pœnas mitigare, & quæ ſunt id genus alia beneficia, quæ ἀσυλίας jus tribuebat ſupplicibus.

XXIV.

XXIV. *Posteriori* modo, quatenus *ἀσυλία* spectatur ut ad altaria Christianorum relata, si consideratur eadem *generatim*, nude & in se, *indifferens* est: quia neque naturalis neque divina lex ulla est, quæ vel jubeat vel vetet Christianos mensis suis sacris jus *ἀσυλίας* tribuere.

XXV. Sin spectetur *ex hypothesi*, ratione legis humanæ, quatenus ab Impp. Christianis præcepta est, non dubitamus moraliter *bonam* tantisper pronunciare, dum ostensum fuerit, leges istas Theodosii & Valentiniani malas aut vitio latas fuisse. Id autem vix unquam erit. Nam si quid vitii inesset, vel propterea inesset, quod *ἀσυλίαν in se* sancirent, vel quod eam *altaribus & locis sacris* tribuerent. At in *illo* vitii nihil, quia *ἀσυλία* in se spectata, cum à DEO instituta, tum juris forensis universalis est, omnesque obligat Imperantes, licet modus eam exercendi, sive in judiciis, sive in sacris locis, sive aliter, hodie sit in eorum potestate. Neque in *hoc* vitii quicquam est, quia Israëlitæ etiam in V. T. altare domini cùm ante exstructum templum in tabernaculo, tum in ipso templo, loco asyli utebantur, ut ex Exod. XXI, 14. 1. Reg. II, 28, 30. colligit laudatus Dn. *Mæbius* l. c. cap. I. p. 18. in quo tamen DEUS nunquam eos reprehendit, sed tantum sontem homicidam ab altari suo avelli jubet, Exod. XXI, 14. Et licet *leges juris forensis particularis* abrogatæ in N. T. sint; id tamen tantum de *necessitate* obli-

obligationis intelligendum, quod nimirum in N. T. Christianos non amplius obligent: possunt autem ab iisdem liberè usurpari, si conveniant cum rebus eorum publicis, & principum consensu recipiantur, perinde ut hodie leges Romanæ. vid. *Chemnit.* LL. part. II. f. 17. & ex *Luthero* differentem *Duntium* Cas. Consc. c. XVIII. sect. III. qv. 3. p. 1033.

XXVI. Ab *Adjunctis* ad EFFECTA venimus, quæ sunt ipsa actu percepta ἀσφάλεια, sive *securitas & supplicum incolumitas*. Ita ἀσυλίας hujus beneficio servabatur nobilis illa femina â Basilio, ap. *Greg. Nazianz.* l. c. Ita servati multi alii, quos nominatim proferre nihil opus est. Observandum autem, effecta illa seu beneficia non tam ab altaribus, quam à *voluntate Principum* manasse, hinc etiamsi ad altaria confugissent supplices, nihilominus tamen, præsertim si quid deliquissent, pro eorum incolumitate Imperator obsecrandus erat. Hinc Conc. Arausi. I. can. V. supplices vult defendi non tantum *locis reverentiâ*, sed & *intercessione*, Dist. 87. c. Eos qui ad Ecclesiam. Hinc *Chrysostomus* Serm. in Eutrop. Tom. V. f. 1131. ubi invectus in Eutropium erat, tandem ejus misertus: *Communi operâ*, inquit, *interpellemus clementissimum Regem pro Ecclesiâ & altari, unum hominem sacrosanctæ mensæ donari obsecrantes.*

XXII. Ad COGNATA pergimus, quæ sunt vel V. vel N. T. Veteris Testamenti sunt *asyla Israëlitarum*, de quibus multa dicenda essent,

ſent, ſi inſtituti noſtri ratio ferret. Vide interim *Paul. Fagium* in Thargum Onkeli, qui erudita de illis ex Hebræorum ſcriptis collegit, repetita à *Wilhelmo Zeppero* Leg. Moſaic. Forenſ. Explicat. lib. IV. cap. XIV. p. 399. & in Critico S. Anglicano Part. I. f. 1125. adde *Joh. Henrici Ottonis* Lexicon Rabbinicum voc. Aſyli p. 53. & laudatum *Mœbium* Aſylol. S. cap. I. Conveniebant autem illa Iſraëlitarum aſyla cum aſylis Chriſtianorum non uno modo. Iſraëlitica enim innocentes tantum vel eos admittebant, qui inconſulto hominem peremiſſent, voluntarii autem inde arcebantur Exod. XXI, 14. Num. XXXV. 11. Eadem ratio aſylorum Chriſtianorum erat, ut ſupra docuimus. Inter Iſraelitica altare quoque *ἀσυλίας* jure gaudebat Exod. XXI, 14. 1. Reg. II, 28. Inter Chriſtiana ſimiliter menſæ Domini. Iſraelitica הגולה id eſt, *homicidam exulem* non tantum in ipſâ urbe refugii, ſed & extra urbem intra terminum urbis, quem Hebræi תחום nominant, tutum præſtabant Num. XXV, 26 27 adde *Fagium* l. c. Ad eundem modum Chriſtiani Impp. ſupplices non tantum in altaris ſeptis, imò non tantum in templo, ſed etiam *intra templi ambitum & terminos* voluerunt eſſe tutos l. 3. Pateant pr. C. de his qui ad Eccleſ. confugiunt. In aſylis Iſraelitarum non licuit facere arma bellica aut venatoria, ut retia, funes & alia talia, ne forte vindex ſanguinis quaſi emturus aliquid in urbem veniret atque ita homicidam opprimeret, ut ex Hebræorum Dd. obſervat l. c. Fagius.

Nec

Nec Christiani Imperatores permittebant intra altaria aut templa habere arma l. d. §. 1. Arma. Israelitæ, priusquam diuturno ἀσυλίας beneficio supplices frui sinerent, caussam eorum accurate cognoscebant, & si homicida חייב מותה *reus mortis erat*, statim eum occidebant; sin שגג *cædes inconsultò facta*, publicâ fide eum in civitatem refugii reducendum curabant. Num. XXXV. 24. Jos. XX. 4, 6, 9. Similiter Leo Imp. l. 6. Præsenti pr. C. eod. Oeconomos sive defensores Ecclesiæ jussit in personas & caussas supplicum accurate inquirere, judices notitiâ omnium instruere, & æquitati convenientia diligenter exsequi. Israelitæ supplicem ad altare non relinquebant, sed eum adjunctis custodibus in urbem asyli mittebant. *Maymon. Hal. Rozeach.* cap. 5. Idem præcipiebant Christiani Impp. l. 3. Pateant in pr. C. eod. & §. Proinde l. d.

XXVIII. Atque ut in V. T. asyla Hebræorum, ita in N. *templa* & δικαστήρια seu *judicia Christianorum* cum ἀσυλίᾳ altarium cognationem quandam habuerunt. Quod ad templa attinet, ut cum iis conjuncta altaria, ita & ἀσυλία templorum cum ἀσυλίᾳ altarium conjuncta, quemadmodum patet ex ll. dd. Cumque utriusque eadem ferè fuerit ratio, nisi quod illa latius patuerit, ideò non opus esse existimo, seorsum hìc de illâ plura tradere.

XXIX. Δικαστήρια autem sive *judicia Christianorum rectè constituta*, cum ἀσυλίᾳ altarium, qualis apud veteres initio fuit, affinitatem habe-

habere, ipſa illorum inter ſe collatio me non ſinit dubitare. Nam quemadmodum altaria veterum Chriſtianorum tutos ac ſecuros præſtabant innocentes & læſos Novell. XVII. cap. 7. l. 1. Judæi C. eod. ita & hodie judicia Chriſtianorum rectè conſtituta ſunt perfugia innocentum & injuriâ affectorum. Ad veterum altaria qui confugiebant, eorum cauſſæ accuratè cognoſcebantur & perpendebantur, ut judicium fieri poſſet, dignine an indigni ἀζυλίας beneficio eſſent: ſimiliter ad judicia hodie qui confugiunt, & de vi aut injuriis queruntur, non ſtatim ita juvantur, ut altera pars condemnetur inaudita, ſed diligenter in eos inquiritur, qui & quales ſint quidque egerint. Altaria veterum ita ſancta erant, ut neminem inde abripi fas eſſet, niſi jubente magiſtratu? Et judicia noſtra adeò ſancta ſunt, ut neminem inde repelli, neminem eo confugientem violari fas ſit, niſi condemnatum. Αζυλία altarium Principes habebat auctores, & legibus nitebatur Imperatoriis. Haud aliam noſtrorum judiciorum rationem eſſe, nemo eſt, qui ignoret. Αζυλία altarium ad ſalutem civitatis ſpectabat, eodem ſpectant & noſtra judicia. Illic arma non licebat habere, nec hîc permittuntur ubique. Non afferam plura affinitatis argumenta, licet plura ſe offerant. Hoc tantum addam, Eccleſiam Evangelicam, quæ aſyla τοπικὰ & Pontificia ſuſtulit propter incredibiles abuſus, etſi videri poſſit receſſiſſe hâc in parte à veteris Eccleſiæ conſuetudine, tamen propius ad eam

accedere, quam hodie Pontificiam, quæ aſyla retinet. Nam aſyla Pontificiorum ita ſunt comparata, ut omnibus promiſcue, etiam ſceleratiſſimis, tutum præſtent perfugium, quod tantum abeſt ut cum veterum conſuetudine conveniat, ut potius eidem prorſus contrarium ſit. Nobis vero aſyla ſunt judicia, in quibus ipſum jus ἀσυλίας ratione fundamenti adhuc viget, licet mutatus ſit modus eam exercendi ſive terminus. Et quemadmodum in libera Chriſtianorum poteſtate olim erat, jus ἀσυλίας ſive ἀσφάλειαν innocentum referre ad altaria: ita & in arbitrio Principum hodie eſt, iſta beneficia referre ad judicia, & in his idem præſtare, quod veteres ad altaria præſtabant. Nec ipſi veteres Impp. ἀσυλίαν ita ad Altaria alligarant, ut integrum non eſſet, eam tollere. Ademtam enim aliquando altaribus eſſe, Eutropii docet hiſtoria, deſcripta *Sozomeno* Hiſt. Eccl. lib. VIII. cap. VII. f. 108.

XXX. Reſtant PUGNANTIA ſive OPPOSITA, cujuſmodi tria præcipue ſunt: 1. *ἀσυλίας violatio*, 2. *privatio*, 3. *depravatio. Violationem* illuſtrant cum *exempla*, tum violatorum *ſupplicia*. Exempla non uniusſunt generis. Violabatur enim altarium ἀσυλία vel ab iis, qui ſupplices inde temere abripiebant; vel ab ipſis ſupplicibus, qui indecore ſe gerebant. Prioris violationis exempla habemus in Donatiſtis, qui Maximianum Epiſcopum Vagienſem ſub altari, quo confugerat, miſerè ceciderunt, & in

V ingui-

inguine percusserunt, teste *Augustino* epist. L. Tom. II. f. 220. & lib. III. contr. Crescon. Grammat. Tom. VII. f 267. Habemus etiam in Petro & Severo hæreticis, qui sanctos ab altaribus abreptos crudeliter trucidarunt, ut videre est ex libello Monachorum ad Mennam Patriarcham Tom. XI. Concil. edit. Paris. f. 312. quorum verba relata supra cap. XI. §. 33. Immo in ipsius etiam Justiniani conjuge Theodora habemus. Hæc enim Vigilium Episcopum Romanum ab altari, in æde S. Euphemiæ, quò confugerat vim ejus evitaturus, vi abstrahi jussit, non aliâ de caussâ, quàm quod Anthemium, qui duas in Christo naturas negarat, & propterea Constantinopoli, ubi Episcopum egerat, pulsus erat, revocare nolebat, teste *Platina* in vitâ Vigilii p. 72. confer ea, quæ ex libro Pontificali hâc de re narrantur Tom. XI. Concil. edit. Paris. f. 503. Sunt & alia id genus. Sed quanto volumine opus erit, si omnia recensere volumus? Posterioris generis exemplum servi illi suppeditant, qui, cum sævitiam Domini sui ferre non possent, armati ad altare confugerunt, ibique primo unum Clericum trucidarunt, deinde alium vulnerarunt, denique seipsos interfecerunt, teste *Socrate* lib. VII. cap. XXXIII. f. 274. b. vide supra cap. XI. §. 33.

XXXI. Quemadmodum igitur violatores altarium duûm fuerunt generum: Ita & supplicia in eos constituta sunt diversa. Eorum quidem, qui supplices injustè ac temere ab alta-

ri abstraxerant, pœna vel *Ecclesiastica*, vel *civilis* fuit. *Ecclesiastica* fuit *excommunicatio*, quam probant Canones, probant exempla. Canones sunt: Concilii Aurelianens. IV. can. 21. Conc. Illerdens. can. 8. causs. 17. qv. 4. c. Nullus clericorum. Exemplo Bonifacius est, cui Augustinus excommunicationem minatur, ni reddat eum, quem ab altaribus abstraxerat. Sic enim scribit ad eum epist. CLXXXVII. Tom. II. f. 807. *Ecclesiæ illæsum revoca, quem ut irreligiosissimus rapuisti. Oblatio vero domus tuæ à clericis ne suscipiatur, indixi: Communionemque tibi interdico: donec peracta pro ausibus vel errore à me definitâ tibimet pœnitentiâ & tempore condonato, pro hoc facto corde contrito & humiliato dignum offeras sacrificium DEO.* conf. caus. 17. qv. 4. c. 8. Miror.

XXXII. *Civilis* fuit vel *mitior*, vel *asperior*. *Mitior* fuit *verberatio*, *tonsio & deportatio*, ab Imperatore Theodosio in eos constituta l. 2. C. de crimine sacrilegii ex l. 25. C. Theod. de Episc. Eccles. & Cler. Verba legis hæc sunt: ὁ τὸν προσφεύγοντα εἰς τὴν ἁγίαν ἐκκλησίαν ἰδίᾳ αὐθεντίᾳ ἀποσπάσας τυπτόμενος καὶ κειρόμενος ἐξοριζέσθω. *Qui confugientem ad sanctam Ecclesiam suâ auctoritate abstraxerit, verberatus & tonsus deportator.*

XXXIII. *Asperior*, *Condemnatio majestatis & capitis*. l. 2. C. de his qui ad Eccl. conf. *Fideli devotâque præceptione sancimus, nemini licere, ad sacrosanctas Ecclesias confugientes abducere: sub hâc videlicet definitione, ut si quisquam contra hanc legem*

venire tentaverit, sciat se majestatis crimine esse retinendum. l. 6. C. eod. *Præsenti lege decernimus per omnia loca valitura, - - - nullos penitus, cujuscunque conditionis sint, de sacrosanctis ecclesiis orthodoxæ fidei expelli aut trahi vel portrahi confugas, nec pro his venerabiles Episcopos vel religiosos Oeconomos exigi, quæ ab ipsis debeantur: his qui hoc moliri, aut facere, aut nudâ saltem cogitatione atque tractatu ausi fuerint tentare, capitali & ultimi supplicii animadversione plectendis.* Hactenus violatio.

XXXIV. *Privatio ἀσυλίας* altarium auctorem olim inprimis habuit *Eutropium*, primarium Imperatoris Arcadii Evnuchum, & ad consulatum tandem evectum. Is enim gratiâ, quâ valebat ap. Imperatorem, abusus ad supplicum, & tandem sui ipsius perniciem, legem ab Imperatore impetravit, quâ homines ad templa prohibebantur confugere, confugientes autem inde jubebantur extrahi: Et hâc ipsâ lege altaria *ἀσυλίας* jure privavit. Digna sunt lectu, quæ eâ de re prodidit *Socrates* Hist. Eccl. lib. VI. cap. V. f. 255. Εὐτρόπιος γὰρ ὁ εὐνοῦχος προεστὼς τοῦ βασιλικοῦ κοιτῶνος, καὶ τὴν τοῦ ὑπάτου ἀξίαν πρῶτος εὐνούχων παρὰ βασιλέως λαβὼν, ἀμύνασθαί τινας προσφεύγοντας τῇ ἐκκλησίᾳ βουλόμενος, σπουδὴν πεποίητο νόμον παρὰ τῶν αὐτοκρατόρων προτεθῆναι, κελεύοντα μηδένα προσφεύγειν ταῖς ἐκκλησίαις, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἤδη προσφεύγοντας ἀφέλκεσθαι. δίκη δὲ εὐθὺς ἐπηκολούθει. προὔκειτο γὰρ ὁ νόμος, καὶ μετ' οὐ πολὺ προσκρούσας τῷ βασιλεῖ ὁ Εὐτρόπιος, ἐν τοῖς πρόσφυξιν ἦν. Ὁ οὖν ἐπίσκοπος τοῦ Εὐτροπίου ὑπὸ τὸ

θυσι-

θυσιαστήριον κειμένου, καὶ ἐκπεπληγότος ὑπὸ τοῦ φόβου, καθεσθεὶς ὑπὸ τοῦ ἄμμωνος, ὅθεν εἰώθει καὶ πρότερον ὁμιλεῖν χάριν τοῦ ἐξακούεσθαι, λόγον ἐλεγκτικὸν ἐξέτεινε κατ' αὐτοῦ, ἐφ' ᾧ πλέον ἐδόκει προσκρούειν τισὶν, ὅτι τὸν ἀτυχοῦντα οὐ μόνον οὐκ ἠλέει, ἀλλ' ἐκ τοῦ ἐναντίου καὶ ἤλεγχεν. εὐτροπίου μὲν οὖν τότε τὴν ὕπατον ἀξίαν ἐγχειρίζοντος, διά τινα πταίσματα ὁ βασιλεὺς τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθῆναι ἐκέλευσεν. ἐκ δὲ τοῦ καταλόγου τῶν ὑπάτων περιῃρέθη τὸ ὄνομα, καὶ μόνου τοῦ συνυπατεύσαντος θεοδώρου ἐγέγραπτο. *Nam Eutropius eunuchus qui Imperatoris cubiculo præfuit, & primus ex evnuchis dignitatem consularem ab Imperatore obtinuerat, sedulo dabat operam, ut lex ab Imperatoribus promulgaretur, ne quisquam ad Ecclesias tanquam ad asylum profugeret: sed ut hi qui eò profugerant, inde abriperentur. Quâ lege confestim ille ipse pœnas dedit. Nam simulatque promulgata fuit, Eutropius in offensionem apud Imperatorem incurrens, confugit ad Ecclesiam. Johannes itaque Episcopus, cum Eutropius ad basin altaris procumberet, & præ metu consternatus esset, assidens in suggestu, unde antea, quo facilius audiretur, concionari solebat, orationem in reprehensionem ejus habuit. Quâ de caussâ nonnullorum animos admodum videbatur offendere: quod hominem acerbè afflictum non modo non commiseratus est, sed contra vehementer redarguit. Eutropium igitur consulari dignitate exornatum, Imperator ob delicta quædam ab illo admissa, securi percuti mandavit: Et propterea ejus nomen ex consulum albo deletum fuit, & dignitatis illius titulus soli Theodoro collegæ suo adscriptus.* Hactenus

Socrates, cui meritò jungimus *Sozomenum*. Is enim quædam narrare videtur ſubtilius. Verba ejus exſtant lib. VIII. Hiſt. Eccl. cap. VII. f. 108. & ita habent: οὗτος (εὐτρόπιος) μείζων ὢν τῶν βασιλέως εὐνούχων μόνος καὶ πρῶτος ὧν ἴσμεν ἢ ἀκηκόαμεν, ὑπάτου καὶ πατρὸς βασιλέως ἀξίας ἐτιμήθη. ἐπεὶ δὲ τῆς παρούσης δυνάμεως οὐκ ἐνενόησε τὸ μέλλον, καὶ τὰς συμβαινούσας ἐν τοῖς ἀνθρωπίνοις πράγμασι μεταβολὰς, ἐπεχείρει τῆς ἐκκλησίας ἀφέλκειν ἱκέτας θεοῦ δι' αὐτὸν ἐνθάδε διατρίβοντας, καὶ μάλιστα πενταδίαν τὴν τοῦ Τιμασίου γαμετήν. Ὃν στρατηγὸν δυνατὸν καὶ φοβερώτατον γενόμενον, εἰς τὴν κατ' αἴγυπτον ὄασιν ἀϊδίῳ φυγῇ ἐζημίωσε τυραννίδος ἐπαγαγὼν αἰτίαν. ἀλλ' ἐκεῖνος ἢ δίψει πιεζόμενος, ὥς τινος ἐπυθόμην, ἢ δεδιὼς μή τι χεῖρον ὑπομείνῃ ἐν τοῖς αὐτόθι ψάμμοις εἱλώμενος ἑυρέθη νεκρός. εὐτροπίου δὲ σπουδῇ τίθεται νόμος, προστάττων μηδαμῆ μηδένα εἰς ἐκκλησίαν καταφυγεῖν, ἐξελαύνεσθαί τε καὶ τοὺς ἤδη προσπεφευγότας. οὐκ εἰς μακρὰν δὲ ὡς εἰς τὴν βασιλέως γαμετὴν ὑβρίσας ἐπιβουλευθεὶς, πρῶτος αὐτὸς παρέβη τὸν νόμον, καὶ ἀποδρὰς ἐκ τῶν βασιλειῶν ἱκέτης τὴν ἐκκλησίαν κατέλαβεν ἡνίκα δὴ λαμπρόν τινα καὶ αὐτοῦ ὑπὸ τὴν ἱερὰν τράπεζαν κειμένου, κατέτεινε λόγον Ἰωάννης, τῶν μὲν ἐν δυνάμει τὴν ὀφρῦν κατασπῶν· τῷ δὲ λαῷ δεικνὺς ὡς οὐδὲν τῶν ἀνθρωπίνων ἐν ταὐτῷ μένειν φιλεῖ. οἱ, γε μὴν ἀπεχθανόμενοι πρὸς αὐτὸν, καὶ τοῦτο διέβαλλον, ὡς ἐλεεῖν δέον τὸν περὶ * κινδυνεύοντα, ἤλεγχεν, ἐπεμβαίνων ταῖς αὐτοῦ συμφοραῖς. ἀλλ' εὐτρόπιος μὲν, τῆς ἀσεβῆς ταύτης ἐπιχειρήσεως, ἀνέπλησε τὴν

δίκην

δίκην τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθεὶς, καὶ ὁ τεθεὶς νόμος ἄρδην ἐκ τῶν δημοσίων ὑπομνημάτων ἠφανίσθη. ἡ δὲ ἐκκλησία εὖ μάλα διέπρεπεν, ὡς τοῦ θεοῦ τιμωροῦ γενομένου ἐν τάχει τῶν καθ' αὐτῆς ἀδικημάτων, καὶ ταῖς περὶ τὸ θεῖον θεραπείαις, προθυμότερόν τε τότε μᾶλλον ὁ κωνσταντινουπόλεως λαὸς τοῖς ἑωθινοῖς καὶ νυκτερινοῖς ὕμνοις ἐχρῆτο κατὰ πρόφασιν τοιάνδε. *Hic enim, ut inter Imperatoris Eunuchos præcipuus erat: Ita & primus etiam & solus ex his, quos quidem nos vel cognovimus vel audivimus, ad eam dignitatem evectus fuit, ut & consulatum adipisceretur, & Imperatori Patris loco reputaretur, sed quia neque præsenti potentiæ impendentia, neque contingentes humanarum rerum vicissitudines considerabat, eos extrahere templis aggrediebatur, qui propter ipsum in his ad DEUM confugæ supplices hærebant: inprimis verò Pentadiam Timagii conjugem, quem quidem potentem ac strenuum ducem ille tyrannidis affectatæ condemnatum, perpetuo apud Oasin Ægypti exilio mulctarat. Sed ille quidem, sive quod siti defecerit, sicut a quodam accepi: sive quod veritus sit, ne quid sibi gravius accideret, arenis illic involutus repertus est mortuus. Eutropii verò curâ sancitur lex, præcipiens ne quis omnino ad Ecclesiam confugeret, & ut expellerentur etiam illi, qui ad eam jam confugerant. Non multò post autem ipse, quasi Imperatoris conjugem contumeliosè tractasset, ex insidiis impetitus primus ipse legem suam prævaricatus est, & ex palatio profugus ad ecclesiam supplex accurrit. Quo quidem tempore splendidam sane orationem adversus illum, sub mensâ sacrâ jacentem, Johannes habuit: tum ut*

potentum supercilia retunderet, tum ut populo declararet, quod humanarum rerum nihil in eodem statu durare soleat. Hoc igitur factum, qui illi succensebant, calumniabantur: quod eum, qui de vitâ periclitabatur, cum consolari debuisset, objurgarit, calamitatibus ejus insultans. Cæterum Eutropius impiæ audaciæ suæ pœnas dedit, cum capite truncatus sit. Et lex, quæ lata fuerat, ex publicis commentariis prorsus est erasa. Ecclesia porrò laudabiliter proficiebat, utp. cum DEUS ipse iniquitatis in illam intentatæ vindex in tempore fuerit. Itaque & cultu divino augebatur, multoque promtius ob hanc caussam populus Constantinopolitanus matutinis ac vespertinis hymnis utebatur.

XXXV. Superest *ἀσυλίας depravatio*, qvâ immunitas atque impunitas concessa sceleratissimis quibusvis, qui ad altare vel Ecclesiam confugerant. Quo factum, ut templa & altaria tandem degenerarent in receptacula furum, latronũ, adulteronũ & horum similium. Videtur autem abusus ille jam *August*. cœpisse ævo h. e. sec. V. Is enim repetit à Bonifacio hominem ab altari abstractum Excommunicationem ei minitans, ni restitueret: cùm tamen morte ille fuerit dignissimus, judice Bonifacio, illustri viro, &, ut apparet, satis probo. Augustini verba ad Bonifacium supra allata. Nunc cape responsum Bonifacii ad Augustinum, in quo, quod diximus, satis elucet. Sic verò habet: *Illum virum morte dignissimum, quem ut dixi, meus de Ecclesiæ foribus furor abstraxit, vitæ tuis jussionibus donamus illæsum. Agnosco culpas. Indignæ*

digna meæ lacrymæ jungantur tuis fletibus justis, quo possit hæc nota nigro scripta titione deleri. Ecclesiæ mihi introitus non negetur. Illic spero veniam, ubi admisi culpam. Oblatio vero domus meæ, ut tua sanctitas jussit, ad cœlestis regis mensam offeretur. Epist. CLXXXVIII. Tom. II. Oper. Augustini f. 807. Robur deinde pravæ huic consuetudini addidere Conciliorum quorundam canones, inprimis Concilii Aurelianens. I. A. C. 502. canon. 1. *Si homicida, adulter, aut fur ad Ecclesiam confugerit, nemini liceat eum vel ab Ecclesiæ atriis, vel à domo Episcopi abstrahere: nisi is, qui eum abducere volet, per sancta Evangelia juret, se in rei corpus aut vitam non sæviturum &c.* Tom. III. Concil. Illustrat. Per. III. Peric. VI. diatr. III. p. 634. quod etiam repetitum est in Jure Canonico c. 36. Id constituimus. Causs. 17. qv. 4. Canonibus istis velut cumulus accessere Pontificum Romanorum decreta, quibus ἀσυλία altarium ita depravata atque corrupta, ut non posset magis. Scripsit Innocentius III. Papa circa A. C. 1205. ad Regem Scotiæ inter alia in hanc sententiam: *neminem ab Ecclesiâ esse extrahendum, quantumvis GRAVIA maleficia perpetraverit*, decretal. de Immunitat. Eccles. c. 6. inter alia. Speciatim verò raptoribus ad aram confugientibus impunitas conceditur c. de raptoribus 3. causs. 36. qu. 1. quod Justiniani legibus planè contrarium. Sed de his & id genus aliis abusibus alibi commodius differetur. Vide interim Dn. *Mœbium* l. c. cap. VII. p. 73. seqq. & *Hospinianum* de Orig. Templor. lib. I. c. ult. f. 72.

CAPUT XVIII.

DE MINISTRIS ALTARIS SIVE DIACONIS.

I. Ministri altaris dicti Diaconi.
II. Diaconi etymon.
III. Ministrorum altaris nomen latè patet.
IV. Vocis Diaconi laxior significatio.
V. Diaconi Levitæ appellati.
VI. Diaconorum definitio.
VII. Divisio in Apostolicos & Ecclesiasticos.
VIII. Caussa Efficiens illorum Apostoli & fideles alii.
IX. Ecclesiastici Diaconi à quibus electi. Ostenditur â plebe etiam esse electos.
X. Consecrati autem à solis Episcopis.
XI. Diaconi Apostolici quales. quales item Ecclesiastici. hi debebant esse digni & literati. quinam non potuerint fieri diaconi. an digami etiam?
XII. Diaconorum Apostolicorum munus. Quid sit ministrare mensis Act VI, 2, 3.
XIII. An profanis tantùm mensis ministrarint?
XIV. Etiam sacris ministrasse, ostenditur.
XV. Refutatur argumentum in contrarium allatum
XVI. Respondetur ad alterum Voëtii. Philippus Evangelista. multitudo Evangelistarum.
XVII. Exceptio Voëtii diluitur.
XVIII. Ecclesiasticorum Diaconorum munia recensentur, cujusmodi erant: (1) Episcopis & Presbyteris adesse in S. cœnæ celebratione.
XIX. (2) Aquam in manus iis fundere. Manus abluebantur, facta oblatione.
XX. (3) Recensere nomi-

na & munera offerentium.
XXI. (4) Oblationes accipere & ad altare ferre.
XXII. (5) Flabello muſcas abigere.
XXIII. (6) Calicem & panem in S. menſa ponere.
XXIV. (7) Calicem Presbytero vel Epiſcopo tradere.
XXV. (8) Euchariſtiam diſpenſare & ad abſentes perferre.
XXVI. (9) Interdum etiam conſecrare.
XXVII. (10) Miniſtrare in Baptiſmo ſacerdotibus.
XXVIII. (11) Baptizandos diſcingere & exuere veſtibus. Nudi baptizabantur.
XXIX. (12) Baptizare etiam nonnunquam.
XXX. (13) Prælegere populo Evangelium,
XXXI. (14) & Patrum homilias.
XXXII. (15) Sermones ad populum interdum habere.
XXXIII. (16) Captivos viſitare, inſtruere, conſolari.
XXXIV. (17) Pœnitentes aliquando reconciliare.
XXXV. (18) Moderari ſacrarum actionum ritus. κηρύσσειν quid.
XXXVI. Moderabantur autem vel voce;
XXXVII. vel ſublatione manus;
XXXVIII. vel linteolo, quod Orarium dictum;
XXXIX. vel nutu.
XL. (19) Imperare ſilentium & attentionem.
XLI. (20) Imperare preces populo.
XLI. (21) Sacerdotem de precibus monere.
XLIII. (22) Reſpondere ſacerdotibus.
XLIV. (23) Preces fundere publicas.
XLV. (24) Imperare cantiones.
XLVI. (25) & flexionem genuum.
XLVII. (26) Jubere exire Catechumenos, Energumenos & pœnitentes. Miſſionis verba. poſtea Hypodiaconis id negotii datum.
XLVIII. (27) Jubere fores claudi.
XLIX. (28) Oſculum S indicere.

L.

L. (29) Vocare fideles ad S. Eucharistiam.
LI. (30) Fideles dimittere.
LII. (31) Ministrare Episcopis in conciliis.
LIII. (32) Petere Chrisma ab Episcopo.
LIV. (33) Tempore Tyrannorum, de loco & tempore conventuum sacrorum fideles monere.
LV. (34) Administrare bona Ecclesiastica.
LVI. (35) Altare portare, alia quoque recensentur ex Isidoro & Jure Canonico.
LVII. Forma διακονίας.
LVIII. Finis diaconorum, Diaconi Ecclesiæ potius fuerunt ministri, quàm Apostolorum.
LIX. Diaconi Ecclesiastici sacerdotum potius quàm Ecclesiæ fuerunt ministri.
LX. Divisio Diaconorum, posterioribus seculis. Diaconi alii majores, alii minores. Majorum nomina & munia. ἐξωτικατάκοιλοι. Archidiaconus. Primus inter minores, ejus partes quæ fuerint.
LXI. Adjuncta Diaconorum recensentur.
LXII. Ordinatio primorum Diaconorum, ejusque cum principium, tum modus.
LXIII. Ordinatio Ecclesiasticorum Diaconorum. Ordinabantur ab uno tantum Episcopo, idque gratis.
LXIV. Ordinandorum qualitas, ætas & promissa.
LXV. Ipsius ordinationis ritus sive modus.
LXVI. Ejusdem effectus. Ordinati Diaconi suum debebant obire munus.
LXVII. Ordinationis tempus.
LXVIII. Ejusdem proprietas sive terminus. Ordinatio non facta absolutè, sine titulo, sed ad certam Ecclesiam.
LXIX. Dignitas primorum Diaconorum.
LXX. Dignitas Ecclesiasticorum. Cæteris ministris & clericis superiores fuerunt, Sacerdotum ordini adscripti â veteribus, eorum insolentia.
LXXI. Diaconorum immunitas.

LXXII. Primorum veſtitus.
LXXIII. Eccleſiaſticorum habitus peculiaris, ſimplex initio, non pretioſus, nec verſicolor. eorum luxus in veſtitu prohibitus. Interdictum etiam iis habitu civili, & aperto per plateas ire capite, & velo humeros involvere. Eorum tunica Alba. Orarium quid fuerit Oſiander notatur. Orarii etymon & ſignificatio myſtica, itemque forma.
LXXIV. Diaconorum numerus.
LXXV. Conjugium Apoſtolicorum Diaconorum.
LXXVI. Nec Eccleſiaſticis conjugio prorſus interdictum.
LXXVII. Exempla Diaconorum maritorum & Epiſcoporum.
LXXVIII. Cognata. Cognatio Levitarum & Diaconorum.
LXXIX. Diaconiſſæ Apoſtolicæ.
LXXX. Diaconorum autem & Diaconiſſarum cognatio, earumque miniſterium.
LXXXI. Diaconiſſarum ordinatio.
LXXXII. Ordinandarum & eligendarum ætas.
LXXXIII. Earundem conjugium improbatum.
LXXXIV. Habitatio illarum.
LXXXV. Et dignitas. An Laicis fuerint annumeratæ?
LXXXVI. Numerus earum.
LXXXVII. Oppoſita. Pœnæ Diaconorum civiles & Eccleſiaſticæ.

§. I.

MIniſtri altaris vocati *Diaconi*, *κατ' ἐξοχὴν*, quia præcipui inter miniſtros fuere. *Cyprianus* lib. II. epiſt. I. ad Stephanum f. 30. *Oportet ſacerdotes & miniſtros, qui altari & ſacrificiis deſerviunt, integros atq; immaculatos eſſe.* Ambro-

Ambrosius serm. II. in Psalm. CXVIII. Tom. IV. Oper. 606. *Si vero incuriosus ac remissus aliquis fabri textoris medici spiritualis locum occupet, ut sacerdos summus, ut Presbyter, ut minister altaris sacri: nonne commodius est, non subire unumquemque id muneris, quod implere non queat, quàm subeuntem neque ipsum strenue suscepto fungi munere & eripere locum alteri, qui naviter eum possit tueri?* Prudentius περὶ στεφ. hymn. V. de Vincentio p. 104.

Exclamat hîc Vincentius,
Levita de tribu sacra,
Minister altaris DEI,
Septem è columnis lacteis.

II. Atque ut *Minister* Latinis à *ministrando*, ita διάκονος ἀπὸ τοῦ διακονεῖν Græcis eadem significatione appellatur. *Fungerus* Lexic. Etym. p. 245. cum *Eustathio* longius istius vocis arcessit natales, nempe ἀπὸ τῆς κόνιδος *à pulvere*, unde & κονεῖν, quod est *in pulveribus desudare*. Ut adeo διάκονος idem sit qui μέχρι τῶν κονιῶν κονέων *usque ad sudores pulverulentos desudans*. Non præterit hoc etymon *Varinus Phavorinus* voce διακόνου, sed addit aliud, quod præferre videtur. Nimirum διάκονος ei dicitur παρὰ τὸ διενέγκω quasi διαένοκος, per ὑπερβιβασμὸν, διαέκονος, & per κρᾶσιν sive contractionem τοῦ ε & α in α longum, διάκονος, ὁ διαφέρων τὰ κελευόμενα, *jussa perferens, ad alios*, instar vivæ epistolæ. An opus sit ejusmodi ambagibus, Philologi judicent. *Eu-*

stathius

ſtathius autem nobiscum non videtur pugnare, quando is remotius fortè ſpectavit etymon; nos autem proximum.

III. Etſi verò miniſtri altaris, ſignificatione *adſtrictâ*, iidem fuerunt, qui *diaconi; laxe* tamen cùm miniſtrorum, tum diaconorum, nomen aliis etiam impoſitum legimus. *Irenæus* lib. IV. adv. Hæreſ. cap. XX. f. 336. *Omnes Domini Apoſtolos ait ſemper altari & DEO ſervire.* Cyprianus quoque l. c. *ſacerdotes altari & ſacrificiis deſervire* ſcribit, quod quid aliud eſt, niſi eſſe miniſtros altaris? Atque ita forte intelligendus ille locus *Ambroſii* lib. I. Offic. cap. L. Tom. I. f. 31. *Qui videt miniſtrum altaris congruis ornatum virtutibus, auctorem prædicet & Dominum veneretur, qui tales ſervulos habeat.*

IV. Similiter uſurpata vox *Diaconi* etiam in ipſo N. T. eſt, ita ut *latè quemvis miniſtrum*, ſive ſacrum ſive profanum ſignificet. Sic *διάκονοι* dicti *miniſtri regis*, qui pœnas ſumſerunt de eo, qui non indutus erat veſte nuptiali Matth. XXII, 13. *nuptiarum miniſtri* Joh. II. 5. 9. *magiſtratus* Rom. XIII, 4. *Pſeudo apoſtoli* 2. Corinth. XI, 15. *Apoſtoli* 1. Corinth. III, 5. 2. Corinth. III, 6. VI, 4. XI, 5, 23. Eph. III, 7. Coloſſ. I, 23, 25. Ipſeque *Chriſtus* Rom. XV, 8. alii item *verbi miniſtri* 1. Theſſ. III, 2. 1. Timoth. IV, 6. &c. Hinc *Chryſoſtomus* homil. I. in Philipp. I. f. 1204. Τότε γὰρ τέως ἐκοινώνουν τοῖς ὀνόμασι· καὶ διάκονος ὁ ἐπίσκοπος ἐλέγετο. διὰ τοῦτο γράφων Τιμοθέῳ ἔλεγε, τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον, ἐπισκόπῳ ὄντι.

ὄντι. *Tunc nomina adhuc erant communia: atque ipse etiam Episcopus vocabatur Diaconus. Idcirco ad Timotheum scribens inquit, Diaconiam, id est ministerium tuum imple, quum tamen ille Episcopus esset.* Et postea: οἱ πρεσβύτεροι τὸ παλαιὸν ἐκαλοῦντο ἐπίσκοποι, καὶ διάκονοι τοῦ χριστοῦ. ὅθεν καὶ νῦν πολλοὶ συμπρεσβυτέρῳ ἐπίσκοποι γράφουσι καὶ συνδιακόνῳ. *Antiquitus Presbyteri vocabantur Episcopi & Diaconi Christi. Quo circa vel hodie multi Episcopi ita scribunt Compresbytero & Condiacono.*

V. Cæterum qui *strictâ* vocis significatione vocati διάκονοι, sive *ministri altaris* fuerunt, iidem & *Levitæ* veteribus identidem dicti. *Cyprianus* lib. I. ep. IX. ad Clerum & plebem Furnitanorum f. 25. *Neque enim ad altare DEI meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros suos Levitas avocare voluit.* Ambrosius Officior. lib. I. cap. L. Tom. I. Oper. f. 31. *Vos Levitas oportet terrenis non teneri cupiditatibus.* Concil. Carthag. III. cap. IV. *Ut Levitæ & virgines ante viginti quinque annos non consecrentur.* Tom. III. Concil. Illustr. Period. II. Peric. IV. Diatr. 134. p. 368. *Prudentius* hymn. II. περὶ στεφ de S. Laurent. v. 38.

Hic primus è septemviris,
Qui stant ad aram proximi,
Levita sublimis gradu &c.

Salvianus lib. II. *Parum est successoribus Apostolorum, i. e. Levitis & sacerdotibus tanta divinarum*

rerum

verum administratione fungentibus, si ipsi tantum divites fuerint. Auctor Quæst ex utroque Test. qv. CI. Tom. IV. Oper. August. f. 779. Diaconos Romanos vocat *Levitas Romanos.* Sic enim quærit: *quomodo contra Levitas Romanos disceptandum sit, qui contendunt, Levitas sacerdotibus, & Diaconos Presbyteris coæquare?* Auctor libri de VII. Ordinibus Ecclesiæ qui Hieronymo tribuitur, Tom. IV. Oper. f. 82. Diaconos identidem Levitas appellat, ut: *Levitæ inferunt oblationes in altari, Levitæ componunt mensam Domini, Levitæ cum sacerdotibus dum sacramenta benedicuntur assistunt* &c. Arator Histor. Apost. lib. I. p. 583.

Jura ministerii sacris altaribus apti
In septem statuere viros, quos undique lectos
Levitas vocare placet. &c.

VI. Quid autem fuerint Diaconi sive ministri altaris, explicatu est difficile, ob diversitatem officiorum, diversis temporibus illis demandatorum. In eo tamen convenisse videntur omnes, sive Apostolico ævo, sive sequentibus seculis vixerint, quod fuerint PERSONÆ ECCLESIASTICÆ, AUCTORITATE ECCLESIÆ CONSTITUTÆ, UT EI MINISTRARENT IN IIS, QUÆ IPSI ECCLESIÆ ANTISTITES SIMUL CUM DOCENDI MUNERE VEL ALIIS IMPEDITI REBUS COMMODE OBIRE NON POTERANT.

RANT. Atque ita generatim definiri mihi poſſe videntur Diaconi.

VII. Cumque alia eorum ratio fuerit ævo Apoſtolico, alia ſequentibus ſeculis: ideò non incommodè in duo quaſi genera diſpeſci poſſunt: quorum alterum vocare placet *Apoſtolicum*, quia Apoſtolos habuit auctores; alterum *Eccleſiaſticum* (voce hâc in arctiori ſignificatione intellectâ,) quia ab Eccleſiâ, Apoſtolos inſecutâ, inſtitutum fuit. Nec novum prorſus hoc loquendi genus, cum jam *Balſamon* not. in Can. Concil. Nicæn. Oecum. XVIII. *τῶν ἐκκλησιαστικῶν διακόνων Eccleſiaſticorum Diaconorum* mentionem fecerit, in Pandect. Canon. Tom. I. f. 80.

VIII. Diverſa igitur Diaconorum CAUSSA EFFICIENS fuit, pro diverſa eorum ratione. *Prima* quidem utriusque generis DEUS eſt, tanquam omnis boni ordinis auctor 1. Corinth. XIV, 33. At *ſecunda*, quam particularem vocant, alia eſt Apoſtolicorum, alia Eccleſiaſticorum Diaconorum. *Illorum* cauſſa efficiens *Apoſtoli* ſunt: nec tamen ſoli, ſed & *diſcipulorum & fidelium multitudo*. Hi quidem ratione electionis & præſentationis, ut vocant Act. VI, 5. illi verò ratione confirmationis & conſecrationis Act. VI, 6. *Occaſionem* ſuppeditavit murmur Helleniſtarum ſive Græcorum ad Chriſtum converſorum, querentium, *viduas* ſuas *deſpici in miniſterio quotidiano* Act. VI, 1. id eſt minus accipere, quàm mulieres in Judæa natas, inter-

terprete *Grotio.* Ut igitur hæ querelæ tollerentur, constituti Diaconi sunt, qui, cum Apostoli non amplius essent ferendo isti oneri, curarent bona Ecclesiastica, de iisque omnibus, quantum oporteret, prospicerent.

IX. Proximis post Apostolos temporibus, Diaconi non tam à *plebe*, quam ab *Episcopis* electi sunt, interdum consultâ, interdum inconsultâ, plebe. Illud *Cyprianus* ostendit initio epist. V. ad clerum & plebem lib. II. f. 42. istis verbis: *In ordinandis clericis, fratres charissimi, solemus vos ante consulere, & mores ac merita, singulorum communi consilio ponderare.* Ubi etsi non dicit se clerum & plebem consulere solere in ordinandis *omnibus* clericis; tamen quia h. l. de Lectore à se ordinato, non rogatis cleri plebisque testimoniis, verba facit, ideò probabile omnino est, eum, qui in ordinandis lectoribus, qui Diaconis inferiores sunt, clerum & populum consulere solitus est, idem multò magis fecisse in ordinandis Diaconis, qui Lectoribus superiores fuere. Atque ita *Athanasium* constitutum fuisse Diaconum, ipsa fere phrasis, quá *Socrates* utitur, me credere jubet. Ait enim, Alexandrum Alexandriæ Episcopum, Athanasium, cum adolevisset, χειροτονῆσαι διάκονον i. e. *per suffragium populi creasse Diaconum*, Hist. Eccl. lib. I. cap. XV. f. 182. a. Nam ita dictionem istam usurpari cùm divinis tum Ecclesiasticis scriptoribus, prodidit *Justellus* not. in Can. Eccl. Univers. f. 85. At non semper expetita populi

 fuisse

fuiſſe teſtimonia, ſatis perſpicue videre eſt ex Canone XXIV. Concil. Hipponenſ. Cujus verba ita habent: *Ut nullus ordinetur clericus, niſi probatus vel Epiſcoporum examine vel populi teſtimonio*, Concil. Illuſtr. Tom. III. Period. II. Peric. IV. diatr. 129. p. 360. Idem docet *Hieronymus* epiſt. ad Ruſticum monachum de vivendi formâ Tom. I. Oper. f. 47. *Cum ad perfectam ætatem veneris, ſi tamen vita comes fuerit, & te vel populus, vel pontifex civitatis in clerum elegerit: agito, quæ clerici ſunt.* Quod ſi vel populus vel pontifex civitatis clericos elegit; ergo non ſemper populus elegit; elegit tamen interdum, etſi non ſemper; ut adeò ab electione eum prorſus hîc excludere nolim cum *H. Grotio* Comm. de Imperio ſumm. poteſt. circa ſacra cap. X. p. 253. *Chryſoſtomus* populum ſuâ ætate ab electione Diaconorum excluſum, non obſcure innuit, ſed non probat. Interpretaturus enim verba Apoſtolorum, quibus fratres jubent eligere viros ſeptem εἰς διακονίαν Act. VI, 3. hæc ſubjicit homil. XIII. in Act. f. 550. οὐκ οἰκείᾳ γνώμῃ πράττουσιν, ἀλλὰ (πρότερον) ἀπολογοῦνται τῷ πλήθει. οὕτω καὶ νῦν γίνεσθαι ἔδει. *Non propriâ ſententiâ faciunt, ſed prius rationem reddunt multitudini. SIC ET NUNC FIERI OPORTEBAT.* Quum ait, *ſic & nunc fieri oportere*, idem nempe, quod fecere in conſtituendis Diaconis Apoſtoli, nemo non intelligit, probari ei rationem conſulendi populum in conſtituendis Diaconis: quippe Apoſtoli eundem conſuluerunt. At quum Imper-

perfecto utitur, *ἔδει oportebat*, hoc ipso innuere videtur, suo tempore morem obtinuisse contrarium. Ita enim loqui solemus, quum aliquid probamus quidem, sed moris nunc non esse, significare volumus. Neque vero solus ego aut primus ita de electione Diaconorum sentio. Jam *Balsamonis* tempore id est seculo XII. quosdam ita de eâdem docuisse video. Sic enim ille not. in Can. III. Concil. Nicæn. II. *ἕτεροι εἶπον, ὅτι τὸ παλαιὸν αἱ ψῆφοι παρὰ τοῦ δήμου ἐγίνοντο, καὶ ἐψηφίζοντο οὐ μόνον ἐπίσκοποι, ἀλλὰ καὶ πρεσβύτεροι καὶ διάκονοι. Alii dicebant quod antiquitus electiones fiebant à populo, & eligebantur non solum Episcopi, sed etiam Presbyteri & Diaconi.* Quod tamen sublatum postea Concil. Nicæn. II. can. III. est, ubi Patres decernunt, *πᾶσαν ψῆφον γινομένην παρὰ τῶν ἀρχόντων, ἐπισκόπου ἢ πρεσβυτέρου ἢ διακόνου ἄκυρον μένειν, Omnem electionem Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, quæ fit à magistratibus, irritam manere*, Pandect. Canon. Tom I. f. 288. Sed nimis iniquè.

X. Fuerunt igitur post Apostolorum tempora Diaconorum Ecclesiasticorum, ratione *electionis & probationis*, caussæ efficientes partim Episcopi, Presbyteri, cæterique clerici, partim etiam plebs, jure saltem, si non semper facto; at ratione *ordinationis* fuerunt *soli Episcopi* quatenus à Presbyteris per illa tempora fuere, ordinis gratiâ, distincti. Sic enim *Hieronymus* Epist. 85. ad Evagrium Tom. II. f. 329. *Quid facit, exceptâ ordinatione, Episcopus, quod Presbyter*

non faciat? Et *Chrysostomus* in I. Tim. III. homil. XI. f. 1574. ἃ περὶ ἐπισκόπων εἶπε, ταῦτα καὶ περὶ πρεσβυτέρων ἁρμόττει. τὴν γὰρ χειροτονίαν μόνην αὐτῶν ἀναβεβήκασι, καὶ τοῦτο μόνον δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους. *Quæ de Episcopis dixit* (Apostolus) *eadem Presbyteris congruunt: solâ quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum plus, quam Presbyteri, habere videntur.* Ergo ordinatio solius Episcopi opus erat. Eâdem disertè interdictum Chorepiscopis. Concilii Ancyrani canone XIII. (A. C. 314.) sancitur, χωρεπισκόποις μὴ ἐξεῖναι πρεσβυτέρους ἢ διακόνους χειροτονεῖν, *Chorepiscopis non licere, Presbyteros aut Diaconos ordinare*, Tom. I. Concil. Surii f. 296. idem repetitum Concil. Antiochen. can. X. est (A. C. 341.) Tom. I. Conc. Surii f. 403. Ordinabatur autem Diaconus, sicut & Presbyter & reliqui clerici ab uno tantum Episcopo, ex canone II. eorum, qui Apostolis adscribuntur, cujus verba hæc sunt: πρεσβύτερος ὑπὸ ἑνὸς ἐπισκόπου χειροτονείσθω, καὶ διάκονος, καὶ οἱ λοιποὶ κληρικοί. *Presbyter ab uno Episcopo ordinetur, & Diaconus & reliqui clerici*, Pandect. Can. Tom. I. f. 1.

XI. Quod ad MATERIAM attinet, gemina hîc inprimis observanda venit, in quâ, & circa quam. Illam *Subjectum*, hanc *Objectum* Philosophi appellant. SUBJECTUM διακονίας *Apostolicæ* erant viri μαρτυρούμενοι πλήρεις πνεύματος ἁγίου καὶ σοφίας, *bono ornati testimonio, pleni Spiritu S. & Sapientiâ* Act. VI. 3. 5. Ad *Ecclesiasticam*

cam ſimiliter requirebantur viri digni & literati, non generis, ſed virtutis habitâ ratione. Sic veterum ab *Arſenio Monacho* collecti canones volunt can. 41. καὶ τὸ μὴ εἶναι ἀγράμματόν τινα τούτων (πρεσβυτέρων καὶ διακόνων) καὶ μὴ κατὰ γένος τὰς χειροτονίας γίνεσθαι ἀλλὰ κατ' ἀξίαν, *haud quenquam horum* (Presbyterorum & Diaconorum) *illiteratum eſſe, nec ſecundum genus, ſed ſecundum meritum ordinationes fieri*, Tom. II. Bibl. Juſtell. f. 758. *Juſtinianus* etiam in Novellis vult, τὸν χειροτονούμενον κληρικὸν ἄμεμπτον καὶ γραμμάτων ἔμπειρον εἶναι, *Clericum qui ordinatur, vel eligitur, expertem eſſe reprehenſionis & literarum peritum*, Novell. VI. c. 4. & Novell. CXXIII. c. 12. confer *Annibalis Fabroti* notas ad Theodori Balſamonis Conſtit. Eccleſ. Collectionem lib. III. Tit. I. Tom. II. Bibl. Juſtell. f. 1415. Non contentus hiſce Autor libelli de dogmatibus Eccleſiaſticis, qui *Auguſtino* vulgo tribuitur, plura requirit in eo, qui vult fieri clericus, cap. 72. Tom. III. Oper. Auguſtin. f. 207. Ait enim, *Maritum duarum poſt baptiſmum matronarum clericum non ordinandum. neq; eum, qui unam quidem, ſed concubinam, non matronam habuit. nec illum, qui viduam, aut repudiatam, vel meretricem in matrimonio ſumſit, neque eum, qui ſemetipſum quolibet corporis ſui membro indignatione aliquâ vel juſto injuſtove timore ſuperatus truncaverit. neq; illum, qui uſuras accepiſſe convincitur, aut in ſcenâ luſiſſe dignoſcitur. neque eum, qui publicâ pœnitentiâ mortalia crimina deflet. neq; illum, qui aliquando in furiam verſus inſanivit, vel*

afflictione diaboli vexatus est. nec eum, qui per ambitionem ad imitationem Simonis Magi pecuniam offert. Hactenus ille. Verum hæc maximam partem ex epistolis Pontificum Romanorum sunt excerpta. Pauca cum Conciliorum & SS. Patrum decretis consentiunt. Eunuchos tamen eosque sponte factos excludit Concilium Arelatense II. can. VII. Tom. IX. Concil. edit. Paris. f. 431. & Concil. Nicænum Can. I. Tom. IV. Concil. edit. Paris. f. 443. quâ de caussâ & Leontius Presbyterio privatus est, teste *Socrate* lib. II. Hist. Eccl. cap. 26. f. 202. b. λεόντιος ἡνίκα πρεσβύτερος ἦν, ἀφῃρέθη τῆς ἀξίας, ὅτι τῶν γεννητικῶν ἐξέτεμεν ἑαυτόν. *Leontius cum Presbyter esset, eo dignitatis gradu privatus est, quod genitalia sibi excidisset.* Idem de eodem refert *Theodoritus* lib. II. cap. 24. f. 308. Admissi tamen per Canonem Nicænum illi sunt Eunuchi, qui non sponte nec voluntate, sed vi & necessitate à barbaris aut dominis excisi sunt. Atque ita τίγριος βάρβαρος τὸ γένος, οὐκ ἐκ γενετῆς εὐνοῦχος, μετισχὼν ἐλευθερίας, εἰς πρεσβυτέρου ἀξίαν προελθών, *Tigrius quidam natione barbarus & Eunuchus, sed non à nativitate, libertatem consecutus, ad Presbyterii dignitatem est evectus,* ut scribit *Sozom.* lib. VIII. cap. 24. f. 115. a. Plura de Eunuchis vide in *Justelli* notis ad Codicem Can. Eccl. Univers. Tom. I. Bibl. f. 69. Præterea & arreptitii, ut vocantur, sive Energumeni, à Clericorum ordine removentur canone XVI. Concil. Arausi. I. Tom. VII. Conc. edit. Paris. f. 277. & can. XLI. Concil. Arelat. II.

Tom.

Tom.IX. Conc. ed. Par.f.437. Ii item, qui post religionis professionem ad seculum rediere canon.XXV. Concil. Arelat. II. l. c. f. 434. nec non neophyti, id est, nuper conversi nec satis dum in fide confirmati, quos Diaconos fieri noluit Concil. Arel. II. can. I. l.c. His Imperator Novell-cit. addit eos, qui sunt ἐκ ταξεωτῶν ἢ βουλευτῶν *ex apparitoribus aut curialibus* s. ex cohorte aut curia, item δεύτερον γάμον ἢ παλλακῇ συνοικήσαντα, ἢ γυναῖκα ἔχοντα μὴ ἐκ παρθενίας αὐτῷ συναφθεῖσαν, *eum qui secundas contraxerit nuptias, vel qui cum concubinâ contubernium habuerit, aut qui uxorem habeat, qui à virginitate cum ipso copulata non fuerit.* Vide *Balsamonis* Constit. Eccles. Collect. lib. III. Tit. I. Tom. II. Bibl. Justell. f. 1316. Quod de Digamis seu potius deuterogamis præcipit, in eo consentientem habet S. *Hieronymum* lib. I. advers. Jovin. Tom. II. Oper. f. 28. ubi hæc legas: *Quam sancta sit Digamia, hinc ostenditur, quod Digamus in clerum eligi non posst.* Equidem non contradicerem, si vel illa hîc διγαμία intelligeretur, quâ quis δύο ἔχει κατ' ταυτὸν γυναῖκας, binas simul habet uxores; vel ista, quâ quis priore conjuge sine legitimo repudio dimissâ, alteram ducit. Utraque enim cum adulterio conjuncta est, docente Christo Matth. XIX,9. At verò eum etiam Digamum seu potius deuterogamum ab Ecclesiastico honore exclusum velle, qui morte prioris conjugis soluto matrimonio secundas nuptias contrahit, hoc certè iniquum mihi videtur. Insedit quidem

X 5 non-

nonnullorum animis ista opinio, secundas ejusmodi nuptias, quas modò descripsimus, etiam ab Apostolo notatas esse 1. Tim. III, 2. atque ita nominatim sentiunt ex veteribus *Tertullianus* lib. I ad uxorem cap. 7. Et *Epiphanius* hæres. 59. è Reformatis *Johannes Pricæus*, Anglus, annot. ad h. l. f. 773. è Pontificiis *Justinian.* in h. l. *Bellarmin.* lib. I. de Clericis cap. 23. Tom. I. Oper. Part. II. f. 383. seqq. cæterique ejus gregis ferè omnes. Verum contrarium jam luculenter cum *Justello* not. in cod. Canon. Univers. Eccl. Tom. I. Bibl. f. 83, 84, 85. demonstravit B. noster *Müllerus* dissertatione singulari de non ordinandis Digamis, patrocinio conjugii clericorum subjectâ p. 66. seqq. & postea noster *Siricius* in Episcopo suo deuterogamo. Et quamvis olim in nonnullis fortè Ecclesiis tertii generis Digamis seu potius deuterogamis interdictum fuerit honore ecclesiastico; tamen nec divini juris, nec Ecclesiæ Catholicæ ista fuit sanctio & consuetudo, quin contrarium alibi obtinuisse, ipse ille, qui contra digamos, pugnat, *Tertullianus* testatur, cum in Montani delapsus hæresin Catholicis suæ ætatis tanquam crimen objecit: *Quot & ex digamia præsident apud vos?* lib. de Monog. cap. XII. Quod si igitur Præsides Ecclesiarum alicubi Digami fuerunt in veteri Ecclesiâ, cur non admissos etiam id genus fuisse Diaconos interdum crederemus?

XII. De *materiâ* nunc dicendum, quam tractarunt Diaconi, sive *circa quam* occupati fuerunt.

runt. Et distincte quidem de illâ dicendum, quoniam non, quæ Ecclesiasticorum, eadem & Apostolicorum Diaconorum munia fuerunt. *Apostolicorum* munus explicat Lucas in Actis, inprimis cap. VI. ubi id Diaconis demandatum fuisse memorat, quod per se obire commode Apostoli non poterant, ut nempe *ministrarent mensis*, comm. 2. & 3. Quid autem fuerit διακονεῖν τραπέζαις sive *ministrare mensis*, cum ex hoc ipso capite, tum ex aliis discendum est. Fideles initio habuisse ἅπαντα κοινὰ sive *omnia inter se communia*, ex cap II, 44. constat, & cap. IV, 32. quippe vendebant possessiones suas, II, 45. agros domosque, collectamque inde pecuniam deponebant ad pedes Apostolorum. Inde suppeditabatur cuique, quantum opus erat, ut nemo egens inter eos esset, IV, 34, 35. Qui autem suppeditabant, haud dubie Apostoli erant; quando ejus fuit erogare pecuniam, qui acceperat. Et acceperant Apostoli, quibus allata & ad quorum pedes eadem fuit posita IV, 35, 37. V, 2. Postea autem querelæ ortæ Hellenistarum adv. Hebræos, viduas suas querentium despici in ministerio quotidiano, id est, contemni ideo, quod iis non subministrentur omnia, quæ quidem oportebat, perinde ut Hebræis (eam enim h. l. esse phraseos istius vim, non aliam, planum fecit magnif. Dn. *Tribbechovius* Exerc. ad Annal. Baron. V. sect. VI.) Quod cum audissent Apostoli, qui tunc simul erant œconomi, habitâ concione dixerunt, sibi non placere, re-

licto

licto DEI verbo sive docendi munere *ministrare mensis.* Eligendos ad id munus in posterum obeundum alios esse Act.VI, 1, 2, 3. *ministrare* ergo *mensis* idem fuit, quod dispensare accepta bona, in commune à fidelibus collata. Quod onus cum ab Apostolis in Diaconos devolutum postea esset, nemo non intelligit, quid tractarint primi illi Diaconi ab Apostolis constituti. Nempe bona Ecclesiastica administrarunt eademque erogarunt in usus non tantum pauperum & viduarum, sed reliquorum etiam fidelium.

XIII. Quid verò, inquies? An *profanis* tantùm mensis ministrarunt primi Diaconi? Annon etiam *sacris*? Prius certè probabile visum Patribus CLXV. Synodi Trullanæ canone 18, aliis 14, aliis 16, cujus sententiam *Alexius Aristinus* his expressit verbis: γινωσκέτω ὁ λέγων ἑπτὰ διακόνους εἶναι, κατὰ τὸ εἰρημένον ταῖς πράξεσιν, ὅτι οὐ περὶ τῶν διακονούντων τοῖς μυστηρίοις ὁ λόγος, ἀλλὰ περὶ τῶν ταῖς τραπέζαις ὑπηρετούντων. *Qui dicit septem Diaconos esse juxta id quod in actibus dictum est, sciat, non de iis, qui mysteriis deserviunt, sed de iis qui mensis ministrabant, sermonem esse*, in Synopsi Canorum f. 699. adde *Symeon.* Magistri & Logoth. epit. Canon. f. 743. Bibliothecæ Justellianæ. Laudatur in hanc sententiam ni ipso Canone *Chrysostomus* Tom.IV. Concil. Illustr. p. 39. eandem etiam propugnat è Pontificiis *Cajetanus* in Act. VI. Et *Marc. Anton. de Dominis* de Rep. Eccl. lib. II. cap. 5. è Reformatis *Gisb. Voëtius* Polit.

lit. Eccles. Part. II. lib. II. Tr. III. cap. VIII. qv. III p. 498. seqq. *Aretius* Comm. in Act. VI. f. 55. & alii.

XIV. Contra *sacris* etiam *ministrasse mensis*, non tantùm profanis, existimat *Cornel. à Lap.* in h. l. idque compluribus argumentis probare conatur *Baronius* A. C. XXXIV. n. 280. Amplectitur hanc sententiam etiam è nostris Dn. D. *Tribbechovius*, raræ eruditionis Theologus l. c. Sed in *Baronii* rationibus pondus desiderat, idque non immeritò. Videantur ejus Exercitationes: Dignissimæ enim lectu sunt; nec dubitatio supererit. Illud tamen suadere videtur Diaconorum circa sacras mensas ministerium, quod nullo comitante Presbytero ad exteras gentes missi fuerint, iisque Evangelium tradiderint, baptismi etiam gratiam impertierint, ut videre est in Philippo, qui erat unus ex septem Act. VIII, 6. 12. 26. 35. 38. 40. At qui docendi munus publicum obit, auctoritate publicâ, dignosque baptismi sacramento initiat, ille omnino & sacramentum Eucharistiæ administrare posse videtur, administrare quoque, si opus sit. Ministerium enim Sacramentorum ministerio verbi annexum esse, ex Matth. XXVIII, 19. rectè concludit *Voëtius* loc. cit. p. 505.

XV. Restat, ut quid contra disputetur, videamus. *Primo* ajunt, præteritionem viduarum in ministerio quotidiano, de ministerio sacrarum mensarum non posse intelligi: quia alias consequens foret, Eucharistiam viduis non subministratam. Verùm quid hîc magnopere pro-

proficiant, non intelligo. Primo immotum manet Diaconorum circa mensas sacras ministerium, ex ratione modò allatâ, etiamsi ministerium quotidianum de ministerio altaris intelligi non posse fateamur. Neque enim necesse est, ut, cum una pars officii diaconorum declaratur, in eadem simul altera, vel cæteræ intelligantur. Deinde istis verbis tantum occasio describitur, quæ movit Apostolos ad constituendos diaconos. At non opus est, ut, ubi occasio exponitur constituendi ministrum, ibidem etiam omnia ejusdem munia explicentur, cum sufficere possit, vel unam attigisse officii partem. Præterea confunduntur diversæ quæstiones, nempe, an Diaconi primi circa mensas sacras etiam occupati fuerint? &, an ministerium mensarum sacrarum cap. VI. Act. institutum sit? Illud nos h. l. quærimus; hoc autem in animo habuisse videntur ii, qui hoc Actuum caput in contrarium afferunt. Mihi quidem salvum hoc Diaconorum officium videtur, licet de eo nihil haberi concedatur in eo loco, ubi ipsorum institutio memoratur. Nam & ministerium Ecclesiæ institutum Joh. XX, 21. Matth. XXVIII, 19. 20. Marc. XVI, 15. nec tamen in his locis omnes ministerii illius partes expositæ sunt. Denique (ut alia nunc omittamus) nulla consequentia est: viduæ sunt præteritæ in ministerio altaris; Ergo in participatione Eucharistiæ? Nulla, inquam, consequentia: quia de altari sive Sacris mensis dispensata non tantum Eucharistia, sed etiam Eulogiæ sive portiones panis & vini, quæ super-

pererant ex liberali oblatione fidelium. Atque hoc illud ipſum eſt, quod ad hoc argumentum inprimis reſpondendum eſſe exiſtimavit laudatus *Tribbechovius* l.c.

XVI. Deinde *Voëtius* ad noſtræ ſententiæ argumentum diluendum affert illud, quod Philippus dicatur *Evangeliſta* Act. XXI, 8. aut igitur ex Diacono factum eſſe Evangeliſtam, aut extraordinario modo à DEO per angelum vocatum. Sed nec hoc noſtram ſententiam infirmat. Nam Philippus non tantùm Evangeliſta dicitur, verùm etiam unus ex ſeptem, ſive, quod eodem recidit, Diaconus Act. XXI, 8. conf. Act. VI, 3. 5. Nec Diaconus eſſe deſiit, quum nomen adeptus Evangeliſtæ eſt. Nam quo loco Evangeliſta vocatur, eodem etiam ſimul dicitur ὢν ἐκ τῶν ἑπτὰ *ex illis ſeptem eſſe*, non fuiſſe: in tempore præſenti, non præterito, ut ſignificetur, eum, qui eſt Evangeliſta, adhuc eſſe unum ex illis ſeptem. Ac proinde non eſt factus ex Diacono Evangeliſta, quod *Voetius* voluit; ſed Diaconus factus eſt Evangeliſta ſive διάκονος εὐαγγελιστὴς, idque docendo paſſim Evangelium de Chriſto. Extraordinario modo à DEO per angelum vocatum, concedo. Verum non ad tradendam demum doctrinam Evangelii & ſacramenta adminiſtranda generatim: quippe jam ante Samaritanis prædicaverat Chriſtum Actor. VIII, 5. eosdemque baptiſmi participes fecerat, comm. 12.; ſed ad convertendum & baptiſmo initiandum Eunuchum Reginæ Candaces ſpeciatim, comm.

,26.

26. seqq. Nec deniq; ideò prædicavit Evangelium de Christo, quia Evangelista dictus; sed ideò Evangelista dictus, quia prædicavit Evangelium de Christo. Evangelistæ enim dicti non strictè tantum illi quatuor, qui historiam Evangelii literis prodiderunt; sed latè etiam illi, qui Evangelium de Christo passim docuerunt. Ita Diaconus Philippus Evangelista dictus l.c. ita Episcopus Timotheus facere jubetur opus Evangelistæ 2. Tim IV, 5. ita cæteri, qui Evangelium de Christo longè latèque disseminarunt, Evangelistæ appellati, quorum tanta exstitit multitudo, ut *Eusebius* nominatim cunctos percenseri posse neget. ἀδυνάτου δ᾽ ὄντος ἡμῖν ἅπαντας ἐξ ὀνόματος ἀπαριθμεῖσθαι ὅσοι ποτὲ κατὰ τὴν πρώτην τῶν ἀποστόλων διαδοχὴν ἐν ταῖς κατὰ τὴν οἰκουμένην ἐκκλησίαις γεγόνασι ποιμένες ἢ καὶ εὐαγγελισταί &c. scribit Eusebius Hist. Eccl. lib. III. cap. 37. f. 30. b. h.e. *Quoniam impossibile nobis est, ut ex nomine cunctos recenseamus, qui & quando in prima post Apostolos successione in Ecclesiis per orbem sparsis pastores fuerint & Evangelistæ* &c.

XVII. At Philippus, etiamsi vel maxime Evangelista pariter ac Diaconus fuerit, tamen non docuit aut baptismum administravit *ut Diaconus*, sed *ut Evangelista.* Ita sanè *Voëtius* distinguit. Quam accuratè, nunc videbimus. Philippum non ut Diaconum, sed ut Evangelistam Evangelium prædicasse & sacramenta administrasse docet. Ponit ergo principii loco, Evangelii prædicationem & sacramentorum administratio-

ſtrationem Diaconi non eſſe. At hoc ipſum eſt, de quo jam quæritur & diſceptatur; quod certè ſi pro principio vel fundamento ſumeretur, neſcirem tandem quid eſſet τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖσθαι ſ. principium petere, ſi hoc non eſſet. Imo quia Philippus Diaconus Evangelium prædicavit & ſacramenta adminiſtravit, antequam ſedulitate ſua Evangeliſtæ nomen ſibi pareret Act. VIII, ſ. 12, ideo primò non ut Evangeliſta, ſed ut Diaconus, ad ultimum verò & ut Evangeliſta & ut Diaconus, docendi & ſacramenta diſpenſandi munus obiiſſe videtur.

XVIII. Nec reliqua nunc expendam, quæ *Voëtius* urget: haud enim video, quid in receſſu habeant. Tum res quoque poſtulare videtur, ut tandem etiam de *Eccleſiaſticorum Diaconorum munere* aliquid diſſeram; paucis tamen, quia multa ſe hîc nobis offerunt. Primò quidem Diaconorum erat, Epiſcopis & Presbyteris adeſſe, cum aliàs, tum inprimis in S. cœnæ celebratione, eosque juvare in iis, in quibus oportebat, ex more & regulis Eccleſiaſticis. *Origenes* Tract. V. in Matth. Tom. II. Oper. f. 58. *Chriſtum Eccleſiæ caput eſſe, non ego, ſed Apoſtolus intellexit. Sacerdotes autem rationabiliter poſſunt dici Eccleſiæ oculus, quoniam & ſpeculatores habentur: Diaconi autem cæterique miniſtri manus, quoniam per eos opera ſpiritualia univerſa geruntur.* Hinc dicti *Epiſcoporum & Presbyterorum miniſtri*, ut infra docebimus; & *altaris Miniſtri*, ut jam ſupra audivimus.

XIX. Ita ſolebant aquam fundere in manus Epiſcopis & Presbyteris, ſi fides habenda Auctori quæſt. V. & N. T. eſt, inter opera *Auguſtini* Tom. IV. f. 779. quæſt. CI. ubi ille Romanorum Diaconorum notaturus inſolentiam, eos quidem aquam in manus ſacerdoti non affundere ſcribit, ob multitudinem clericorum, fieri tamen id ſolere per omnes illius ætatis Eccleſias. *Ut autem* (ita verba habent) *non omnia miniſteria obſequiorum per ordinem agant* (Diaconi Romani) *multitudo facit clericorum. Nam utiq; & altare portarent, & vaſa ejus, & aquam in manus funderent ſacerdoti, ſicut videmus per omnes Eccleſias, & ſicut conſtitutum eſt à Domino per Moyſen: numquid aut meliores Heliſæo ſunt, quia aquam fundebat in manus Eliæ.* Idem ſuo etiam teſtimonio firmat *Cyrillus*, vel quisquis auctor eſt Catech. Myſtagog. initio Catech. Vtæ: *Vidiſtis Diaconum, aquam lavandis manibus porrigentem ſacerdoti, & illis, qui circum altare DEI ſtabant, Presbyteris.* Solebant enim illi, factâ oblatione, manus abluere, teſte pervetuſto illo Scriptore Hierarch. Eccleſ. qui *Dionyſii* nomen præ ſe fert, cujus verba c. III. p. 133. inter alia hæc ſunt: καὶ ἀσπασαμένων ἀλλήλους ἁπάντων, ἡ μυστικὴ τῶν ἱερῶν πτυχῶν ἀνάρρησις ἐπιτελεῖται· καὶ νιψαμένων τὰς χεῖρας ὕδατι, τοῦ ἱεράρχου καὶ τῶν ἱερέων ὁ μὲν ἱεράρχης ἐν μέσῳ τοῦ θείου θυσιαστηρίου καθίσταται· περιεστᾶσι δὲ μόνοι μετὰ τῶν ἱερέων οἱ τῶν λειτουργῶν ἔκκριτοι. *Cum ſe mutuo omnes ſalutaverint, myſtica ſanctorum recitatio fit. Ubi vero manus tum antiſtes* (Epiſcopus) *tum ſacerdotes* (Presbyteri) *aquâ laverunt*

laverunt, *pontifex* (Episcopus) *ad medium divini adsistit altaris*, *circumstant autem. soli cum sacerdotibus electi quiq; ex ministrorum* (Diaconorum) *numero.* Hæc ille.

XX. Præterea solebant etiam Diaconi, perinde ut Presbyteri, recitare nomina offerentium, & dicere, quantum quisque dederit. Testis *Hieronymus* in cap. XVIII. Ezech. Tom. V. f.440. Cum perstringit *militum & judicum violentiam*, *qui opprimunt per potentiam*, *vel furta committunt*, *ut de multis parva pauperibus tribuant*, *& in suis sceleribus glorientur*, *publiceq; Diaconus in Ecclesiis recitet offerentium nomina: Tantum offert illa, tantum ille pollicitus est: placentq; sibi ad plausum populi, torquente eos conscientiâ.* Ubi observandum, moris olim fuisse in Veteri Ecclesiâ, ante S. Eucharistiæ participationem, munera, inprimis panem & vinum afferre in usum Eucharistiæ, clericorum & pauperum; atque ea munera, *Oblationes*; fideles autem ea afferentes, *Offerentes* dictos, atque eorum nomina inter sacra, tempore Eucharistiæ celebrandæ, recitata, & unà cum ipsorum oblationibus DEO commendata esse. Quo de more pluribus differentem vide *Albaspinæum* lib.I. Observ. 5. seqq. & *Hildebrandum* Offertor. cap.IV. p.26. seqq.

XXI. Accipiebant autem ista munera, à fidelibus oblata, Diaconi, acceptaque ad altare ferebant. *Isidorus* Hispalensis lib. II. de Offic. Eccles. cap. 8. f. 600. & Auctor libelli de VII. Ordin. Eccl. inter opera Hieron. Tom IV. f. 82.

Levitæ, inquiunt, *inferunt oblationes in altaria.* Rabanus Maurus de Instit. Cleric. lib. I. c. 7. & 8. *Oblationes in templo DEI à fidelibus suscipiunt Diaconi & Subdiaconi, & altaribus superimponunt.* Jus Canon. dist. 25. cap. Perlectis: *Ad Diaconum pertinet - - - - - oblationes inferre.*

XXII. Posterioribus seculis flabellum tenendum fuisse video, quo abigerent muscas & id genus alias bestiolas à sacris muneribus oblatis. Indicat hoc *Matthæus Blastares* Syntagm. Alphabet. lit. γ. cap. XI. cum Diaconissis negat permissum esse, more Diaconorum, flabellum tenere. Verba ita habent: οὐ μὴν καὶ τοῖς ἀχράντοις μυστηρίοις ὑπηρετεῖν ἐπιτρέπει, ἢ ῥιπίδιον ἐγχειρίζεσθαι, ὡς ἐπὶ τοῦ διακόνου. *Mysteriis vero incontaminatis eam* (de Diaconissa loquitur) *ministrare, aut flabellum tractare, more Diaconi, non permittit* (Antistes.) Pandect. Can. Tom. I. Part. II. f. 71. De flabellis plura vide ap. *Zimmermann.* dissert. ad Tertull. §. 150. & *Jacob. Goar* Euch. Græc. f. 136. seqq.

XXIII. Inprimis verò panem & calicem sacræ mensæ imponebant. *Dionysius* Hierarch. Eccl. cap. III. p. 133. οἱ δὲ τῆς λειτουργικῆς διακοσμήσεως ἔκκριτοι σὺν τοῖς ἱερεῦσιν, ἐπὶ τοῦ θείου θυσιαστηρίου προτιθέασι τὸν ἱερὸν ἄρτον καὶ τὸ τῆς εὐλογίας ποτήριον. *Præcipui ministrorum* (Diaconorum) *una cum sacerdotibus sanctum panem & benedictionis calicem sancto altari imponunt.* Quod forte est, *mensam Domini componere*, quod de Diaconis usurpat *Isidorus Hispalensis*, & *Auctor* libelli de VII.

ordinib.

ordinib. ll. cc. *Levitæ*, inquiunt, *componunt mensam Domini.*

XXIV. Calicem quoque Episcopo vel Presbytero tradebant. *Auctor* libelli de VII. Ordinib. l. c. *Diaconus calicem tradit, testis passionis, testis dispensationis, testis humilitatis* &c. Isidorus Hispalensis l.c. & Concil. Aquisgranense can. 7. Tom. XX. Conc. ed. Par. f. 441. *Ipsis etiam sacerdotibus propter præsumtionem non licet de mensa Domini tollere calicem, nisi eis traditus sit à Diacono.*

XXV. Iidem etiam S. Eucharistiam dispensare solebant fidelibus. *Justinus* Apol. II. *οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι, διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι. Qui apud nos Diaconi dicuntur, dant unicuique eorum, qui adsunt, percipiendum panem & vinum & aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, & ad eos, qui absunt, perferunt.* Ubi tenendum, *vinum aquâ mixtum* in S. cæna dispensari solitum ideoque etiam præter vinum oblatam *aquam* fuisse. *Cyprianus* serm. V. de lapsis f. 155. *Ubi solennibus adimpletis Calicem offerre Diaconus præsentibus cœpit.* Concilium Ancyranum can. 2. qui est 21. in Codice Canonum Universæ Ecclesiæ ap. *Justellum* Bibl. Jur. Canon. Tom. I. f. 35. *Diaconos similiter, qui immolaverunt, postea autem reluctati sunt, illum quidem honorem habere placuit; πεπαῦσθαι δὲ αὐτοὺς πάσης τῆς ἱερᾶς λειτουργίας, τῆς τε τοῦ ἄρτον ἢ ποτήριον ἀναφέρειν ἢ κηρύσσειν, ipsos verò cessare ab omni sacro ministerio panem vel ca-*

 licem

licem offerendi, vel prædicandi. Largiuntur id ipſum nobis Pontificii, *Bellarminus* de Sacr. Ordinis lib. I. cap. VI. §. Neque verum, *Bona* Rer. liturg. lib. I cap. XXV. p. 511. Quanquam poſtea prohibiti diaconi ſint id facere præſentibus Presbyteris, Concil. Nicæn. can. 18. Tom. IV. Conc. ed. Pariſ. f. 449. Concil. Arelatenſ. II. can. 15. Tom. IX. Concil. edit. Pariſ. f 432. & Carthag. IV. can. 38. Tom. I. Concil. Surii f. 514.

XXVI. Sed an *conſecrandi* etiam poteſtatem habuerint, non immeritò quæritur. Negat Cardinalis *Bona* l. c. p. 510. & *Bellarminus* lib. I. de Miſſa cap. 17. & lib. I. de Clericis cap. 13. Verum licuiſſe eis ſaltem *abſente Presbytero*, Euchariſtiam conſecrare, patet ex *Ambroſio*, qui lib. I. Offic. cap. 41. Laurentium Diaconum, cum duceretur ad ſupplicium, ita facit allocutum Sixtum Romanum Epiſcopum: *Experire utrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſeris Dominici ſanguinis conſecrationem.* Nec contrarium efficitur canone 18. Concilii Nicæni, quem vulgò ita legunt: *Pervenit ad ſanctum magnumq; Concilium, quod in quibusdam locis & civitatibus Diaconi Presbyteris Eucharistiam præbeant; quod neque canon, neque conſuetudo tradidit, ut qui poteſtatem offerendi non habent, his, qui offerunt corpus Chriſti, porrigant.* Sed aliter legit *Ruffinus* lib. I. Hiſtor. Eccl. cap. 6. p. 203. nempe ita: *Ne Diaconi Presbyteris præferantur, neve ſedeant in conſeſſu Presbyterorum, aut illis præſentibus Euchariſtiam dividant, ſed illis agentibus ſolùm miniſtrent. Si verò Presbyter*

nullus

nullus ſit in præſenti, tunc demum etiam ipſis licet dividere. Atque hanc lectionem veram eſſe, intelligi licet è *Cyrilli* epiſtola ad Concil. Carthaginenſ. Tom. I. Bibl. Juſtelli f. 405. quâ canones à Ruffino editos, veros eſſe Concilii Nicæni canones, prodidit. Cæterum *præſente Epiſcopo aut Presbytero*, vix putò iis licuiſſe conſecrare S. Euchariſtiam. Atque ita intelligendum exiſtimo *Hieronymum* epiſt. ad Evagr. l. c. ubi conſecrandi poteſtatem ſolis Epiſcopis & Presbyteris vindicare videtur.

XXVII. Sicut autem in S. Euchariſtiæ celebratione Diaconi miniſtrabant Epiſcopis & Presbyteris: Ita idem etiam munus obibant in adminiſtratione S. Baptiſmi. *Ignatius* epiſt. ad Heron. Diacon. ἐκεῖνοι βαπτίζουσι, ἱερουργοῦσι, χειροτονοῦσι, σὺ δὲ αὐτοῖς διακονῇς. *Illi* (Epiſcopi) *baptizant - - - tu verò illis miniſtres.*

XXVIII. Inprimis Diaconorum hìc fuiſſe reperio, baptizandos diſcingere & exuere veſtibus. Nudi enim baptizabantur. *Pſeudo Dionyſius* Hierarch. Eccleſ. cap. III. p. 116. ἀπολύει μὲν αὐτὸν, καὶ ἀπαμφιέννυσι διὰ τῶν λειτουργῶν. *Diſcingit vel ſolvit* (Epiſcopus) *eum* (baptizandum) *& veſtibus exuit per miniſtros* (Diaconos) & paulò poſt p. 117. ἀπαμφιεσάντων αὐτὸν τῶν λειτουργῶν, *poſtquam eum miniſtri ſeu Diaconi exuerunt.*

XXIX. An verò & ipſi jus habuerint baptizandi, dubitatione non caret. Apoſtolorum ætate habuiſſe, ſupra evicimus. Nec con-

trarium efficitur Constit. Apostol. lib. III. c. XI. ὅτι τοῖς λοιποῖς κληρικοῖς ἐπιτρέπομεν βαπτίζειν, ἀναγνώσταις, ψάλταις, πυλωροῖς, ὑπηρέταις, ἀλλὰ μόνοις ἐπισκόποις καὶ πρεσβυτέροις, ἐξυπηρετουμένων τῶν διακόνων. *Neque reliquos clericos baptizare permittimus, veluti lectores, cantores, ostiarios, ministros: sed solos Episcopos & Presbyteros, ministrantibus illis Diaconis.* Tom. I. Concil. Surii f. 72. His, inquam, non efficitur, Diaconos initio non habuisse jus baptizandi. Neque enim Constitutiones illæ primi seculi sunt, neque Apostolorum aut Clementis Romani opus sunt. Et quæ omnino illarum sit auctoritas, quæque esse debeat, jam pridem ostendere eruditi invictis argumentis, quæ tandem & ipsi adversarii nolentes volentes probare coguntur. Vide *Abrah. Sculteti* Medullam Theol. Patr. Part. I. lib. XI. cap. V. p. 451. seqq. *Andr. Riveti* Crit. S. lib. I. cap. II. p. 107. seqq. *Rob. Coci*, Angli, Censuram quorundam scriptorum Veter. p. 28. seqq. *Joh. Gerhardi* Patrol. in Clem. Rom. pag. 40. seqq. *Natalis Alexandri* selecta Hist. Eccl. capita sect. I. part. II. Diss. 18. pag. 190. seqq. Post Apostolorum tempora, crescente Ecclesiâ, ut ordo certa certis hominibus demandari in sacris officia imperavit, ita Episcopi sibi videntur inter alia vendicasse jus baptisandi, potestate tamen ejusdem interdum facta Presbyteris, postquam hi ab illis Ecclesiastico jure distingui cœperant, interdum Diaconis, sed his rarius, illis sæpius. Ac proinde Episcopi *per se* munus baptizandi obibant;

Pres-

Presbyteri & Diaconi *de ſententia Epiſcopi.* Atque hinc illud eſt, quod in Epiſt. *Ignatii* ad Smyrnenſes pag. 43. legimus: οὐκ ἐξὸν ἐστι χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν &c. *Non licet ſine Epiſcopo baptizare.* Gravius omnino teſtimonium eſt, quod hâc de re perhibet *Tertullianus* qui floruit initio ſeculi III. lib. de Baptiſmo cap. XVII. f. 710. *Supereſt ad concludendam materiolam de obſervatione quoque dandi & accipiendi baptiſmum commonefacere. Dandi quidem habet jus ſummus ſacerdos, qui eſt Epiſcopus. Dehinc Presbyteri & Diaconi; non tamen ſine Epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiæ honorem: quo ſalvo ſalva pax eſt.* Idem ſuo teſtimonio firmat *Hieronymus*, qui ſub finem ſeculi IV. floruit, adverſ. Luciferian. Tom. II. Oper. f. 139. primò dicit, homines *in minoribus* aut *remotioribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizari*, poſteaque *Epiſcopum* ad eos *excurrere* ſolere, *manum iis impoſiturum.* Deinde ſubjungit, ſine epiſcopi juſſione Presbyteris & Diaconis jus baptizandi non competere, additâ ſimul cauſſâ hujus conſtitutionis, nempe quia ſupremam Epiſcopi eſſe oportebat poteſtatem ad evitanda ſchismata in Eccleſiâ. *Eccleſiæ ſalus*, inquit, *in ſummi ſacerdotis dignitate pendet: cui ſi non exſors quædam & ab omnibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur ſchismata, quot ſacerdos. Inde venit, ut ſine chriſmate & Epiſcopi juſſione, neque Presbyter neque Diaconus jus habeant baptizandi. Quod frequenter, ſi tamen neceſſitas cogit, ſcimus etiam licere laicis.* Gemina his plane conſtitutio *Gelaſii* Papæ

 eſt,

eſt, qui ſeculo pòſt ad Epiſcopos univerſæ Lucaniæ hæc ſcripſit: *Diaconi absque Presbytero vel Epiſcopo baptizare non audeant*, Tom.X.Concil.ed. Pariſ. f. 130. Hinc intelligitur, cur *Dionyſius* ille Hierarch. Eccleſ. cap.III. pag. 114. ſeqq. haud alium nominet baptiſmi munere fungentem, niſi τ̀ ἱεράρχην ſive *Epiſcopum*: nempe quia Epiſcopus *primarius* & *ordinarius* baptiſmi miniſter eſt, eumque *per ſe* adminiſtrat *de jure Eccleſiaſtico* (nam de divino, aliter res comparata eſt.) Patet etiam, quomodo intelligendus ſit *Epiphanius* hæreſi LXXIX. f. 447. in hunc modum ſcribens: ὔτε διάκονοι ἐν τῇ ἐκκλησιαστικῇ τάξει ἐπιστεύθησάν τι μυστήριον ἐπιτελεῖν, ἀλλὰ μόνον διακονεῖν τὰ ἐπιτελέμενα. Nimirum loquitur 1. de eo, quod Diaconis liceat vel non liceat de jure Eccleſiaſtico, non quod de divino. 2. De miniſterio Diaconorum ordinario, non extraordinario.

XXX. Hactenus quomodo verſati Diaconi circa *ſacramenta* ſint, vidimus. Nunc, quæ partes ipſorum in *docendo* fuerint, explicabimus. Prælegiſſe populo Evangelium, hæc docent teſtimonia. *Hieronym.* epiſt. ad Sabinianum Tom. I. Oper. f. 231. *Exſanguis, marcidus, pallidus, ut ſuſpicione omni careres, Evangelium Chriſti quaſi Diaconus lectitabas.* Iſidorus Hiſpalenſ. lib. II. de Offic. divin. cap. 8. f. 600. & Patres Concilii Aquisgranenſis Tom. XX. Concil. edit. Pariſ. f. 441. de Diaconis: *Ipſi quoque*, inquiunt, *evangelizant*. Niſi hoc de ipſâ Evangelii prædicatione & explicatio-

catione intelligere malis. *Sozomen.* Hiſt. Eccl. lib. VII. cap. XIX. f. 100. ταύτην δὲ τὴν ἱερὰν βίβλον ἀναγινώσκει ἐνθάδε μοναχὸς ὁ ἀρχιδιάκονος. παρὰ δὲ ἄλλοις, διάκονοι. ἐν πολλαῖς δὲ ἐκκλησίαις, οἱ ἱερεῖς μόνοι. ἐν δὲ ἐπισήμοις ἡμέραις, ἐπίσκοποι, ὡς ἐν Κωνσταντινουπόλει, κατὰ τὴν πρώτην ἡμέραν τῶ ἀναστασίμου ἑορτῆς. *Hunc ſacrum codicem hîc* (apud Alexandrinos) *legit ſolus Archidiaconus, apud alios vero Diaconi, in multis etiam Eccleſiis ſoli ſacerdotes: diebus vero ſolennibus Epiſcopi, ut Conſtantinopoli, prima feriâ Reſurrectionis Dominicæ.* Ubi diverſa Eccleſiarum in hâc re conſuetudo obſervanda. Quam & illud firmat, quod jam ante, quam Diaconis hoc officium impoſitum, *Lectorum* fuerit Epiſtolas & Evangelia legere, unde & nomen illi invenerunt. Id quod oſtendit *Albaspinæus* ad Can. IV. Concil. Carthag. III. p. 409.

XXXI. Sed & SS. Patrum homilias ſive conciones alicubi prælegere ſueviſſe, reperio. Concil. Vaſenſe A. C. 529. celebratum can. 2. hæc ſancit: *Si Presbyter aliquâ infirmitate prohibente per ſeipſum non potuerit prædicare, ſanctorum Patrum homiliæ à Diaconis recitentur. Si enim digni ſunt Diaconi, quæ Chriſtus in Evangelio locutus eſt, legere, quare indigni judicentur SS. Patrum expoſitiones publicè recitare?* Tom. XI. Concil. edit. Pariſ. f. 77.

XXXII. Immò & conciones ipſas ſive ſermones ad populum habere ſolitos fuiſſe, veterum monumenta indicant. *Ignatius* epiſt. ad Philadelphenſ. p. 73. edit. Pariſ. 1558. eosdem hortatur, ut Epiſcopo, & Presbyteris & Diaconis

nis diligenter auſcultent. τῷ ἐπισκόπῳ προσέχετε, καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ, καὶ τοῖς διακόνοις. *Attendite Epiſcopo, & Presbyterio, & Diaconis.* Et poſtea Philonem Diaconum laudibus effert, quod ſibi in verbo præclarè miniſtret. ὃς καὶ νῦν ἐν λόγῳ ὑπηρετεῖ μοι, inquit, p. 77. *qui & nunc in verbo miniſtrat mihi.* Ad Heronem quoque, Antiochiæ Diaconum, ſcribit his verbis pag. 109. τῇ ἀναγνώσει πρόσεχε, ἵνα μὴ μόνον αὐτὸς εἰδῇς τοὺς νόμους, ἀλλὰ καὶ ἄλλοις αὐτοὺς ἐξηγῇ, ὡς θεοῦ ἀθλητής. *Lectioni attende, ut non modò ipſe leges noveris, ſed etiam aliis easdem interpreteris, ut DEI athleta.* Benjaminum Perſam Diaconum memorat *Theodoritus* Hiſt. Eccl. lib. V. cap. 38. f. 350. & ex eo *Nicephorus Calliſt.* Hiſt. Eccl. lib. XIV. cap. 20. f. 873. à Rege Perſarum valde excruciatum, necatumque denique eſſe propterea, quod prædicationem verbi Dei omittere noluerit. Narratio paulo prolixior eſt, quàm quæ huc transſcribi poſſit. Ephraim Edeſſenæ Eccleſiæ Diaconus tantæ fuit eloquentiæ, ut *Gregorio Nyſſeno* Orat. de vitâ ejus dicatur νοητὸς ὄντως τῆς ἐκκλησίας εὐφράτης, ἐξ οὗ τὸ τῶν πιστῶν καταρδόμενον πλήρωμα εἰς ἑκατὸν ἀποδίδωσι τὸν σπόρον τῆς πίστεως. *Hieronymus* ejus ſcripta publicè in Eccleſiis fuiſſe recitata, refert in Catal. ſcript. Eccl. voc. Ephraim. Sic enim ſcribit de eo Tom. I. Oper. f. 300. εἰς τοσαύτην ἦλθε λαμπρότητα, ὥστε μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν τῶν θείων γραφῶν, δημοσίᾳ ἔν τισι τῶν ἐκκλησιῶν ἀναγινώσκεσθαι τὰ συγγράμματα. *Ad tantam venit claritudinem, ut poſt lectionem ſcripturarum publicè in quibusdam*

dam Ecclesiis ejus scripta recitentur. Forte huc etiam pertinet constitutio illa *Gregorii*, quâ in concil. Romano, sub finem sexti seculi habito, diaconos ad prædicationis officium vocat his verbis: *In S. Romanâ Ecclesiâ dudum consuetudo valde reprehensibilis exorta est, ut quidam ad S. altaris ministerium cantores eligantur, & in diaconatus ordine constituti modulationi vocis inserviant, quos ad prædicationis officium & eleemosynarum studium vocare congruebat* Tom. XIV. Concil. ed. Par. f. 309. nisi quis *prædicationem* malit intelligere de illo ministerio, quo Diaconi actiones sacras moderabantur, quod κηρύσσειν appellabant Græci, ut mox audiemus. Plura qui de hoc argumento scire desiderat, evolvat *Francisci Bernardini Ferrarii* libros de ritu sacrarum concionum.

XXXIII. Cæterum hujus officii veluti appendix fuit, captivos visitare, instruere, consolari. Quod faciendum diaconis æque ac Presbyteris fuisse, *Cyprianus* me docet lib. III. ep. 15. ad Martyres & confessores f. 66. Is enim: *Credideram quidem,* inquit, *Presbyteros & Diaconos, qui illic præsentes sunt, monere vos & instruere plenissime circa Evangelii legem, sicut & in præteritum semper sub antecessoribus nostris factum est, ut Diaconi ad carcerem commeantes martyrum desideria consiliis suis & scripturarum præceptis gubernarent, sed nunc cum maximo animi dolore cognosco, non tantum illic non suggeri divina præcepta, sed adhuc potius impediri.*

XXXIV. Potest eò etiam referri reconciliatio pœnitentium, facta per diaconos, absente

ſente Epiſcopo vel Presbytero. Quâ de *Cyprianus* lib. III. ep. 17. ad Clerum f. 68. *Occurrendum*, inquit, *puto fratribus noſtris, ut qui libellos à martyribus acceperunt, ſi incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non exſpectent præſentiam noſtram, quin apud Presbyterum quemcunq; præſentem, vel ſi Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconos quoq; exomologeſin facere delicti ſui poſſint, ut manu eis in pœnitentiam impoſitâ veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres literis ad nos factis deſideraverunt.*

XXXV. Inter præcipua autem Diaconorum Eccleſiaſticorum officia ponendum illud videtur, quod ii olim ſoliti fuerint, omnium ferè ſacrarum actionum ritus & ordinem in Eccleſia dirigere atque moderari. *Chryſoſtomus* homil. XVII. in epiſt. ad Hebr. cap. IX. f. 1873. διάκονος ὑψηλὸς ἑστὼς, μεγάλῃ τῇ φωνῇ, φρικτῇ τῇ φωνῇ καθάπερ τις κήρυξ τὴν χεῖρα αἴρων εἰς τὸ ὕψος, ὑψηλὸς ἑστὼς, πᾶσι κατάδηλος γεγονὼς, καὶ μέγα ἐπ' ἐκείνῃ τῇ φρικτῇ ἡσυχίᾳ ἀνακραυγάζων, τοὺς μὲν καλεῖ, τοὺς δὲ ἀπείργει - - - - τοὺς μὲν ὠθεῖ καὶ ἐκβάλλει, τοὺς δὲ εἰσάγει καὶ παρίστησι. *Diaconus magnâ voce, terribili clamore, tanquam præco, manum tollens in altum, ſtans excelſus, & omnibus manifeſtus, & in tremendo illo ſilentio vehementer vociferans, alios quidem vocat, alios verò arcet - - - - alios quidem expellit & ejicit, alios verò introducit & ſiſtit.* Atque hoc vocabant κηρύσσειν *prædicare.* Sic *Socrates* Hiſt. Eccl. lib. II. cap. XI. f. 194. de Athanaſio: καὶ προστάξας διακό-

διακόνῳ κηρύξαι εὐχήν. *Et præcepit* (Athanasius) *Diacono prædicare orationem.* Atque ita etiam vocem istam usurpari in Concilii Ancyrani can. II. (ubi Diaconis, qui immolaverunt, interdicitur sacro ministerio τοῦ ἄρτον ἢ ποτήριον ἀναφέρειν, ἢ κηρύσσειν, *panem vel calicem offerendi aut prædicandi*,) existimat *Justellus* not. in Cod. Can. Eccl. Univers. Tom. I. Bibl. f. 76. atque inde colligit, aliam hujus vocis fuisse significationem, quum de sacerdotibus, aliam item quum de Diaconis dicta fuerit. Istic enim idem significasse quod ὁμιλεῖν & εὐαγγελίζεσθαι, hîc verò illud declarasse ministerium, quo Diaconi actiones sacras gubernarint. Auctor libelli de VII. Ordin. Eccl. l. c. *Deinde ut aures habeamus ad Dominum, Diaconus acclamat, ipse prædicat, ipse hortatur, ipse commonet, astantibus sacerdotibus.*

XXXVI. Moderabantur autem sacras actiones vel *voce*, vel *sublatione manus*, vel *linteo* quod *Orarium* dictum, vel *nutu*. De *primo* satis luculentum testem habemus *Chrysostomum*, qui l. c. Diacono tribuit μεγάλην τὴν φωνὴν, φρικτὴν τὴν φωνὴν, *magnam vocem*, *terribilem clamorem* &c. Idem confirmatur testimonio *Cæsarii Arelatensis*, cujus verba hæc sunt homil. 34. *Rogo vos & admoneo, fratres charissimi, ut quotiescunque juxta altare à clericis oratur, aut oratio DIACONO CLAMANTE indicitur, non solum corda, sed etiam corpora fideliter inclinetis: nam dum frequenter sicuti oportet, & diligenter attendo, DIACONO CLAMANTE, Flectamus genua, maximam partem populi*

puli

puli velut columnas erectas stare conspicio: quod Christianis, dum in Ecclesiâ oratur, omnino nec licet nec expedit. Non enim propter nos, sed propter vos DIACONUS CLAMAT &c. Et sub finem ejusdem homil. *Quotiescunque Diaconus CLAMAVERIT, ut aut in oratione genua flectere, aut benedictioni inclinare capita debeatis, obedienter & fideliter cum verâ humilitate faciatis.* Homiliæ ejus exstant Tom. VIII. Magnæ Bibliothecæ Patrum edit. Lugdunensis Anissonianæ A. C. 1677. Possem id etiam efficere verbis *Isidori Hispalensis* & *Rabani Mauri*, sed iis infra locus commodior erit.

XXXVII. De *altero* testis idem ille *Chrysostomus* est l. c. ubi ait, Diaconum non tantum clamare, sed etiam τὴν χεῖρα αἴρειν εἰς τὸ ὕψος *manum tollere in altum.* Ad exemplum scilicet Apostolorum, qui etiam manu silentium & audientiam sibi fecisse dicuntur Act. XII, 17. XIII, 16. XXI, 40. conf. XIX, 33. Plura de hoc more, etiam ethnicis familiari, vide apud *Ferrarium* l. c. lib. I. cap. XIII, XIV. p. 36. seqq. cui potest addi exercitatiuncula nostra de *Usu manuum*, quæ in *Musis Gustroviensibus* est.

XXXVIII. De *tertio* audiendus *Balsamon* est, cujus verba ad Canon. 22. Concil. Laodicen. ita habent: τὸ ὠράριον φορεῖν, μόνων ἐστὶ τῶν διακόνων. οὗτοι γὰρ τοῖς ἱερουργοῦσι παρεστάμενοι καὶ ἐπιτηροῦντες τὰς τῶν ἁγίων εὐχῶν τελετὰς, καὶ τὰς τῶν πρεσβυτέρων ἐκφωνήσεις διδόασιν εἴδησιν διὰ τοῦ ὠραρίου τοῖς ἐν τῷ ἄμβωνι διακόνοις, τῆς ὀφειλούσης γίνεσθαι ἐκφωνήσεως, ἤγουν τοῦ καιροῦ τῆς ἐκτενοῦς, τῶν

αἰτήσεων τῶν κατηχουμένων, καὶ τῶν λοιπῶν. *Orarium ferre eſt ſolorum Diaconorum. Hi enim eis, qui celebrant, aſſiſtentes, & ſanctarum orationum myſteria & Presbyterorum prolationes obſervantes, eis qui ſunt in ſuggeſtu Diaconis per Orarium ſignificant, quando debeat fieri pronunciatio ſeu prolatio petitionum catechumenorum & reliquorum*, in Pandect. Canonum Tom. I. f. 463. Eadem tradit *Matthæus Blaſtares* in Synopſi Græcorum Conciliorum ſive Syntagmate Alphabetico, nuper demum Anno hujus ſeculi 72. in Anglia à Beveregio edito & inſerto Pandectis Canonum Tom. II. Part. II. lit. ε. cap. 9. quod eſt de veſtimentis viris ſacratis accommodatis. ὠράριον ἐξαρτῶντες διάκονοι τοῖς ἱερουργοῦσι παρεστάμενοι, καὶ τὰς τῆς ἱερᾶς τελετῆς ἐπιτηροῦντες εὐχὰς, καὶ τῷ ὠραρίῳ τοῖς ἐν τῷ ἄμβωνι σημαίνουσι διακόνοις τὸν καιρὸν τῆς ὀφειλούσης γίνεσθαι ἐκφωνήσεως, τῶν τε κατηχουμένων καὶ τῶν πιστῶν. *Diaconi, qui orarium geſtant, ſacerdotibus aſſiſtentes & ſacri officii orationes obſervantes, per orarium eis, qui ſunt in ambone, Diaconis ſignificant, quando oporteat vel ad Catechumenos, vel ad fideles orationem flectere.* Sed de hoc infra pluribus.

XXXIX. De *ultimo* veſtigium reperio in *Albino Flacco* lib. de divinis Officiis cap. de celebratione Miſſæ & ejus ſignificatione, ubi verbis iſtis, *Gloria Patri & Filio & Spiritui S.* hæc ſubjicit: *Quæ verba ad diviſionem Pſalmorum, qui prius indifferenter canebantur, B. Hieronymus Damaſo Papa petente compoſuit; ſed cùm nequaquam id ſufficeret,*

prædicto Apostolico iterum suggerente addidit adhuc, sicut erat in principio &c. Et hoc ad NUTUM DIACONI ait Cantor, sicut & Kyrie eleison.

XL. Sed lubet per partes ire & paulo distinctius explicare, quomodo Diaconi actiones Ecclesiasticas publicas in Liturgiis olim moderati fuerint. Et hic quidem primò imperasse eos video silentium & attentionem ante S. Scripturæ lectionem, nec id tamen suâ, sed Ecclesiæ auctoritate. Silentium olim in Ecclesiâ imperatum, *Ambrosius* indicat Præfat. in Psalm. Tom. IV. f. 461. *Quantum laboratur in Ecclesiâ, ut fiat silentium, cum lectiones leguntur?* Per Diaconos autem idem fuisse imperatum, idque auctoritate Ecclesiæ, *Chrysostomus* docet homil. XIX. in Act. IX. f. 592. κοινὸς (διάκονος) ἕστηκεν ὁ διάκονος μέγα βοῶν, καὶ λέγων, πρόσχωμεν· καὶ τοῦτο πολλάκις. ἐκείνη ἡ φωνή, κοινὴ τῆς ἐκκλησίας ἐστὶν, ἣν οὗτος ἀφίησι. καὶ οὐδεὶς ὁ προσέχων. μετ' ἐκεῖνον ἄρχεται ὁ ἀναγνώστης τῆς προφητείας Ἡσαΐου &c. *Stat minister, communis minister, clarâ voce clamat, & dicit: ATTENDAMUS, idque sæpius. Hæc vox communis Ecclesiæ est, quam ille emittit, & nullus attendit. Post illum incipit Lector prophetiam Esaiæ &c.* Itaque non tam Diaconus imperat, quam Ecclesia, cui Diaconus commodat os suum. Similia habet homil. III. in 2. Thess. II. f. 1502. ὅταν ἀναστὰς ὁ ἀναγινώσκων λέγει, τάδε λέγει κύριος· καὶ ὁ διάκονος ἑστὼς ἐπιστομίζῃ πάντας, οὐ τῷ ἀναγινώσκοντι τιμὴν ποιῶν τοῦτό φησιν, ἀλλὰ τῷ δι' ἐκείνου πᾶσι διαλεγομένῳ

μεθα. Quando Lector, quum ſurrexerit, dicit, Hæc dicit Dominus &c. Et ſtans Diaconus ſilentio indicto omnibus os obſtruit, non Lectori honorem habens hoc facit, ſed ei, qui per illum cum omnibus loquitur. Exemplum qui deſiderat, legat Liturgiam *Chryſoſtomi*, ut vocatur, in quâ Diaconus ante lectionem Scripturæ identidem clamans introducitur: *πρόσχωμεν Attendamus.* Quâ voce etiam uſus eſt, cum attentum facere populum volebat vel ad preces, vel ad ſacra myſteria, ut ex eâdem Liturgiâ conſtat, nec non ex illis, quæ *Jacobo* & *Baſilio* vulgò tribuuntur. Atque uti ante Scripturæ lectionem & preces, ita & ante cantiones ſilentium idem indicebat. *Iſidorus Hiſpalenſis* lib. I. de Eccleſ. Offic. cap. 10. f. 601. *Ideo Diaconus clarâ voce ſilentium admonet, ut ſive dum pſallitur, ſive dum lectio pronunciatur, ab omnibus unitas conſervetur, & quod omnibus prædicatur, æqualiter ab omnibus audiatur.*

XLI. Deinde Diaconi etiam preces imperare populo ſolebant, quod *Socrates* lib. II. cap. XI. f. 194. appellat *κηρύξαι εὐχὴν prædicare preces.* Teſtis *Auguſtinus*, quum epiſt. 119. ad Januarium cap. 18. Tom. II. Oper. f. 576. ait: *Communis oratio voce Diaconi indicitur.* Ita *Athanaſius* Diaconum ſuum juſſit *κηρύξαι εὐχὴν* teſte *Socrate* l. c. Hinc illæ in Liturgiis Græcorum ſolemnes acclamandi formulæ ſæpiſſime iteratæ: *Τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. Dominum rogemus. ἐν εἰρήνῃ τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. In Pace Dominum rogemus. τὰς κεφαλὰς ἡμῶν τῷ κυρίῳ κλίνωμεν. Capita*

pita nostra Domino inclinemus. μετὰ φόβου θεοῦ πρόσχωμεν. *cum timore DEI attendamus.* εἴπωμεν πάντες ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς. Κύριε παντοκράτορ ὁ θεὸς τῶν. *Dicamus omnes ex omni anima. Domine omnipotens DEUS &c.* εὔξασθε οἱ κατηχούμενοι τῷ κυρίῳ. *Catechumeni rogate Dominum.* οἱ κατηχούμενοι τὰς κεφαλὰς ὑμῶν τῷ κυρίῳ κλίνατε. *Catechumeni capita vestra Domino inclinate.* οἱ πιστοὶ ὑπὲρ τῶν κατηχουμένων δεηθῶμεν, ἵνα ὁ κύριος αὐτοὺς ἐλεήσῃ &c. *Orate fideles pro catechumenis, ut Dominus eis misericors sit.*

XLII. Tertiò, iidem etiam sacerdoti dicere solebant, quando & quid precandum, quidve agendum in sacris conventibus esset. Sic in Liturgiâ *Jacobi* Diaconus infit: μνήσθητι κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν. *Memento Domine DEUS noster.* Sacerdos continuo hæc repetit, & addenda addit. Similiter in Liturgiâ *Chrysostomi* Diaconus ad sacerdotem ait: εὐλόγησον δέσποτα. *Domine benedic.* Sacerdos statim respondet his verbis: εὐλογητὸς ὁ θεός ἡμῶν, πάντοτε νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν. *Benedictus DEUS noster, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.* Diaconus rursus: εὖξαι ὑπὲρ ἐμοῦ δέσποτα. *Ora pro me Domine*, cui sacerdos: κατευθύναι κύριος τὰ διαβήματά σου. *Dirigat Dominus gressus tuos.* Sic quum tollendus sanctus panis est, Diaconus sacerdoti acclamat: ἔπαρον δέσποτα, *tolle Domine.* Et tollit ille sine morâ, additis certis verbis. Quum sanctus panis pungendus lanceola est, Diaconus iterum: νύξον δέσπο-

δέσποτα. punge Domine, ſacerdos ſtatim pungit pronunciato Joh. XIX, 34. Quum conſecrandum ſuffimentum eſt, Diaconus rurſus: εὐλόγησον δέσποτα τὸ θυμίαμα. *Benedic Domine thymiama.* Quo dicto, recitat ſacerdos preces ad conſecrandum thymiama. Quum conſecrandus panis eſt, Diaconus ſimiliter: εὐλόγησον δέσποτα τὸν ἅγιον ἄρτον. *Benedic Domine ſanctum panem.* Poſtea ſacerdos benedicit. Idem in poculo conſecrando fit, & in multis præterea aliis, quæ non aliunde melius, quàm ex ipſis Liturgiis diſci poſſunt. Quippe haud quicquam fere ſacerdos in publicis conventibus egit, niſi prius monitus à Diacono.

XLIII. Atque uti Diaconus ſacerdotem alloqui, eumque agenda docere in publicis conventibus ſolebat; ita, quod quarto loco obſervandum, interdum etiam eidem reſpondere publicè debuit. In Liturgiâ *Jacobi*, quum ad conſecrationem panis, in recitandis verbis inſtitutionis, ſacerdos pervenit ad illa: *Fregit & dedit diſcipulis ſuis dicens*: Diaconi ſubjiciunt: εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον. *In remiſſionem peccatorum, & in vitam æternam.* Deinde pergit ille in conſecrando. In Liturgiâ *Chryſoſtomi*, ubi precatus ſacerdos eſt: ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον, τίμιον σῶμα τοῦ χριστοῦ σου, *fac panem iſtum, pretioſum corpus filii tui*; Diaconus reſpondet, Ἀμήν, *Amen.* Idemque facit in conſecratione poculi.

XLIV. Quinto, Diaconi & ipsi publicas in publicis conventibus preces recitare solebant, ut ex Liturgiis *Jacobi* & *Basilii* videre est. Preces ipsas hîc subjicere non licet, quando pluribus conceptæ verbis sunt. Videantur Liturgiæ. *Chrysostomus* homil. XXI. in Actor. X. f. 606. οὐχ ἁπλῶς ὁ διάκονος βοᾷ, ὑπὲρ τῶν ἐν Χριστῷ κεκοιμημένων καὶ τῶν τὰς μνείας ὑπὲρ αὐτῶν ἐπιτελουμένων. *Non simpliciter Diaconus clamat, pro his qui defuncti sunt in Christo, & pro his, qui illorum memoriam faciunt.* Supplicationes intelligit. Idem Hom. XIV. in Epist. ad Roman. f. 165. διάκονος, τὰς ὑπὲρ τοῦ δήμου ἀναφέρων εὐχάς. *Diaconus pro populo preces offerens.*

XLV. Sexto, cantiones sive hymnos imperasse lego. Sic *Isidor. Hispalens.* lib. II. de Eccles. Offic. cap. 10. *Diaconum* scribit *clarâ voce silentium admonuisse*, ut etiam *dum psallatur, ab omnibus unitas conservetur.* Hinc illa in Liturgia *Jacobi* iterata formula: ἐν εἰρήνῃ Χριστοῦ ψάλλωμεν. *In pace Christi cantemus.*

XLVI. Septimo, flexionem etiam genuum ab iis præceptam, reperio. *Cæsarius Arelatens.* l. c. *Dum frequenter, sicut oportet, & diligenter attendo, Diacono clamante, Flectamus genua, maximam partem populi, velut columnas erectas stare conspicio.* Et iterum: *Quotiescunque Diaconus clamaverit, ut in oratione genua flectere - - - debeatis* &c. Isidor. Hispalens. lib. II. de Eccl. offic. cap. 8. f. 600. *Ipsi* (Diaconi) *clarâ voce in modum præconis admonent cunctos sive in oran-*

orando, ſive in flectendo genua, ſive in Pſallendo, ſive in lectionibus audiendis, ipſi etiam, ut aures habeamus ad Dominum, clamant. Quæ *Iſidori* verba *Rabanus Maurus* transſcripſit in lib. I. de Inſtit. Cleric. cap. 7. Eadem legas & in Concil. Aquisgranenſ. can. 7. Tom. XX. Concil. ed. Pariſ. f. 441.

XLVII. Octavo, jubebant exire Catechumenos, energumenos, & in publicâ pœnitentiâ conſtitutos, quum celebrandum erat Euchariſtiæ ſacramentum. Ac illos quidem emiſſos vel exire juſſos, ſatis luculenter teſtatur *Dionyſ.* Hierarch. Eccl. cap. III. p. 133. 141. 146. *Ambroſ.* epiſt. 33. ad Marcellinam ſororem lib. V. Tom. III. Oper f. 131. *Auguſtin.* ſerm. 237. de Temp. Tom. X. Oper. f. 1120. *Concil. Laodicen.* A. C. 364. can. XIX. ap. *Juſtellum* Cod. Can. Eccl. Univerſ. f. 51. Diaconorum autem voce exire juſſos, docet *Chryſoſtomus* homil. XVII. in Hebr. IX. f. 1873. διάκονος - - - μεγάλῃ τῇ φωνῇ - - - τοὺς μὲν καλεῖ, τοὺς δὲ ἀπείργει - - τοὺς μὲν ὠθεῖ καὶ ἐκβάλλει, τοὺς δὲ εἰσάγει καὶ παρίστησι. *Diaconus magnâ voce alios quidem vocat, alios verò arcet, alios quidem expellit & ejicit, alios verò introducit & ſiſtit.* Et Iſidorus Hiſpalenſ. Orig. lib. VI. cap. XIX. p. 970. *Miſſa tempore ſacrificii eſt, quando catechumeni foras mittuntur, clamante Levita: Si quis catechumenus remanſit, exeat foras.* Habes hîc ſimul formulam in dimiſſione illorum adhibitam. In Græcorum Liturgiis his uſi leguntur: Liturg. *Jacob.* μή τις

τ̃ κατηχȣμένων, μή τις τ̃ ἀμυήτων, μή τις τ̃ μὴ δυναμένων ἡμῖν συνδεηθῆναι· ἀλλήλȣς ἐπίγνωτε. *Nullus Catechumenorum, nullus eorum, qui nondum initiati sunt ad sacra, nullus eorum, qui orare nobiscum non possunt*, sc. remaneat. *Recognoscite vos invicem*: In Liturgia *Basilii*: ὅσοι κατηχȣ́μενοι προέλθετε, οἱ κατηχȣ́μενοι προέλθετε, ὅσοι κατηχȣ́μενοι προέλθετε· μήτις τῶν κατηχȣμένων. *Omnes techumeni procedite, Catechumeni procedite, omnes Catechumeni procedite. Nemo de Catechumenis remaneat.* Alia formula, sed non alius sententiæ legitur in Responsis Canonicis *Timothei* Alexandrini Episcopi, nempe hæc: οἱ ἀκοινώνητοι περιπατεῖτε. Sed placet addere verba integra. Sic habent: ἐν τῇ θείᾳ ἀναφορᾷ ὁ διάκονος προσφωνεῖ πρὸ τȣ̃ ἀσπασμȣ̃, οἱ ἀκοινώνητοι περιπατεῖτε. *In divinâ oblatione Diaconus ante salutationem edicit: Qui non communicatis, ambulate*, in Pandectis Canonum Tom. II. Part. I. f. 197. *Balsamon* not. in h. l. & hanc & istam Basilianam conjungit, in hunc modum interpretans verba Timothei: ὅτι μέλλȣσι προσάγεσθαι τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ τὰ ἅγια, λέγεται τοῖς ἀμυήτοις, οἱ ἀκοινώνητοι περιπατεῖτε, ἤγȣν οἱ κατηχȣ́μενοι προέλθετε. *Quando ad sacram mensam sancta offerenda sunt, dicitur profanis, Qui non communicatis, ambulate, sive Catechumeni exite.* Posteriorem etiam repetit not. ad Can. V. Concilii Neocæsar. in Pandect. Can. Tom. I. f. 405. repetit & *Zonaras* not. in eundem canonem l. c. f. 406. Ex his igitur intelligitur, tum quod catechumeni jussi sint

exire

exire templo, tum quod à Diaconis juſſi ſint, & quibus verbis. Poſtea *Hypodiaconis* id negotii datum. *Zonaras* enim ſuo tempore, id eſt ſeculo XII. Hypodiaconos egredi juſſiſſe Catechumenos teſtatur in not. ad Concil. Laodicen. can. XXII. διὸ καὶ νῦν αὐτοί (inquit, Hypodiaconos intelligens) ἐκφωνοῦσι, τὸ, οἱ κατηχούμενοι προέλθετε. *Propterea nunc quoque: Quicunque eſtis catechumeni, egredimini, ipſi pronunciant*, Pandect. Can. Tom. I. f. 463. Idem obtinuiſſe *Matthæi Blaſtaris* ætate, id eſt, ſeculo XIV. ipſe memorat in Syntagmate Alphabet. cap. IX. his verbis: Διὰ τι τοῦτο καὶ τὴν σήμερον παρ' αὐτοῖς ᾄδεται, τὸ, ὅσοι πιστοὶ, ἵστασθε δῆλον ὅτι, τὴν τῶν ἁγίων μυστηρίων θυσίαν ὀψόμενοι, ἔξιτε δὲ οἱ τούτων ἀμύητοι. *Qua propter & ad hunc diem hoc canunt: Siſtite, quotquot fideles, Sanctorum myſteriorum ſacrificium viſuri, egredimini verò, qui iſtis non ſitis initiati*, Pandect. Can. Tom. II. Part. II. f. 114.

XLVIII. Nono, dimiſſis Catechumenis, fores claudi vel cuſtodiri præcipiebant, τὰς θύρας, τὰς θύρας. *oſtia, oſtia*, clamantes, in Liturgia *Baſilii, Chryſoſtomi* & *Jacobi*. Ipſi etiam fores cuſtodiebant. *Dionyſ.* Hierarch. Eccleſ. I. c. p. 133. Τῶν λειτουργῶν δὲ, οἱ μὲν ἑστῶσι περὶ τὰς τοῦ ἱεροῦ πύλας συγκεκλεισμένας· οἱ δὲ, ἄλλο τι τῶν τῆς οἰκείας τάξεως ἐνεργοῦσι. *Miniſtrorum alii quidem pro clauſis templi foribus adſtant, alii proprii aliquid muneris agunt.* λειτουργοὺς autem ei appellari *Diaconos*, Scholiaſtes Græcus *Maximus* docet ad h. l. p. 83.

his verbis: λειτεργὲς φησὶ τῶν διακόνες καὶ τῶν νῦν ὑποδιακόνες λεγομένες. *Ministros vocat diaconos, & qui nunc Subdiaconi dicuntur.* Postea enim id onus à Diaconis translatum in *Hypodiaconos* & tandem in *Ostiarios* est, teste *Zonarâ* l. c. conf. *Isidor. Hispalens.* l. c. cap. 9. f. 601.

XLIX. Decimo, osculum indicebant sanctum. Osculatos se veteres inter se Christianos in sacris conventibus esse, plurimi confirmant testes, *Justinus* apol. II. ut vulgò numeratur, f. 97. *Dionysius* Hierarch. Eccl. cap. III. p. 133. *Tertullianus* lib. de Orat. cap. XIV. f. 793. *Origenes* in Rom. XVI. Tom. II. Oper. f. 630. *Chrysostomus* homil. XVIII. in 2. Corinth. VIII. f. 873. & homil. LXXVII. in Joh. XVI. f. 399. *Hieronymus* epist. ad Theophil. adv. Joan. Hierosol. Tom. II. Oper. f. 184. Diaconorum autem voce indictum illud osculum fuisse, non tantùm ex *Cyrilli Hieros.* Catech. Mystagog. V. initio constat, ubi ait, *Diaconum clamare:* ἀλλήλες ἀγαπήσωμεν ἀσπαζόμεθα. *Alii alios amplectimini & osculemur nos invicem*; sed etiam ex formulis in Liturgiis Græcorum receptis, cujusmodi sunt; ἀγαπήσωμεν ἀλλήλες ἐν φιλήματι ἁγίῳ. *Osculemur nos invicem osculo sancto*, Liturg. Jacob. ἀγαπήσωμεν ἀλλήλες, ἵνα ἐν ὁμονοίᾳ ὁμολογήσωμεν. *Diligamus nos invicem, ut in concordia confiteamur.* Liturg. Basil. & Chrysost.

L. Undecimo, fideles ad S. Eucharistiam accipiendam vocabant. Id *Chrysostomus* loco sæpe citato ex homil. XVII. in Ep. ad Hebr.

non

non tantùm generatim docet, quum ſcribit, Diaconum μεγάλῃ τῇ φωνῇ *magnâ voce* quosdam expellere & ejicere, quosdam autem καλεῖν καὶ εἰσάγειν *vocare & introducere*; ſed etiam ſpeciatim, quum Diaconum ait acclamare populo ad S. cœnam acceſſuro, τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις *Sancta Sanctis*, poſteaque explicat, quid iſtis ſibi verbis velit. διὰ τοῦτο, inquit, καὶ ὁ διάκονος ἐπιφωνεῖ τότε τοὺς ἁγίους καλῶν. *Propterea acclamat etiam Diaconus tunc ſanctos vocans.* Et poſtea: *Stat ergo nunc quoq; qui eſt apud nos præco, non unumquemq; capite tenens & adducens, ſed omnes ſimul interno capite detinens, non alios ipſis adhibet accuſatores, ſed ipſos ſibi ipſis. Non enim dicit, numquis eum accuſat? ſed quid? Num quis ſeipſum accuſat?* ὅταν γὰρ εἴπῃ, ΤΑ ΑΓΙΑ ΤΟΙΣ ΑΓΙΟΙΣ, τοῦτο λέγει, εἴ τις οὐκ ἔστιν ἅγιος, μὴ προσίτω. *Nam quando dicit, SANCTA SANCTIS, hoc dicit, ſi quis non eſt ſanctus, non accedat &c.* In Liturgiâ *Jacobi* hæc formula tribuitur ſacerdoti; Diacono autem iſta: μετὰ φόβου θεοῦ καὶ ἀγάπης προσέλθετε. *Cum timore DEI & fide & dilectione accedite.*

LI. Denique, diſtributa Euchariſtiâ, fideles dimittebant, hâc uſi formula: ἐν εἰρήνῃ Χριστοῦ πορευθῶμεν ſive προέλθωμεν. *In pace Chriſti abeamus*, ſi Græcorum Liturgiis habenda fides. In Eccleſiis occidentis hanc adhibuiſſe ferunt: *Ite, Miſſa eſt.* Ut ex Ordine Romano, *Amalario Trevirenſi* de Offic. miſſ. cap. 36. *Micrologo* cap. 19, 20. & 46. *Hugone Victorino* lib. II. de Eccl. Offic. cap. 41. *Durando* in Rational. lib. IV. c. 57. &

aliis

aliis intelligitur. Sed id posteriorum fuerit seculorum. Primorum certè non fuit.

LII. Atque hæ fuere præcipuæ partes, in quibus moderatio sacrarum actionum διακονικὴ olim posita. Sed adhuc alia iis fuere obeunda, extra conventus sacros ordinarios, quæ paucis persequar. In *Conciliis*, quæ conventus extraordinarii erant, interdum Episcoporum fungebantur munere. Ita Constantinus M. jubebat, ut Episcopi Nicæam convenirent, vel, si per morbos non possent, eò mitterent πρεσβυτέρους ἢ διακόνους, ὥστε τὴν αὐτῶν γνώμην δηλῶσαι, καὶ περὶ τῶν ἀμφιβόλων βουλεύσασθαι, καὶ κοινῇ περὶ πάντων ὁμοφρονῆσαι, *Presbyteros vel Diaconos, per quos sententiam suam exponerent & de rebus dubiis consultarent, & simul de omnibus consentirent* teste *Sozom.* H.E. lib. IV. c. 16. Quanquam nonnulli decernendi potestatem iis concedere nolebant. vide *Philostorg.* Hist. Eccl. lib. IV. Tom. 12. pag. 73. Sæpissime vero vel ministrare SS. Patribus stantes, vel moderari solemnes ritus solebant. Nec tamen omnes promiscue in locum Concilii admittebantur, sed digniores, idque post Presbyteros. *Isidorus* de ordine celebrandi Concilia Tom. I. Concil. Surii f. 11. *Post Presbyteros ingrediantur Diacones probabiles, quos ordo poposcerit interesse - - - - Diacones in conspectu Episcoporum stent.* Hinc illa in Conciliorum initiis usitata formula: *Considentibus Episcopis & Presbyteris, stantibus diaconis.* Ingressis omnibus, sub ipsum Concilii initium, primus inter Diaconos pre-

ces

ces indicebat, quas fundebant omnes in terram prostrati. Testis idem *Isidorus* verbis sequentibus: *Obseratis januis & sedentibus in diuturno silentio sacerdotibus atq; cor totum habentibus ad Dominum, dicat Archidiaconus:* Orate. *Statimq; omnes in terram prosternantur.* Prostratos ita idem deinde resurgere jussit, referente eodem istis verbis: *Rursus dicat Archidiaconus: Erigite vos.* Hoc facto Diaconus Albâ indutus, ex codice canonum, de Conciliis celebrandis quæ sancita, prælegit. Idem l. c. *Omnibus in suis locis in silentio considentibus, Diaconus Albâ indutus, codicem canonum in medium proferens, Capitula de conciliis agendis pronunciet.* Posthæc Metropolitanus Concilium alloqui solebat, cujus sermone finito, *Archidiaconus* (verba Isidori sunt) *legebat Canonem Toletani Concilii XI. æra prima, ne tumultu concilium agitetur.* Præterea Diaconus etiam primus aliorum caussas ad concilium deferre solebat. *Isidor.* l. c. f. 12. *Si Presbyteri reliqui aut Diaconi, Clerici sive laici, de his qui foris steterint, concilium pro qualibet re crediderint appellandum, Ecclesiæ Metropolitanæ Archidiacono caussam suam intiment, & ille Concilio denunciet.* Tandem etiam Archidiaconus Concilium dimittebat his verbis: *In nomine Domini nostri Jesu Christi eamus cum pace*, ibid. fol. 12.

LIII. Et postquam potestas conficiendi Chrisma Presbyteris ademta erat, Diaconis simul impositum, ante diem Paschatos singulis annis ire ad Episcopum, cujus Diœcesi suberant,

ab

ab eoque Chriſma in futuros uſus petere. Sancitum id inprimis Concilii Toletani I. canone 20. eſt, cujus verba hæc ſunt: *Quamvis pene ubique custodiatur, ut absq; Epiſcopo Chrisma nemo conficiat; tamen quia in aliquibus locis vel provinciis Presbyteri dicuntur Chriſma conficere, placuit ex hâc die, nullum alium, niſi Epiſcopum, Chriſma conficere, & per diœceſin deſtinare, ita ut de ſingulis Eccleſiis ad Epiſcopum ante diem Paſchæ Diaconi deſtinentur aut Subdiaconi, ut confeſtim Chriſma ab Epiſcopo deſtinatum ad diem Paſchæ poſſint ad tempus deferre*, Tom. III. Concil. Illuſtr. p. 400.

LIV. Turbulentis Eccleſiæ temporibus, cum Imperatores Ethnici crudeliſſimè affligerent Eccleſiam, Diaconi, quin & Epiſcopi, fideles de loco & tempore publici conventus privatim admonere ſolebant. Hinc *Ignatius* epiſt. 10 Heronem Diaconum Antiochenum officii ſui admonens, illud etiam jubet, ut & publicos conventus minimè prætermittat aut negligat, & ſingulos fideles diligenter perquirat & convocet. Verba Ignatii ad Heronem hæc ſunt; τῶν συνάξεων μὴ ἀμέλει· ἐξ ὀνόματος πάντας ἐπιζήτει. *Synaxes* (publicos conventus) *ne negligas. Omnes nominatim inquire*, Tom. I. Orthodoxogr. f. 54.

LV. Illud etiam ab Eccleſiaſticis Diaconis continuatum aliquamdiu officium eſt, quod Apoſtoli ſuis impoſuerant, nempe adminiſtratio & cura bonorum Eccleſiaſticorum. *Origenes* Tract. in Matth. Tom. II. Oper. f. 92. *Diaconi*,

coni, qui non bene tractant Eccleſiaſticarum pecuniarum menſas, ſed ſemper de eis fraudant &c. Ambroſius lib. I. Offic. cap. ult. Tom. I. Oper. f. 32. ad Diaconum ait: *Cum ſolveris auctori debitum, licet ut opera tua in beneficentiã & adjumenta hominum conferas, atq; opem feras neceſſitatibus aut pecunia, aut officio, aut etiam quocunq; munere, quod late patet in veſtro miniſterio: pecunia ut ſubvenias, debito obligatum liberes* &c. Hieronymus in Ezechiel. c. 48. Tom. V. Oper. f. 564. Diaconorum inſolentiam perſtringens: *Certe*, inquit, *qui primus fuerit miniſtrorum, quia per ſingula concionatur in populos, & à Pontificis latere non recedit, injuriam putat, ſi Presbyter ordinetur: & non meminit menſarum & viduarum miniſter, in obſequium ſe & miniſterium non ſolum ſacerdotum, ſed & viduarum & pauperum delegatum.*

LVI. De altaribus, à Diaconis aliquando portari ſolitis, ſupra dictum. Alia eorum officia recenſet *Iſidorus* Hiſpalenſ. de quibus nobis adhuc nihil dictum. Verba ejus hæc ſunt: *Sine ipſis ſacerdos nomen habet, officium non habet. Nam ſicut in ſacerdote conſecratio, ita in miniſtro diſpenſatio ſacramenti eſt: illi orare, huic pſallere mandatur. Ille oblata ſanctificat, hic ſanctificata diſpenſat. Ipſis etiam ſacerdotibus propter præſumtionem non licet de menſâ Domini tollere calicem, niſi eis traditus ſit à Diacono. Levitæ inferunt oblationes in altaria, Levitæ componunt menſam Domini, Levitæ operiunt arcam teſtamenti. Non enim omnes vident alta myſteriorum, quæ operiuntur à Levitis; ne videant, qui videre*

dere non debent & sumant, qui servare non possunt: quique propterea altari albis induti assistunt: ut cœlestem vitam habeant, candidiq; ad hostias immaculatiq; accedant, mundi scil. corpore & incorrupti pudore. Eadem repetita Concilii Aquisgranens. A. 816. habiti canone 7. Tom. XX. Concil. ed. Par. f. 441. Jus Canonicum dist. 25. c. Perlectis, cum pleraque à nobis jam exposita repetit, tum illud etiam adjungit, quod Diaconorum fuerit, donare pacem & annunciare. Verba ita habent: *Ad Diaconum pertinet, assistere sacerdotibus, & ministrare in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Christi, in baptismo scilicet, in Chrismate, & patina, & calice: oblationes quoque inferre & disponere in altario: Componere etiam mensam Domini, atque vestire, crucem ferre & prædicare Evangelium, & Apostolum. Nam sicut lectoribus vetus testamentum, ita Diaconis novum prædicare preceptum est: ad ipsum quoque pertinet officium precum, & recitatio nominum: ipse præmonet aures habere ad DEUM: ipse hortatur clamare: ipse donat pacem & ipse annunciat.* Alias hoc ipsum Episcopis vindicatur à *Chrysost.* homil. III. in epist. ad Coloss. f. 1338.

LVII. Sed jam satis vel etiam nimium multa dicta puto de materiâ sive objecto, in quo versati diaconi olim sunt. FORMA sequitur, quæ videtur consistere in ipsa *potestate officii* eis concessa. Per hanc enim constituuntur Diaconi, ut Diaconi sint; per hanc distinguuntur ab aliis; per hanc etiam operantur & efficiunt ea, quæ ipsos efficere oportet. Et sicut regem regnandi potestas: ita ministrum

ſtrum miniſtrandi poteſtas ei conceſſa facit. Quatenus igitur illa poteſtas refertur ad ea, in quibus Apoſtolicos Diaconos occupatos fuiſſe, diximus, hâc ratione Apoſtolicorum Diaconorum *forma* appellari jure meritoque poteſt; quatenus verò cum illis conjungitur, quæ Eccleſiaſtici Diaconi tractarunt, hoc reſpectu quoque *forma* fuerit Eccleſiaſticorum Diaconorum.

LVIII. FINIS reſtat, qui vel *Cui* vel *Cujus* ex mente Philoſophorum. *Hic* in utriusque generis Diaconis fuit vel *ultimus*, ut DEI gloria 1. Cor. X, 31. vel *intermedius*, np. τάξις ſive ordo Eccleſiæ 1. Cor. XIV, 40. Propterea enim conſtituti ſunt diaconi, ut in Eccleſia omnia melius procederent ad DEI gloriam. *Ille* reſpectu *Diaconorum primorum* fuit Eccleſia potius, quàm Apoſtoli. Quemadmodum enim Apoſtoli, antequam conſtituerentur Diaconi, non tam ſui, quam aliorum gratia pretia venditorum ante pedes ſuos poni ſinebant Act. IV, 35. acceptaque non tam in ſuum, quàm viduarum Act. VI, 1. omnium Act. II, 45. & ſingulorum commodum & uſum erogabant, ac proinde non tam ſibi, quam multitudini ſerviebant: ita & Diaconi, poſtquam ab Apoſtolis conſtituti ſunt ἐπὶ τῆς χρείας ταύτης *ad hoc negotium*, quo ipſi antea occupati fuerant Act. VI, 3. non tam Apoſtolorum, quàm cœtus ſacri eſſe cœperunt miniſtri. *Cyprianus* lib. III. ep. IX. ad Rogatianum f. 59. *Diaconos*, inquit, *poſt aſcenſum Domini in cælos Apoſtoli ſibi conſtituerunt Epiſcopatus ſui & Ec-*

clesiæ ministros. Non absolutè ait, *Apostolos Diaconos sibi constituisse ministros*; nec dicit, *suos* constituisse *ministros*; sed *Episcopatus sui & Ecclesiæ ministros*; ut declaret, non tam Apostolorum, quàm Ecclesiæ fuisse ministros. Ecclesiæ enim Episcopatus est. Ad eundem modum *Eusebius* Hist. Eccles. lib. II. cap. I. f. 11. Diaconorum Apostolicorum meminit: καθίσανται, inquit, δι' εὐχῆς καὶ χειρῶν ἐπιθέσεως τῶν ἀποστόλων εἰς διακονίαν, ὑπηρεσίας ἕνεκα τοῦ κοινοῦ· ἄνδρες δεδοκιμασμένοι τὸν ἀριθμὸν ἑπτά. *Constituuntur Diaconi per orationem & manuum Apostolicarum impositionem, ad ministrandum publicis Ecclesiæ rebus* (ut *Musculus* vertit; pressius ad verbum cum *Tribbechovio* verteris, *qui in commune servirent*) *viri probati numero septem*.

LIX. *Respectu Diaconorum Ecclesiasticorum*, finis Cui potius Episcopi & Presbyteri fuerunt, quam Ecclesia. Initio quidem ministris Ecclesiæ & mysteriorum Jesu Christi fuerunt annumerati ab *Ignatio* epist. ad Trallianos, ubi ait: δεῖ δὲ καὶ τοὺς διακόνους ὄντας μυστηρίων Χριστοῦ Ἰησοῦ κατὰ πάντα τρόπον ἀρέσκειν· οὐ γὰρ βρωτῶν καὶ ποτῶν εἰσὶ διάκονοι, ἀλλ' ἐκκλησίας θεοῦ ὑπηρέται. *Oportet autem & Diaconos ministros existentes mysteriorum JEsu Christi secundum omnem modum omnibus placere: non enim ciborum & potuum sunt ministri, sed Ecclesiæ DEI*. At postea cum Episcopi & Presbyteri quodammodo altius se efferrent, non tam Ecclesiæ, quam *Episcoporum & Presbyterorum* vocati sunt *ministri*. Canon 18. Concil. Nicæn. ut à *Ju-*

à *Juſtello* legitur in Bibl. Tom. I. f. 34. diſertè: Διάκονοι τοῦ ἐπισκόπου ὑπηρέται εἰσί. *Diaconi miniſtri ſunt Epiſcopi.* Auctor quæſt. V. & N. T. eos *Presbyterorum miniſtros* vocat. *Quæ audacia eſt,* inquit, *Presbyteris miniſtros ipſorum pares facere?* Tom. IV. Oper. Auguſt. f. 779. Patres Concilii Carthaginenſis ſub finem ſeculi IV. habiti tam Presbyterorum quam Epiſcoporum eos faciunt miniſtros. Sic habet canon 37. *Diaconus ita ſe Presbyteri, ut Epiſcopi miniſtrum eſſe cognoſcat,* Tom. III. Concil. Illuſtr. p. 384.

LX. Hactenus cauſas evolvimus. Nunc DIVISIONEM conſiderabimus. Ubi quidem in ultima antiquitate nihil reperio, quod huc pertineat. Uniusne generis an diverſorum fuerint in veteri Eccleſia Diaconi, literis proditum vel ſaltem legisſe non memini. A poſterioribus vero Græcis Conſtantinopoli duo conſtituti Diaconorum ordines ſunt: unus *majorum*, qui ἀρχοντικοὶ διάκονοι; alter *minorum*, qui *κοινοὶ* dicebantur. Οἱ ἀρχοντικοὶ etiam dicebantur ἐξωκατάκοιλοι, & erant ſex numero, np Magnus Oeconomus, magnus Sacellarius, magnus Scevophylax, Chartophylax, Curator ſacelli, & Protecdicus. *Joann.* Epiſc. Citri in Reſp. ad Cabaſilam: ἀπὸ μὲν παλαιᾶς παραδόσεως πρῶτός ἐστιν ὁ μέγας οἰκόνομος. δεύτερος, ὁ ἐπὶ τῆς μεγάλης σακέλλης, ἤγουν ὁ μέγας σακελλάριος. τρίτος, ὁ μέγας σκευοφύλαξ. τέταρτος, ὁ χαρτοφύλαξ. πέμπτος, ὁ ἐπὶ τῆς μικρᾶς σακέλλης, ἤγουν ὁ σακελλάελος. καὶ ἕκτος, ὁ πρωτέκδικος. οἵτινες καὶ ἐξω-

κατάκοιλοι λέγονται. *Ex antiquâ traditione primus est magnus Oeconomus. Secundus, magnus Sacellarius. Tertius, magnus vasis custos. Quartus, Chartophylax. Quintus, Sacellarius. Sextus, Protecdicus. Hi etiam ἐξωκατάκοιλοι vocantur.* Habes igitur hîc eorum omnium nomina & ordinem: munus verò singulorum *Georgius Codinus Curopalata* describit de Offic. magnæ Eccles. & Aulæ Constantinop. cap. I. (modò is ipse, ac non alius potius hujus capitis auctor sit, quod non sine caussa in dubium vocat *Jacob. Goar.* in præfat. ad Lectorē). Verba hæc sunt: ὁ μέγας οἰκονόμος, κρατῶν πάντα τὰ κτήματα τῆς ἐκκλησίας καὶ πᾶν τὸ ἐσοδιαζόμενον ἐξ αὐτῶν. καὶ οἰκονομεῖ τῷ ἀρχιερεῖ καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ, *Magnus Oeconomus, qui sua in potestate omnes Ecclesiæ facultates, omnesq; in illis reditus tenet, & tam Patriarchæ, quàm Ecclesiæ hac in re dispensator est.* f. 2. ὁ μέγας σακελλάριος, κρατῶν τὰ ἀνδρῷα, καὶ γυναικεῖα μοναστήρια. *Magnus Sacellarius habet sua in potestate virorum & mulierum monasteria.* ὁ μέγας σκευοφύλαξ, κρατῶν τὰ σκεύη τῆς ἐκκλησίας. *Magnus Scevophylax sive vasis custos suâ in potestate habet Ecclesiæ vasa sive supellectilem.* ὁ χαρτοφύλαξ, κρατῶν τὰ ἐκκλησιαστικὰ χαρτῷα δικαιώματα, κριτὴς τῶν ὅλων ὑποθέσεων τῶν ἐκκλησιαστικῶν, ἔχων τὰς γαμικὰς ὑποθέσεις. ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς λοιπαῖς τῶν κληρικῶν ὑποθέσεσιν ἔκδικος, ὡς δεξιὰ τοῦ ἀρχιερέως χείρ. *Chartophylax tabulas habet chartaceas ad jura Ecclesiastica pertinentes, & est judex omnium caussarum Ecclesiasticarum, & controversiis matrimonialibus*

libus cognoſcendis ac dirimendis præſidet. *Quin & in cæteris Clericorum litibus judex eſt, tanquam dextera Patriarchæ manus.* ὁ σακελίου, κρατῶν τὰς καθολικὰς Ἐκκλησίας καὶ τὸ σακέλιν. *Præfectus Sacelli ſua in poteſtate habet Catholicas Eccleſias & ſacellum.* Πρωτέκδικος τοὺς προσφυγὰς ἀναδεχόμενος καὶ κρίνων τὰς ἐκκλησιαστικὰς ὑποθέσεις. *Protecdicus ſuſcipit transfugas, & Eccleſiaſticas quæſtiones dijudicat*, fol. 5. De ſingulorum officiis plura affert *Goar* in not. ad h. l. f. 10. ſeqq. & *Gretſer.* Obſerv. ad Codin. lib I. cap. 2, 3, 4, & 5. *Meurſius* item in Gloſſario Græco Barbaro, illis locis, quæ deſignant illorum nomina. Primus inter eos fuit ἀρχιδιάκονος, ſicut inter τοὺς κοινοὺς agmen ducebat ὁ δευτερεύων τῶν διακόνων, cujus munus, principibus & antiſtitibus poſt ingreſſum benedicere, diebus non feſtis Evangelium portare, connexiones & petitiones in iis facere, introducere Diaconos communes in munus & ſtationem ſuam, præterea abſente Archidiacono tempora Diaconis amboni inſervientibus aſſignare, & in aliis quibusdam rebus ejus vices ſupplere: quæ omnia & id genus alia ex Reſponſis *Joannis* Epiſcopi Citri, *Codino*, *Balſamone* & aliis illuſtrata, fuſè & erudite perſequitur *Meurſius* voce ἀρχιδιακόνου p. 53. & διακόνου p. 123. vide etiam, quæ tradit magni nominis JCtus, *Jo. Strauchius*, Amœn. Jur. Can. Sem. 2. Ecl. 8. c 2. ſqq.

LXI. Sequuntur ADJUNCTA, quæ ſunt *Ordinatio* ſive *Conſecratio*, *Dignitas*, *Immunitas*,

tas, *Vestitus*, *Numerus*, *Conjugium*. De singulis dicemus, quæ Antiquitas suggerit.

LXII. ORDINATIO est vel *Apostolicorum*, vel *Ecclesiasticorum Diaconorum*. Illa describitur Act. VI, 6. ejusque cum principium, tum modus indicatur. Principium quidem particula καὶ, quam hîc Pronominis loco poni existimat *Beza* in h. l. quemadmodum etiam in aliis Scripturæ locis usurpatur, observante *Glassio* Gramm. S. lib. III. Tr. II. can. 15. p. 523. ac proinde illâ Apostoli significantur, οἱ [καὶ] προσευξάμενοι ἐπέθηκαν αὐτοῖς τὰς χεῖρας, *qui precati manus iis imposuerunt*. Quibus verbis simul modus declaratur, & ostenditur, ordinationem istam factam esse 1. per preces, 2. per manuum impositionem.

LXIII. De *Ecclesiasticorum Diaconorum ordinatione* Concilia & Patres consulendi. Nos, quæ in iis observavimus, in hæc redigemus capita, expedituri 1. Ordinationis Eccles. Principium, 2. Subjectum, 3. Modum, 4. Effectum, 5. Tempus, 6. Proprium. *Principium* est *Episcopus*, & quidem unus. Ab uno enim tantum Episcopo ordinari oportuisse Diaconum, supra ex antiquitate demonstravimus. Et id quidem Episcopus *gratis* facere debebat, jubente canone II Concilii Chalcedonensis Oecumenici IV. ap. *Justellum* Tom. I. Bibl. f. 61. εἴ τις ἐπίσκοπος ἐπὶ χρήμασι χειροτονίαν ποιήσαιτο, καὶ εἰς πρᾶσιν καταγάγοι τὴν ἄπρατον χάριν, καὶ χειροτονήσοι ἐπὶ χρήμασιν ἐπίσκοπον ἢ χωρεπίσκοπον, ἢ πρεσ-

ἢ πρεσβυτέρους, ἢ διακόνους - - - ὁ τοῦτο ἐπιχειρήσας ἐλεγχθεὶς, κινδυνευέτω περὶ τὸν οἰκεῖον βαθμόν· καὶ ὁ χειροτονούμενος μηδὲν ἐκ τῆς κατ' ἐμπορείαν ὠφελείσθω χειροτονίας ἢ προβολῆς· ἀλλ' ἔστω ἀλλότριος τῆς ἀξίας ἢ τοῦ φροντίσματος, οὗπερ ἐπὶ χρήμασιν ἔτυχεν. *Si quis Episcopus propter pecunias ordinationem fecerit, & inæstimabilem gratiam sub pretio redegerit, & propter pecunias ordinaverit Episcopum, vel Chorepiscopum, vel Presbyteros, vel Diaconos - - - Qui hoc tentasse convictus fuerit, sui gradus periculum subeat. Et qui est ordinatus, nihil ex ordinatione vel promotione per quæstum vel mercaturam factâ juvetur, sed sit alienus à dignitate & solicitudine, quam pecuniis adeptus est.* Conf. *Photii* Nomocan. Tit. I. cap. 24. cum not. *Balsamon.* Tom. II. Bibl. *Justelli* f. 841. Novell. 123. cap. 16.

LXIV. *Subjectum* est ipse ordinandus, qui debebat (α) esse literatus, (β) annorum 25. (γ) promittere, se divinos & sanctos canones servaturum, ac neminem non baptizatum domi suæ habiturum. Singula hæc probat *Arsenius* Monachus variis conciliorum canonibus, quorum sententiam his expressit verbis: δεῖ τοὺς μέλλοντας χειροτονεῖσθαι (πρεσβυτέρους καὶ διακόνους) διαμαρτύρεσθαι φυλάττειν τοὺς θείους καὶ ἱεροὺς κανόνας· καὶ τὸ μὴ ἔχειν τινὰ ἀβάπτιστον ἐν τῷ οἴκῳ αὐτῶν· καὶ τὸ μὴ εἶναι ἀγράμματόν τινα τούτων, καὶ μὴ κατ' γένος τὰς χειροτονίας γίνεσθαι, ἀλλὰ κατ' ἀξίαν· τὸν μὲν πρεσβύτερον τριάκοντα ὄντα ἐτῶν. τὸν δὲ διάκονον κέ. *Ordinandos (Presbyteros*

byteros & Diaconos) proteſtari oportet, ſe divinos ſacrosque canones ſervaturos, ac neminem, qui non ſit baptizatus, ſe domi ſuæ habere, nec quenquam horum illiteratum eſſe, ac non ſecundum genus, ſed ſecundum meritum ordinationes fieri: Presbyterum quidem triginta annos natum, Diaconum vero 25. In Synopſi Canon. can.41. Tom.II. Bibl. *Juſtell.* f. 757. Conf. Concil. Hipponenſ. A. C. 393. habiti canonem 20. Tom.III. Concil. Illuſtr. p. 360. & Trullan. can.17. in *Alexii Ariſtini* Synopſi ap. *Juſtellum* Tom. II. f. 699. vel 13. in *Symeonis Magiſtri* Epit. ap. eundem f. 742. vel 14. Tom.IV. Concil. Illuſtr. p. 38. Novell. 123. c. 12.13. De aliis, quæ in Diacono requirebantur, egimus ſupra.

LXV. *Modum* diſcere licet ex *Dionyſ.* Hierarch. Eccl. cap. V. p. 193. ubi rationem conſecrandi Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos ordine deſcribit. De Diaconorum conſecratione hæc ait: ὁ δὲ λειτουργὸς ἕνα τοῖν ποδοῖν κλίνας ἐπίπροσθεν τοῦ θείου θυσιαστηρίου, ἐπὶ κεφαλῆς ἔχει τὴν τοῦ τελοῦντος αὐτὸν ἱεράρχου δεξιάν, τελειούμενος ὑπ' αὐτοῦ ταῖς τῶν λειτουργῶν τελεστικαῖς ἐπικλήσεσιν. ἑκάστῳ δὲ αὐτῶν ἡ σταυροειδὴς ἐνσημαίνεται πρὸς τοῦ τελοῦντος ἱεράρχου σφραγίς, καὶ καθ' ἕκαστον ἀνάρρησις ἱερὰ γίγνεται, καὶ τελειωτικὸς ἀσπασμός, ἀσπαζομένου παντὸς ἱερατικοῦ παρόντος ἀνδρός, καὶ τοῦ τελέσαντος ἱεράρχου τὸν πρός τι τῶν εἰρημένων ἱερατικῶν ταγμάτων ἀποτελεσθέντα. *Miniſter altero tantum coram ſanctis altaribus poſito genu, ſacrantis ſe pontificis dexteram in capite præfert, atque ab eo perficitur*

perficitur precationibus ad eam rem accommodatis, cuilibet autem eorum à benedicente crucis imponitur signum & per singulos sacra prædicatio nominis consummansque consalutatio fit, cunctis sacri ordinis viris, ipsoque sacratore Pontifice, eum salutantibus, qui ad aliquem sacrorum, quos diximus, ordinum, eâ fuerit consecratione promotus. Hæc ille. Ex quibus intelligimus 1. Diaconum ad altare accessisse, 2. ibique unum flexisse genu, 3. Episcopum manum ei imposuisse, & 4. preces ad eam rem compositas recitasse, 5. consecrandum signasse signo crucis, tum 6. ejus nomen prædicasse, ad extremum 7. illum salutasse. Quæ rationes horum rituum fuerint, explicat idem Auctor l. c. Concilium Carthaginense V. can. 4. sanxit, ut unus tantum Episcopus, nempe qui consecrat, manum imponeret capiti Diaconi consecrandi, Tom. III. Concil. Illustr. p. 381.

LXVI. Ad *Effectum* consecrationis hoc fortè referas, quod Canones volunt, consecratum suum obire munus. Id quod iterum ex antiquis probat *Arsenius* l. c. can. 42. Verba hæc sunt: *δεῖ καταδέχεσθαι τὴν χειροτονίαν καὶ τὴν λειτουργίαν τον προβιβαζόμενον εἰς βαθμὸν ἐπισκόπου, ἢ πρεσβυτέρου, ἢ διακόνου· καὶ φροντίζειν τοῦ ἐγχειρισθέντος αὐτῷ λαοῦ. Oportet eum, qui ad Episcopi aut Presbyteri aut Diaconi gradum promotus est, ordinem ministeriumque suscipere, sibique commissi populi curam gerere &c.* apud *Justellum* l.c.

LXVII. De *tempore* exſtat decretum *Gelaſii* Papæ, quo cenſuit Diaconos non ordinandos, niſi certis anni temporibus, diſt. 75. c. Ordinationes. *Ordinationes Presbyterorum & Diaconorum niſi certis temporibus & diebus exerceri non debent, id eſt quarti menſis jejunio, ſeptimi & decimi: ſed & etiam quadrageſimalis initii, ac medianæ hebdomadæ (medianæ quadrageſimæ die) & ſabbati jejunio circa veſperam noverint celebrandas.*

LXVIII. *Proprium* denique ſive *terminum* ordinationis voco certam Eccleſiam, ad quam ea relata fuit. Neque enim ordinatio fieri olim debuit ἀπολελυμένως *abſolute*, id eſt *ſine pronunciatione loci*, ad quem ordinandus quis erat, ut explicat *Egbertus Eboracenſis* Excerpt. can. 51. ſive, ut *Joſephus Ægyptius* ap. *Beveregium* not. in Can. VI. Concil. Chalced. f. 113. interpretatur, *ſine declaratione loci*, in quo conſtans maneat, ſive, ut loquuntur & faciunt Pontificii, *ſine titulo*; ſed εἰδικῶς *ſpeciatim*, ad certam Eccleſiam, quam qui non habuit, nec ordinari ritè potuit. Sancitum id in Concilio Chalcedonenſi Oecumenico eſt, cujus canon VI. ita habet: Μηδένα ἀπολελυμένως χειροτονεῖσθαι, μήτε πρεσβύτερον, μήτε διάκονον, μήτε ὅλως τινὰ τῶν ἐν τῷ ἐκκλησιαστικῷ τάγματι, εἰ μὴ εἰδικῶς ἐν ἐκκλησίᾳ πόλεως ἢ κώμης, ἢ μαρτυρείῳ ἢ μοναστηρείῳ, ὁ χειροτονούμενος ἐπικηρύττοιτο. Τοὺς δὲ ἀπολύτως χειροτονουμένους ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος ἄκυρον ἔχειν τὴν τοιαύτην χειροθεσίαν, καὶ μηδαμοῦ δύνασθαι ἐνεργεῖν ἐφ' ὕβρει τοῦ χειροτονήσαντος. *Neminem abſolutè*

ordi-

ordinari, nec Presbyterum, nec Diaconum, nec quemlibet omnino eorum, qui sunt in ordine Ecclesiastico, nisi specialiter in Ecclesiâ civitatis, aut vici, aut martyrio, vel monasterio is, qui ordinandus est, prædicetur. Eos autem, qui absolute ordinantur, decrevit sancta Synodus irritam habere ejusmodi ordinationem: Et nusquam posse operari ad injuriam ejus qui ordinavit. Tom. IX. Concil. edit. Paris. f. 144. & in Cod. Can. Eccl. Univers. ap. *Justell.* Tom. I. f. 63. Et in *Joan. Antiocheni* Collect. Can. Tit. 25. ap. eund. Tom. II. f. 550. & in *Arsenii* Synopsi Canonum can. 53. ap. eund. l. c. f. 760. & in *Photii* Nomocan. c. 33. ap. eund. f. 854. Hæc de *ordinatione*.

LXIX. Quod ad DIGNITATEM attinet, & quidem *primorum Diaconorum*, non eam nullam fuisse, ipsa Acta Apostolorum testimonio sunt. Quorum enim gratia convocata omnis multitudo est, qui ab omni multitudine fuerunt eligendi, explorandi atque examinandi, qui debuerunt bono ornati esse testimonio, & pleni Spiritu S. & sapientiâ, qui partem aliquam muneris, quod Apostoli adhuc obierant, suscipere, & de bonis communibus suppeditare cuique, quantum satis esset ad vitam sustentandam, debuerunt, quique postea electi etiam ab omni multitudine sunt pleni fide & Spiritu S. & in conspectum Apostolorum adducti, ab iisque per preces & manuum impositionem inaugurati; num hos nullo fuisse loco censebimus? Imò ex his ipsis indiciis magnam fuisse eorum

in

in Ecclesiâ auctoritatem colligo. Colligit etiam eorum inde ἀξίωμα sive *dignitatem Chrysostomus* in h. l. f. 551.

LXX. De *Ecclesiasticorum Diaconorum dignitate* ex eo licet existimare, quod fuerint cæteris ministris & clericis superiores & sacerdotum ordini adscripti à veteribus. Illud efficit Concilii Laodiceni A. C. 364. habiti canon. 20. cujus extrema verba ita habent: δεῖ ἔχειν τιμὴν καὶ τοῦ διακόνους ὑπὸ τ ὑπηρετ καὶ πάντων τῶν κληρικῶν. *Diaconis honorem haberi à ministris & omnibus clericis oportet*, in Cod. Can. Eccl. Univ. ap. *Justell.* Bibl. Tom. I. f. 51. & in *Joann. Antioche.* Collect. can. ap. eund. Tom. II. f. 548. Græcus Scholiastes *Aristenus* honorem ita interpretatur, μηδὲ οἱ λοιποὶ ὑπηρέται τ ἐκκλησίας καὶ κληρικοὶ ἔμπροσθεν διακόνου (καθεζέσθωσαν). εἰ μὴ καὶ αὐτοὶ ὑπ' αὐτοῦ κελευσθῶσι. *Nec reliqui Ecclesiæ ministri & Clerici ante Diaconum sedeant, nisi & ipsi jussi fuerint*, in Pandect. Can. Tom. I. f. 462, Hoc evincunt sequentia: Canon Apostol. ut vocant, IIX, cum Episcopum & Presbyterum, tum Diaconum *sacerdotali* adscribit *catalogo* καταλόγῳ τῷ ἱερατικῷ, Pandect. Can. Tom. I. *Optatus Milevitan.* lib. I. adv. Donatist. p. 16. Diaconos ait in tertio fuisse sacerdotio constitutos. *Quid commemorem*, inquit, *Laicos, qui tunc in Ecclesiâ nullâ fuerunt dignitate suffulti? Quid ministros plurimos? Quid Diaconos in tertio? Quid Presbyteros in secundo sacerdotio constitutos?* Suidas Diaconum interpretatur sacerdotem. ὁ δὲ ἦν ἱερεὺς

δι-

διάκονος τὴν τιμήν. *Diaconus honore sacerdos erat*, in voce διακόνου. *Chrysostomus* homil. I. in cap. I. ad Philipp. f. 1204. Τότε γὰρ τέως ἐκοινώνουν τοῖς ὀνόμασι· καὶ διάκονος ὁ ἐπίσκοπος ἐλέγετο. διὰ τοῦτο γράφων Τιμοθέῳ ἔλεγε, τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον, ἐπισκόπῳ ὄντι. *Tunc nomina adhuc erant communia: atque ipse etiam Episcopus vocabatur Diaconus. Idcirco ad Timotheum scribens inquit, Diaconiam id est ministerium tuum imple: quum tamen ille Episcopus esset.* Et postea: οἱ πρεσβύτεροι τὸ παλαιὸν ἐκαλοῦντο ἐπίσκοποι, καὶ διάκονοι τοῦ Χριστοῦ· ὅθεν καὶ νῦν πολλοὶ συμπρεσβυτέρῳ ἐπίσκοποι γράφουσι, καὶ συνδιακόνῳ. *Antiquitus Presbyteri vocabantur Episcopi & Diaconi Christi. Quocirca vel hodie multi Episcopi ita scribunt, Compresbytero & Condiacono.* Vis exempla? Lege *Augustini* epist. XVI. Tom. II. f. 68. qui Præsidium, quem *Hieronymus* Tom. II. epist. ad Augustin. f. 362. *Diaconum & sanctum suum fratrem* appellarat, *fratrem & consacerdotem* vocat. Lege ejusdem epist. 59. ad Paulinum l. c. f. 293. ubi Ruffinum *Condiaconum* suum dicit. Lege *Basilium*, qui epist. 7. & 8. Elpidium, 9. Libanium, aliis alios *Condiaconos* nominat. Lege *Fulgentium*, qui Ferrandum Carthaginensis Ecclesiæ Levitam Condiaconum appellat, resp. ad quæst. Ferrand. & de Bapt. Æthiop. Ut adeò valdè mirer, quî Auctori quæst. V. & N. T. inter *Augustini* opera Tom. IV. venerit in mentem, negare, Episcopos Diaconos vocare Condiaconos. Sic enim scribit quæst. 101. f. 779. *Nunquid & ministros Condiaco-*

diaconos suos dicit Episcopus? Non utique, quia multò inferiores sunt. Nisi fortè illâ ætate, quâ hic auctor vixit, superbiores facti Episcopi istâ abstinuere appellatione. Huc pertinet, quod Imperator Heraclius Diaconos æque ac Presbyteros appellat *ἐυλαβεῖς reverendos*, in Balsam. Collect. Const. Eccl. Tom. II Bibl. Justell. f. 1367. Et illud dignitatem Diaconorum auget, quod ne Episcopi quidem sine Diacono unquam fuerint aut esse potuerint, teste *Epiphanio* hæres. 75. f. 386. cujus verba hæc sunt: *ἄνευ δὲ διακόνου ἐπίσκοπον ἀδύνατον εἶναι. Sine Diacono impossibile est esse Episcopum.* Hinc factum, ut tandem illi elatius se gerere inciperent, nec vel ipsis Presbyteris cedere vellent. Quo de illorum fastu videre juvat Notas *Binii* ad Concilium Andegavense Tom. IX. Concil. edit. Paris. f. 447. Verum Presbyteris & Episcopis id intolerabile visum. Itaque vehementer se iis opposuerunt, inprimis *Hieronymus* epist. ad Evagrium l.c. & Auctor quæst. V. & N. T. l.c. Ipsa etiam concilia eorum insolentiam compresserunt canonibus. Sic Nicænum can. 18. eos jussit *Presbyteris inferiores esse, & post eos Eucharistiam accipere*, vetuit autem *in medio eorum vel unâ cum iis sedere*, nempe, ut explicat Balsamon, in sacris conventibus, ap. *Justell.* Tom. I. f. 34. & *Ruffin.* Hist. Eccl. lib. I. cap. 6. f. 203. Et in Pandect. Can. Tom. I. f. 80. & in annot. *Beveregii* in h. l. f. 85. Sic Laodicenum can. 20. noluit *διάκονον ἔμπροσθεν πρεσβυτέρου καθέζεσθαι, ἀλλὰ μετὰ κελεύσεως τοῦ πρεσβυτέρου καθέ-*

ζε-

ζεϑῆν, *Diaconum coram Presbytero ſedere, ſed juſſu Presbyteri ſedere voluit*, in Joan. Antiochen. Collect. Can. ap. Juſtell. Tom. II. f. 548. Conf. *Arſenii* Synopſin Can. ap. eund. f. 761. Sic Andegavenſe can. 2. eos *honorare humiliter Presbyteros* voluit, Tom. IX. Concil. edit. Pariſ. f. 443.

LXXI. De IMMUNITATE parum habeo dicere, niſi quod Impp. Chriſtiani Diaconos Eccleſiaſticos à muneribus perſonalibus liberos eſſe voluerunt l. Presbyteros 6. C. de Epiſcopis & Clericis. Quo tamen beneficio Apoſtolici Diaconi non ſunt gaviſi, quod magiſtratui non Chriſtiano ſubeſſent, qui tantum abeſt ut beneficium aliquod contulerit Chriſtianorum diaconis, ut potius omnes è medio ſuſtuliſſent, ſi valuiſſent.

LXXII. Nec de VESTITU multa mihi ſunt obſervata in antiquitate. Quis *primorum Diaconorum habitus* fuerit, in Scriptura non legitur. Si communis fuit, varius pro varietate populorum fuit. Sin proprius, talis fortè, qualis Apoſtolorum & diſcipulorum ipſiusque adeo Chriſti fuit. At Chriſtum indutui aliud nihil habuiſſe præter unam tunicam & unicum pallium, ex Joh. XIX, 23. videtur colligi poſſe. Apoſtoli ſimiliter ſupra tunicam pallium injiciebant. Ita enim Petri habitus deſcribitur Act. XII. 8. quo de plura vide in Not. *Salmaſii* ad Tertull. de Pallio p. 72. ſeqq.

LXXIII.


LXXIII. *Ecclesiasticos Diaconos* peculiares suas habuisse vestes, quibus à Laicis distinguerentur, Concilium Trullanum indicat can. 27. Μηδεὶς, inquit, τῶν ἐν κλήρῳ καταλεγομένων ἀνοίκειον ἐσθῆτα ἀμφιεννύσθω, μήτε ἐν πόλει διάγων, μήτε ἐν ὁδῷ βαδίζων, ἀλλὰ στολαῖς κεχρήσθω ταῖς ἤδη τοῖς ἐν κλήρῳ καταλεγομένοις ἀπονεμηθείσαις. *Nullus eorum, qui in Cleri Catalogum relati sunt, vestem sibi non convenientem induat, neque in civitate degens, neque iter ingrediens: sed utatur vestibus, quæ antehac iis, qui in clerum relati sunt, attributæ fuere*, Pandect. Can. Tom. I. f. 187. Quales autem illæ fuerint, difficilius dictu est, quam quales non fuerint, vel saltem esse non debuerint. Initio quidem cùm diaconi, tum cæteri sacri ordinis omnes simplici & honesto utebantur habitu: sericis & versicoloribus abstinentes. At postea inverso ordine simplici & vili indumento abstinuere, sericis autem & aliis splendidis ac pretiosis usi sunt. Id quod tamen prohibitum Concilii Nicæn. II. can. XVI. est: πᾶσα βλακεία καὶ κόσμησις σωματικὴ ἀλλότριαί εἰσι τῆς ἱερατικῆς τάξεως καὶ καταστάσεως. Τοὺς οὖν ἑαυτοὺς κοσμοῦντας ἐπισκόπους ἢ κληρικοὺς δι᾽ ἐσθήτων λαμπρῶν καὶ περιφανῶν, τούτους διορθοῦσθαι χρή. *Omnis luxus & ornatus corporeus est à sacerdotali ordine & statu alienus. Episcopos ergo vel clericos, qui se splendidis & insignibus vestibus exornant, se corrigere oportet.* Et postea: ἐκ τῶν ἄνωθεν χρόνων πᾶς ἱερατικὸς ἀνὴρ μετὰ μετρίας καὶ σεμνῆς ἀμφιάσεως ἐπολιτεύετο - - - - - - - ἀλλ᾽ οὐδὲ ἐκ σηρικῶν ὑφασμάτων πεποικιλμένην ἐσθῆτα ἐνεδέδυ-

δέδυτο τις, οὐδὲ προσετέθησαν ἑτερόχροα ἐπιβλήματα ἐν τοῖς ἄκροις τῶν ἱματίων. *Superioribus diebus omnis vir ſacratus cum moderato & honeſto indumento verſabatur - - - - - Sed nec ex ſericis texturis variatum quis veſtimentum habebat: neq; in veſtimentorum fimbriis adjecta erant alieni coloris additamenta*, Pandect. Can. Tom. I. f. 318. Luxum illum ab Iconomachis manaſſe, *Balſamon* exiſtimat in hunc can. l. c. Concilium Romanum ſub Zacharia Pontifice ſec. VIII. indumento ſeculari, ut vocat, Diaconis interdixit: nec permiſit aperto per plateas ire capite. Sic enim habet canon III. *Ut Epiſcopus, Presbyter & Diaconus ſeculari indumento minime utantur, niſi ut concedet tunica ſacerdotali: ſed nec dum ambulaverit in civitate, aut in via, aut in plateis, ſine operimento præſumat ambulare, præter ſi in itinere longo ambulaverit. Quia ſicut mulier orans in Eccleſiâ, non velato capite, deturpat caput ſuum, juxta Apoſtoli vocem: ita ſacerdos ſine operimento deturpat ſuum ſacerdotium* &c. Tom. IV. Concil. Illuſtr. p. 72. Antiſiodorenſis Synodus, ſeculo ſexto habita Diaconum noluit velo vel palla humeros ſuos involvere. canon XIII. *Non licet diacono velo vel palla ſcapulas ſuas involvi,* Tom. III. Concil. Illuſtr. p. 738. Quando ſacra celebranda erant, utendum ei fuit linea veſte talari, quæ â calore Latinis *Alba*, à longitudine Græcis ποδήρης vocabatur. Ita enim Concil. Carthag. V. c. LXI. ſancit, *ut Diaconus tempore oblationis tantum, vel lectionis, Alba induatur*, Tom. III. Concil. Illuſtr. p. 385. *Iſidor. Hiſpalenſ.* de Offic. Eccl.

lib. II. cap. 8. f. 600. *Altari albis induti assistunt: ut cœlestem vitam habeant, candidique ad hostias immaculatique accedant, mundi scilicet corpore & incorrupti pudore.* Nec illa se veste exuere debuit Diaconus, nisi finitis sacris, ut in Concilio Narbonensi sub finem seculi VI. constitutum legimus can. 12. his verbis: *Nec Diaconus aut Subdiaconus certe, vel Lector, antequam Missa consummetur, Alba se præsumat exuere*, Tom. III. Concil. Illustr. p. 755. Præter albam tunicam Diaconus etiam *Orarium* habebat. Concilium Bracarense I. Sec. VI. habitum can. 8. classis alteræ: *Placuit*, inquit, *ut Diacones superposito scapulæ utantur orario*, Tom. III. Concil. Illustr. p. 701. Hoc verò non perinde ut Alba ei cum Hypodiaconis aut Lectoribus commune erat. Nam Concilium Laodicenum sec. IV. disertè Hypodiaconis, Lectoribus & Cantoribus Orario interdixit can. XXII. & XXIII. Illius verba hæc sunt: ὀ δεῖ ὑπηρέτην ὠράριον φορεῖν. *Non oportet ministrum ferre Orarium.* Hic ita habet: ὀ δεῖ ἀναγνώστας ἢ ψάλτας ὠράριον φορεῖν, καὶ ὅτως ἀναγινώσκειν ἢ ψάλλειν. *Non oportet Lectores vel Cantores ferre Orarium, & sic legere vel canere*, Pandect. Can. Tom. I. f. 463. *Ministri* voce ibi *Hypodiaconum* intelligi, *Zonaras* & *Balsamon* in h. l. volunt, contra quàm *Osiander* Hist. Eccl. Cent IV. existimat, qui *Ostiarium* interpretatur. Quod tamen magis ferendum, quàm illud, quod *Orarium* putat fuisse *libellum, ex quo preces conceptis verbis recitatæ fuerint.* Non libellus erat, sed linteum ad modum

dum faſciarum longiuſculum idemque latum, Diaconorum ornamentum, eorumque lævo humero imponi ſolitum. Quod ex antiquitate erudite demonſtrat eruditiſſimus *Caſaubonus* Not. in Fl. Vopiſcum f. 236. & ex parte *Joan. Meurſius*, in Gloſſar. Græco-Barbar. voce Ὠραρίου p. 629. *Matthæo Blaſtari* itemque *Balſamoni* l.c. dictum videtur ἀπὸ τοῦ ὠρῶ, quod eſt *obſervo*: eò quod diaconi, qui Orarium habuerunt, debuerint ſtantes ad pulpitum tempus obſervare, quando oportuerit eum, qui ſacram paginam legit, vel fideles vel catechumenos compellare. Sed hoc etymon eſſe falſum & ineptum, non ineptè obſervat *Caſaubonus*, cui potius origine Romana iſta videtur vox, ab *ore* appellata, quod fuerit propriè linteum ori tergendo paratum. In quo conſentientes habet *Auctorem Etymologici*, *Suidam* & *Varinum Phavorinum* voce Φώσσων. Significationem ejus myſticam tradit *Iſidorus Peluſiota* lib. I. epiſt. 136. ad Herminum Comitem f. 34. his verbis: ἡ ὀθόνη, μεθ' ἧς λειτουργοῦσιν ἐν τοῖς ἁγίοις οἱ διάκονοι, τὴν τοῦ κυρίου ἀναμιμνήσκει ταπείνωσιν, νίψαντος τοὺς πόδας τῶν μαθητῶν, καὶ ἐκμάξαντος. τὸ δὲ τοῦ ἐπισκόπου ὠμοφόριον ἐξ ἐρέας ὂν, ἀλλ' οὐ λίνου, τὴν τοῦ προβάτου δορὰν σημαίνει. ὅπερ πλανηθὲν ζητήσας ὁ κύριος, ἐπὶ τῶν οἰκείων ὤμων ἀνέλαβεν. *Linteum illud, cum quo Diaconi in ſanctis myſteriis munus ſuum obeunt, humilitatem Domini, qui diſcipulorum pedes lavit & exterſit, nobis in memoriam redigit. Id autem amiculum, quod ſacerdos (Epiſcopus) humeris geſtat, atque ex*

lanâ,] non ex lino contextum est, ovis illius, quam Dominus aberrantem quæsivit, inventamq; humeris suis sustulit, pellem designat. Plura de orariis, quæ digna & jucunda lectu sunt, collegit vir doctissimus *Guilielm. Beveregius* in Pandect. Canon. Annot. ad Concil. Laodicen. can. 22. f. 195, 196. Inter alia ex *Symeone Thessalonicensi* observat, in Orario Diaconi scriptam ter fuisse vocem ἁγίου, eò quod in omnibus sanctis mysteriis celebrandis illud gestaret. Ac proinde formam ejus fuisse talem:



LXXIV. De NUMERO hæc habe. Apostoli initio *septem* elegerunt Diaconos Act. VI, 3. Hos imitata sequentium seculorum Ecclesia, septem etiam in qualibet urbe esse voluit. Concil. Neocæsar. can. 14. *διάκονοι ἑπτὰ ὀφείλουσιν εἶναι κατὰ τὸν κανόνα. κἂν πάνυ μεγάλη εἴη ἡ πόλις· πεισθείσῃ δὲ ἀπὸ τῆς βίβλου τῶν πράξεων. Diaconi septem esse debent*

bent ſecundum canonem, etiamſi ſit magna civitas: ejus autem rei fidem faciet liber Actorum, ap. *Juſtell.* Can. Eccl. Un. f. 40. & Phot. Nomocan. Tit. I. cap. 30. f. 850. Verum hoc ut in aliquibus Ecclesiis obſervatum, perpetuum tamen non fuit. *Zozomenus* lib. VII. Hiſt. Eccl. cap. XIX. f. 100. διάκονοι δὲ παρὰ ῥωμαίοις εἰσέτι νῦν οὐ πλείους εἰσὶν ἑπτά· καθ᾽ ὁμοιότητα τῶν ὑπὸ τῶν ἀποστόλων χειροτονηθέντων, ὧν ἦν Στέφανος ὁ πρῶτος μαρτυρήσας. παρὰ δὲ τοῖς ἄλλοις διάφορος ὁ τούτων ἀριθμός. *Diaconi ap. Romanos hactenus non plures ſunt, quàm ſeptem, ad ſimilitudinem eorum, qui ab Apoſtolis ordinati fuerant, apud alios vero numerus eorum promiſcuus eſt.* Conſtantinopoli adeo creverat eorum numerus, ut in unâ majore Eccleſiâ plus centum eſſent, quemadmodum ex Novell. III. colligere licet. Juſtinianus quidem centum ei permiſit, ſed plures interdixit l. c. cujus tamen legi geſtus ſemper mos non fuit. Nam Heraclii tempore tot jam acceſſerant, ut ipſe de conſilio Sergii Archiepiſcopi prohiberet, quenquam addere, niſi prius Diaconorum ordo ad CL. redactus fuiſſet. Superadditi ergo iſta lege numero à Juſtiniano permiſſo quinquaginta fuerunt, in una modo dictâ majore Eccleſia Conſtantinopolitanâ. Similiter in Eccleſia S. Mariæ, quæ ibidem fuit, ſupra modum auctus Diaconorum numerus fuerat. Quâ de cauſâ eâdem ſanctione præceptum, ne quisquam iſti ordini prius adſcriberetur, quàm imminuto ad 18. eorum numero. Exſtat illa Heraclii conſtitutio in

Balſamonis collectione Conſtitutionum Eccleſiaſticarum, quæ *Joan.Leunclavius* ſub Paratitlorum nomine Latinè edidit, Tom. II. Bibl. *Juſtell.* f. 1366. ſeqq.

LXXV. Numero ſubjicere nunc placet CONJUGIUM, quod inire licuiſſe Diaconis tam Apoſtolicis, quàm Eccleſiaſticis, antiquitas luculenter teſtatur. Apoſtolus certè 1. Tim. III, 12. ſuos Diaconos vult eſſe μιᾶς γυναικὸς ἄνδρας, τέκνων καλῶς προϊςαμένους καὶ τ ἰδίων οἴκων, *unius uxoris viros, qui filiis bene præſint & ſuis domibus* ſeu familiis. Docet etiam, quales eorum uxores eſſe oporteat, comm. 11. Licuit ergo ex mente Apoſtoli, Diaconis illius ætatis habere uxorem, licuit habere filios, licuit habere familiam. Nec verò hoc pugnavit cum caſtitate, ideoque reprehenſionem meretur: Quia idem, qui Diaconos unius uxoris viros eſſe vult, eoſdem etiam jubet eſſe σεμνὰς caſtos comm. 8. & ἀνεγκλήτους inculpatos comm. 10. Quod ſi, qui unius uxoris viri ſunt ſive in legitimo matrimonio vivunt, iidem non poſſent ſimul eſſe caſti & inculpati, cur Apoſtolus hîc utrumque juſſiſſet? Nec verò exiſtimandum, vel ante ſuſceptionem ſacri muneris mortuas, vel in ipſâ ſuſceptione aut poſt eam dimiſſas Diaconorum uxores eſſe. Nam Apoſtolus non dicit, quales Diaconos oporteat *fuiſſe*, ſed quales deceat *eſſe*, ἔςωσαν, inquit, præſenti tempore, *ſint*, non *fuerint unius uxoris viri.* Quod ſi *viri uxoris* ſive mariti eſſe debuerunt, & uni

qui-

quidem tantum juncti uxori, non poſſunt legitime dimiſiſſe uxores, ſuſcepto ſacro munere. Nam qui legitimum divortium fecit, is non *eſt*, ſed *fuit vir uxoris* ſive maritus. Soluto conjugio, ſolvitur vinculum, ac proinde perit reſpectus, quem maritus ad uxorem, & hæc viciſſim ad illum habet. Præterea cum Apoſtolus habere Diaconis filios permittit, generare non prohibet. Immò quia habere permittit, ideo etiam permittit generare. Et licet non præcipiat, poſt ſuſceptionem *διακονίας* filios generare, tamen nec id ipſum prohibet. Liberum ergo, quia nec præceptum nec prohibitum. Atque ut de *jure* ineundi conjugium conſtat: ita de *facto* dubitare nos non ſinit *Philippus*, qui fuit unus ex ſeptem, idemque Evangeliſta. Hunc enim quatuor habuiſſe filias virgines, Acta memorant cap. XXI, 9.

LXXVI. De Eccleſiaſticis Diaconis dicendum idem, nimirum nec prorſus interdictum iis fuiſſe conjugium, nec omnes eo abſtinuiſſe. De priori conſtat ex Concilii Ancyrani, ante Nicænum Oecumenicum habiti, canone X. qui ita habet: *Διάκονοι ὅσοι καθίστανται, παρ' αὐτὴν τὴν κατάστασιν εἰ ἐμαρτυρήσαντο καὶ ἔφασαν χρῆναι γαμῆσαι [γαμεῖν,] μὴ δυνάμενοι οὕτω μένειν, οὗτοι μετὰ ταῦτα γαμήσαντες, ἔστωσαν ἐν τῇ ὑπηρεσίᾳ, διὰ τὸ ἐπιτραπῆναι αὐτοῖς ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου. τοῦτο δὲ εἴ τινες σιωπήσαντες, καὶ καταδεξάμενοι ἐν τῇ χειροτονίᾳ μένειν οὕτω, μετὰ ταῦτα ἦλθον ἐπὶ γάμον, πεπαῦσθαι αὐτοὺς τῆς διακονίας.* *Diaconi*

ni quicunque ordinantur, si in ipsâ ordinatione protestati sunt, & dixerunt, oportere se uxores ducere, cum non possint sic manere, hi si postmodum uxores duxerint, sint in ministerio; eò quod eis Episcopus hoc concesserit. Si qui autem tacuerint, & in ordinatione, ut ita manerent, suscepti sunt, postea ad nuptias venerint, ii à Diaconatu cessent, in cod. can. Eccl. Univ. ap. Justell. Tom. I. f. 37. & in Joann. Antiochen. Collect. Can. Tit. 27. ap. eund. T. II. f. 554. Hic certè disertè permittitur Diacono suo fungi officio, etiamsi uxorem duxerit, modo id ante professus fuerit in ipsâ consecratione. Neque tamen concessioni Episcopi id tribuendum, quod ei licet inire conjugium: Quippe jus naturæ & divinum hanc ei jam potestatem fecit; sed illud tantùm Episcopo videtur acceptum referendum, quod non obstante conjugii permissione, ab eo ad διακονίαν rite consecratus sit. Cæterum quod vitam cœlibem professo abrogatur officium, uxore ductâ, id non tam fit propter nuptias, quàm propter temere factam promissionem & fidem violatam: neque enim Diaconum decet esse *bilinguem*, sed *inculpatum* 1. Tim. III, 8, 10. *Et ab omni etiam mali specie abstinere* 1. Thess. V, 20. In Concilio Nicæno Oecumenico I. τοῖς μὲν ἄλλοις ἐδόκει νόμους ἐπεισάγειν, ἐπισκόπους καὶ πρεσβυτέρους, διακόνους τε καὶ ὑποδιακόνους, μὴ συγκαθεύδειν ταῖς γαμεταῖς, ἃς πρὶν ἱερᾶσθαι ἠγάγοντο, *visum aliis est leges introducere, quæ juberent, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi cum uxoribus,*

ribus, quas ante duxissent, quam initiati essent, neutiquam dormirent. Verum obstitit Paphnutius Episcopus, vir cœlebs, & vehementissime contradixit, laudatoque conjugio concilium à tali lege ferendá graviter dehortatus est, firmissimis additis rationibus. Nec difficulter, quod intendit, assecutus est. Nam ἐπῄνεσεν ἡ σύνοδος τὴν βουλὴν, καὶ περὶ τούτου οὐδὲν ἐνομοθέτησεν· ἀλλὰ τῇ ἑκάστου γνώμῃ, τὸ πρᾶγμα οὐκ ἀνάγκῃ ἔθετο. *Concilium approbavit ejus sententiam, & de hâc re nullam legem tulit, sed eam in cujusque arbitrio, non in necessitate poni voluit.* Memorat hæc fusius *Sozomenus* Hist. Eccl. lib. I. cap. XXIII. f. 18. b. & *Socrates* Hist. Eccl. lib. I. cap. XI. f. 180. b. *Suidas* etiam in voce παφνουτίου, & *Gratianus* dist. 31. c. Nicæna. Initio seculi V. Toletana Synodus I. habita fuit, quæ similiter Diaconos, etiamsi uxores habeant, in ministerio constituendos censuit. Sic enim habet Constitutio 1: *Placuit, ut Diaconi, si vel integri vel casti sint, & continentis vitæ, etiamsi uxores habeant, in ministerio constituantur* &c. Tom. III. Concil. Illustr. p. 397. Romana quidem Ecclesia Diaconorum, ut Episcoporum & Presbyterorum, nuptiis infesta fuit easque prohibuit; verum contradixit Concilium Constantinopolitanum Trullanum posterius sub finem seculi VII. can. XIII. cujus verba operæ pretium est transscribere. Sunt autem hæc: *Quoniam Romanæ Ecclesiæ pro canone traditum esse cognovimus, ut promovendi ad Diaconatum vel Presbyteratum, profiteantur, se non amplius*

suis uxoribus conjungendos, nos antiquum canonem Apostolicæ perfectionis ordinisque servantes, hominum, qui sunt in sacris, legitima conjugia deinceps quoque firma & stabilia esse volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem dissolventes, vel eos, mutuâ tempore convenienti consuetudine privantes. Quamobrem si quis dignus inventus fuerit, qui Hypodiaconus vel Diaconus vel Presbyter ordinetur, is ad talem gradum assumi nequaquā prohibeatur, si cum legitimâ uxore cohabitet, Sed neq; ordinationis tempore ab eo postuletur, ut profiteatur, se legitimâ cum uxore consuetudine abstenturum: Neq; ex eo à DEO constitutas & suâ præsentiâ benedictas nuptias injuriâ afficere cogamur, Evangelicâ voce exclamante: Quæ DEUS conjunxit, homo non separet. *Et Apostolo docente:* Honorabiles nuptias & thorum immaculatum. *Et* alligatus es uxori, ne quære solutionem. *Scimus autem, sicut & qui Carthagine convenerunt, & vitæ ministrorum honestatis curam gerentes dixerunt, ut Subdiaconi, qui sacra Mysteria contrectant, & Diaconi, & Presbyteri, secundum proprios terminos à consortibus abstineant: ut &, quod per Apostolos traditum est, & ab ipsa usque antiquitate servatum, tempus in omni re scientes, & maximè in jejunio & oratione. Oportet enim eos, qui divino altari assident, in sanctorum tractandorum tempore esse omnino continentes, ut possint id, quod à DEO simpliciter petunt, obtinere: Si quis ergo fuerit ausus præter Apostolicos canones incitatus aliquem eorum, qui sunt in sacris, Presbyterorum, inquimus, vel Diaconorum vel Hypodiaconorum, conjunctione cum legitima uxore, & consuetudine, privare, deponatur. Similiter & si quis Presbyter, vel Diaconus suam uxorem pieta-*

pietatis prætextu ejecerit, ſegregetur. Et qui perſeveret, deponatur, Concil. Illuſtr. Tom. IV. Period. IV. peric. VII. diatr. XVIII. p. 37. 38. Hactenus Concilium Trullanum. Ex quo, ut ex aliis jam allatis, ſatis patere arbitror, non prorſus Diaconorum ordinem conjugio prohibitum fuiſſe. Quod demonſtrandum mihi ſumſeram.

LXXVII. Nunc unum tantum & alterum *exemplum* afferam, quo efficitur, Diaconos iſta etiam libertate â natura ſibi tributa eſſe uſos, & uxores duxiſſe, ductasve retinuiſſe, ubi ſacro ordini fuerunt adſcripti. Ac primo quidem ratione quâdam id obtinere poſſemus. Cum enim Epiſcopos etiam & Presbyteros maritos fuiſſe legamus, quos Diaconis ſuperiores fuiſſe & ſacra myſteria propius attigiſſe conſtat, quis dubitet, non aliquos ſaltem è Diaconorum numero Epiſcopos & Presbyteros ſuos ſecutos uxores duxiſſe? nam totum hunc ordinem abſtinuiſſe, cæteris interea in conjugio viventibus, veriſimile non eſt. Illud autem, quod de Epiſcopis & Presbyteris maritis diximus, multorum firmant exempla. Ejusmodi enim fuerunt è *Presbyterorum* ordine VALENS teſte *Polycarpo* epiſt. ad Philipp. p. 22. edit. Uſſer. TERTULLIANUS, cujus duo ad uxorem libri adhuc exſtant; NOVATUS ap. *Cyprianum* lib. II. epiſt. 8. f. 48. Illi item, quorum mentio facta in *Concilio Gangrenſi* can. IV. ap. *Juſtell.* Cod. Can. Eccl. Un. Tom. I. f. 41. & plurimi alii ap. *Hieronymum* l. I. contra Jovin. Tom. II. Oper. f. 32.; ex

Epi-

Episcopis CYPRIANUS Carthaginensis teste Pontio in vitâ ejus, SPIRIDION Cyprius ap. *Sozom.* lib. I. cap. XI. f. 14. a. DIONYSIUS Alexandrinus ap. *Eusebium* Hist. Eccl. lib. VI. cap. XL. f. 67. b. CHÆREMON Nili Episcopus ap. *eund.* lib. VI. c. XLVII. f. 69. PHILEAS Thmuitanus ap. *eund.* lib. VIII. cap. IX. f. 86. b. GREGORIUS Nazianzenus Theologi Pater apud *Ruffin.* Hist. Eccl. lib. II. cap. IX. f. 216. & *Sozom.* Hist. Eccl. lib. VI. cap. XVII. f. 80. a. GREGORIUS NYSSENUS ap. *Nicephor.* Hist. Eccl. l. XI. c. XIX. f. 643. HILARIUS Pictaviensis ap. *Mantuan* Fast. l. I. SYNESIUS Ptolemaidis ep. CV. ad fratrem f. 248, 249. & pleriq; ad Concilium usque Nicænum Oecumenicum ap. *Eutychium* Patriarch. Constantinop. Alexandrin. Annal. Tom. I. p. 449, 450. conf. *Athanasium* ad Dracontium Tom. I. Oper. f. 739. &c. Deinde verò de Diaconis etiam speciatim antiquitas testatur, quosdam fuisse maritos. Sic apud *Irenæum* lib. I. cap. IX. f. 73. *Diaconum speciosam uxorem domi habentem* invenimus. Sic Agricolam Bononiensem Diaconum, uxorem habuisse Julianam, ap. *Ambrosium* exhort. ad Virg. legimus. Sic *Epiphanius* hæres. LIX. ἐν ποσὶ τόποις ἔτι τεκνογονεῖν πρεσβυτέρους καὶ διακόνους, *in nonnullis locis adhuc liberos generare Presbyteros & Diaconos* scribit. Quæ hîc in contrarium afferuntur, discussa jam ab aliis sunt. Vide è nostris *Henric. Mullerum* & *Georg. Calixtum* de Conjugio Clericorum, è Reformatis *Mornæum* de S. Eucharist.

lib.

lib. II. cap. IX. p. 626. seqq. ubi etiam plura exempla reperies.

LXXVIII. Ad COGNATA Diaconorum jam venio; quorum in numerum inprimis referendi videntur *Levitæ V. T.*, & *Diaconissæ N. T.* Levitæ certè tantam cum Diaconis habent cognationem, ut sicut hos N. T. Levitas, ita vicissim illos V. T. Diaconos non immeritò dixeris. Dicti etiam ita sunt veteribus, ut supra observatum: idque propterea, quod Diaconorum instar Levitæ essent. Magnif.. Dn. *Tribbechovius* l.c. sect. VII. ad certa quædam capita revocat, quæ Diaconi cum Levitis habent communia. Primum est, œconomia bonorum Ecclesiasticorum; alterum, ministerium sacramentorum; tertium, lectiones sacræ; quartum, cura ædium sacrarum; quintum, Psalmodiæ; sextum, adhortatio cœtus; septimum denique, reverentia superiorum. Atque hæc ille ibidem fuse & eruditè persequitur, ut non opus sit quicquam addere.

LXXIX. DIACONISSÆ, ut vocantur, perinde ut Diaconi, in *Apostolicas* & *Ecclesiasticas* dispesci posse commodè videntur. Apostolorum ætate fuisse feminas Ecclesiæ ministras, docemur Rom. XVI, 1. ubi Paulus commendat *Phœben*, οὖσαν διάκονον τῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν Κεγχρεαῖς, *quæ ministra seu diaconissa est Ecclesiæ Cenchreensis*. Sunt etiam, qui 1. Tim. V, 9. seq. ubi de viduarum electione agitur, diaconissas significari, non male putant. Ministrabant autem illæ Ecclesiæ

clesiæ non in prædicatione verbi & administratione sacramentorum, eo modo, quo Diaconi viri (talis enim functio mulieribus interdicta, 1. Corinth. XIV, 34, 35. 1. Tim. II, 12.) sed in curandis pauperibus & ægrotis, peregrinis, captivis, & ejusmodi aliis, ut ex ll. cc. colligere licet. Atque hoc ipsum cum Diaconis Apostolicis commune habebant Act. VI.

LXXX. Major verò inter Ecclesiasticos Diaconos & Diaconissas cognatio reperitur. Id quod ex iis intelligitur, quæ de illarum ministerio, ordinatione, ætate, conjugio, habitatione, dignitate, numero Ecclesiastici Scriptores tradunt. *Ministerium* illarum, præcipue mulierum caussa institutum atque expetitum video. Illis enim ministrabant in baptismo, ne nuda earum corpora (nudos enim baptizare, moris erat in veteri Ecclesiâ) adspicerentur à viris baptismum conferentibus. Etiam cum mulierum corpora erant inspicienda, Diaconissis opus erat. Id quod egregie & planissimè docet *Epiphanius* hæres. LXXIX. Collyrid. n 3. 4. & in Exposit. fid. Cathol. n. 21. adde Novell. VI. c. 6. Præterea solebant mulieres in baptismo ungere, teste Auctore Constit. Apost. lib. III. cap. 15. eas etiam ὑποδέχεσθαι *suscipere*, perinde ut Diaconus viros teste eodem cap. 16. & docere elementa fidei & responsa in baptismo reddenda, ut videre est ex Concil. Carthag. V. cap. 12. Concil. Illustr. T. III. Period. II. Peric. IV. diatr. 136. p. 382. & *Hieronymo* in epist. ad Rom.

Rom. c. 16. Tom. IX. oper. f. 298. Januæ etiam, quâ mulieres ædem sacram ingrediebantur, custodia illis fuit concredita, quemadmodum scribit *Ignat.* epist. ad Antiochen. & *Auctor* Constit. Apostol. lib. VIII. c. 28. In ipsis templis cæterarum mulierum mores ad modestiam composuisse, *Balsamon* testatur ad Can. XI. Laod. f. 833. Nec ulla mulier ad Episcopum vel Diaconum nisi comite Diaconissa accedere debuit, si auctori Const. Apost. habenda fides lib. II. c. 26. Quin & Episcopus Presbyterve, ne materiam suspicioni præberet, iis tanquam internunciis utebatur, si quid cum mulieribus agendum esset, ut idem auctor tradit. Ex *Luciani* epistola de morte Peregrini Tom. IV. Oper. f. 276. discimus, captivorum eas egisse curam.

LXXXI. De *Ordinatione* earum variavit consuetudo. Neque enim ea omnium temporum, nec locorum fuit. In Galliis olim ordinatas fuisse, ex eo constat, quod earum ordinatio postea sublata per Conciliorum aliquot Gallicorum decreta fuerit, ut Concil. Arausican. I. (A. 441.) can. 26. Tom. III. Concil. Illustr. p. 540. Concil. Epaunens. (A.C. 509.) can. 21. Concil. Aurelian. II. (A. 536.) can. 16. & 17. Tom. III. Conc. Illustr. p. 660. 661. In Oriente autem earum consecratio diutius obtinuit. Ritus explicat Euchologium hoc fere modo. Diaconissa consecranda Episcopo sistitur, qui ei caput inclinanti manum imponit, & tribus crucibus factis certas quasdam preces recitat.

tum

Tum ſtolam διακονικὴν, μαφόριον dictum collo, ejus circundat, duas ejus extremitates ante pectus reducens. Quo facto Diaconus in ambone ſtans ait: πάντων τ̃ ἁγίων μνημονεύσαντες &c. Ad eundem fere modum eos deſcribit *Matthæus Blaſtares* Synth. Alph. lit. γ. cap. XI. cujus verba è Græco in Latinum translata ita habent: *Diaconiſſa ad ſacram menſam adducta μαφορίῳ velo tegitur, extremitatibus ejus propendentibus, & poſtquam dictum fuerit,* Gratia divina, quæ infirmis medetur, *nec pedes movet nec genu, ſed tantum caput inclinat; & tum Antiſtes manum in eam imponens, precatur, ut Diaconiſſa officium inculpatè exſequatur, caſtitatem & honeſtam vitæ rationem colens; & ſic in ſacris templis aſſidua ſit; myſteriis vero incontaminatis eam miniſtrare, aut flabellum tractare, more Diaconi, non permittit. Deinde collo ejus ſub velo (μαφορίῳ) Antiſtes Orarium Diaconi imponit, præferens duas ejus extremitates, in tempore autem participationis poſt Diaconos ſacra myſteria participat, deinde poculum ex Antiſtitis manu accipiens, nemini tradit, ſed in ſacram menſam reponit.* Hæc *Blaſtares* Pandect. Can. Tom. II. Part. II. f. 71. *Balſamonis* autem tempore, id eſt ſeculo XII. hic mos jam obſoleverat. Sic enim ille ſcribit not. in can. 15. Concil. Chalced. in Pandect. Can. Tom. I. f. 131. διακόνισσα σήμερον ὀ χειροτονεῖται. *Diaconiſſa hodie non ordinatur.*

LXXXII. Sed nec *ætatis* eadem ſemper ratio fuit habita. Imperatores, Valentinianus, Theodoſius & Arcadius nullam niſi ſexagenari-

genariam Diaconissarum ordini adscribi voluerunt l. 9. Nulla C. de Episc. & Cl. & quãvis in nonnullis codicibus pro sexaginta legatur quinquaginta; sexaginta tamen omnino esse legendum & retinendum, testimonium Apostoli, ad quod ibi provocatur, efficit. Justinianus Novell. 6. c. 6. quinquagesimum circiter, & postea Novell. 123. c. 13. quadragesimum ætatis annum ad διακονίαν muliebrem constituit. Quam posteriorem ætatem etiam definit Concil. Chalcedonens. can. 15. in Pandect. Can. Tom. I f. 131. & Trullanum posterius can. 15. ibid. f. 173.

LXXXIII. *Conjugium* eis fuit interdictum. Secus quæ faciebant & conjugium inibant, anathemati subjiciebantur, vi can. 15. Concil. Chalced. Oecumen. l. c. immo capitis damnabantur unà cum marito Novell. VI. c. 6. ac proinde vel virgines, vel viduas esse oportebat, quod eruditè ostendit celeberrimus *Suicerus* Thesaur. Eccles. f. 865.

LXXXIV. Hinc nec permissum iis fuit, *habitare* ubi vellent, & cum quibus vellent; sed jussæ aut solæ habitare, aut cum parentibus & filiis, & vere fratribus, aut iis, in quos nulla cadere posset suspicio. Aliorum autem consortium vitandum ipsis fuit vi Novell. cit. & multorum canonum, quos in hanc rem collegit *Annibal Fabrotus* not. in Theod. Balsam. Constit. Eccl. Collect. ap. *Justellum* Tom. II. f. 1417.

LXXXV. De *dignitate* illarum, ajunt, Laicis fuisse annumeratas, idque colligunt ex

can. XIX. Concil. Nicæni I. ubi jubentur ἐν τοῖς λαϊκοῖς ἐξετάζεσθαι *inter Laicos recenseri.* Verùm mentem Patrum Nicænorum longè fuisse aliam, non difficulter persuadet *Fabrotus* l. c. cum ex verbis illis ὁμοιώτως ἢ καὶ concludit, hoc constitutum fuisse isto canone, ut Diaconissæ, quæ ab Hæresi Paulianorum ad Ecclesiam redierant, iterum baptizarentur, & iis, quæ in eodem habitu esse noscebantur, cum non haberent manuum impositionem, adeo ut omnino inter Laicos censerentur, manus imponerentur anno 40. si invenirentur idoneæ: sin minus, non imponerentur. Pluribus hoc persequitur doctissimus *Suicerus* l. c. f. 867. 868.

LXXXVI. *Numerus* earum varius erat in variis locis, variis item temporibus. In unâ Ecclesiâ Constantinopolitanâ majori plus quadraginta fuisse tempore Heraclii Imperatoris, inde colligo, quod laudatus Imperator vetuit ullam in collegium illud cooptari, nisi diminuto earum numero ad 40. usque. Constitutio exstat ap. Justell. Tom. II. f. 1369. In Ecclesia S. Mariæ, quæ fuit in Blachernis, sex tantum esse debuerunt, vi ejusdem Constitutionis, cum antea plures fuissent. Plura de Diaconissis vide ap. *Justell.* Not. in Cod. Can. Eccl. Univ. T. I. f. 94. & *Annib. Fabrot.* not. in Balsam. collect. ap. Just. Tom. II. f. 1416. seqq. Magnif. Dn *Kortholtum* Comm. in epist. Plinii & Trajani p. 143. seqq. *Beveregium* not in Can. 15. Concil. Chalced. f. 118. sq. *Voëtium* Polit. Eccl. Part. II. lib. II. Tr. VI.

IV. cap. I. p. 509. seqq. *Suicerum* l. c. Atque ex his omnibus patet, quàm multa Diaconissis cum Diaconis olim fuerint communia; ut adeò illorũ cognatis adscribi jure meritoq; potuerint.

LXXXVII. Unum restat de Diaconis dicendum, quod ubi exposuero, finem faciam. Philosophi vocant OPPOSITA. Hæc enim cum sese mirum in modum illustrent, hîc minimè erant prætermittenda. Opponuntur autem Diaconis inprimis *pœnæ*, quibus vel plane esse, vel Diaconi esse desinunt. Prioris generis est *supplicium capitis*; posterioris, *abrogatio officii.* Illa pœna *civilis*, hæc *Ecclesiastica* fuit. Illa infligebatur à magistratu pro delicti qualitate, hæc ab Episcopo Novell. 123. c. 21. Illam subibant, qui homicidium aut aliud morte dignum facinus commiserant, de quo consulendæ leges civiles; hanc ferebant, quicunque vel falsum testimonium dixerant in causis gravioribus Novell. 123. cap. 20. Concil. Agathens. c. 33. Tom. III. Concil. Illustr. p. 650. vel qui stuprum fecerant *Basil.* M. can. 3. ap. *Matth. Blastarem* Syntagm. cap. XV. lib. II. f. 123. Tom. II. Pandect. Can. vel qui aleæ lusu poculisque abstinere nolebant. Can. Apost. XLII. Tom. I. Pandect. Can. f. 29. vel qui usuras exegerant ibid. can. XLIV. vel qui hæreticis tanquam clericis aliquid agere permiserant, ibid. can. XLV. f. 30. vel qui pœnitentem non receperant, ibid. can. LII. f. 30. vel qui iterum se consecrari passi erant ibid. can. LXVIII. f. 44. vel qui con-

tra dicente Episcopo seorsum conventus egerant Concil. Antiochen. can. 5. in Cod. Can. Eccl. Un. ap. *Justell.* T. I. f. 44. vel qui averterant res Ecclesiæ Concil. Agathens. can. XXXII. Tom. III. Concil. Illustr. p. 650. vel qui aliis se sceleribus contaminarant, de quibus plura in Canonibus.

CAPUT XIX.

DE IIS, QUÆ ECCLESIA AD ALTARIA, VEL IN IIS AGERE OLIM SUEVIT.

I. Res ad altaria gestæ.
II. Consecratio S. Eucharistiæ.
III. Dispensatio ejusdem.
IV. Oblationes. Libellus altari impositus. Mos offerendi aliquid altari.
V. Preces ad altare.
VI. Preces sub altari.
VII. Cantiones ad altaria.
VIII. Consecratio variarum rerum.
IX. Conciones apud altare.
X. Recitata ad altare nomina vivorum.
XI. Mortuorum quoque. Explicatur & confirmatur hic ritus exemplo Monicæ.
XII. Martyres ad altare commemorati: & quâ de caussâ.
XIII. Quorum mortuorum nomina non fuerint commemorata.

XIV.

XIV. Diptycha quid fuerint. Duo eorum genera, Cardinal. Bona notatur, qui tertium genus superaddit. Diptycha bipartita. Diptycha vivorum & mortuorum ostenduntur ex antiquitate.

XV. Nomen mortui referre in Diptycha, non habuit speciem Canonizationis, quod contra Pontif. ostenditur.

XVI. Diptychis mortuorum non inseri vel expungi, ignominiosum. Altercationes de nomine Johannis Chrysostomi. Synodorum nomina tabulis Episcoporum mortuorum inserta. Lector nominum Diaconus. Nomina de sententiâ episcoporum inscripta.

XVII. Quando recitata mortuorum nomina.

§. I.

VAria olim in Ecclesiâ ad altaria vel in iis agi solebant. Nos præcipua attingemus, & paucis quidem. Accuratè enim singula persequi, instituti nostri ratio non permittit. Erant autem hæc fere: *S. Eucharistiæ consecratio, & dispensatio, sacrorum munerum oblatio, precationes, cantiones, consecratio variarum rerum, conciones, oblatio sive commemoratio nominum.* De singulis aliquid.

II. CONSECRATIONEM S. EUCHARISTIÆ in mensâ seu altari factam, probatione non indiget. Nemo negat, nemo dubitat. Tota antiquitas asserit: cujus eâ de re suffragia velle conquirere, hominis est, in re manifestâ nimis seduli. Unum tantum & alterum afferemus,

remus, ne quid ſine teſte videamur locuti. *Dionyſius* Hierarch. Eccleſ. cap. III. p. 134. νιψαμένων τὰς χεῖρας ὕδατι, τοῦ ἱεράρχου καὶ τῶν ἱερέων, ὁ μὲν ἱεράρχης ἐν μέσῳ τοῦ θείου θυσιαστηρίου καθίσταται. περιεστᾶσι δὲ μόνοι μετὰ τῶν ἱερέων οἱ τῶν λειτουργῶν ἔκκριτοι. καὶ τὰς ἱερὰς θεουργίας ὁ ἱεράρχης ὑμνήσας, ἱερουργεῖ τὰ θειότατα, καὶ ὑπ᾽ ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνημένα διὰ τῶν ἱερῶν προκειμένων συμβόλων, καὶ τὰς δωρεὰς τῶν θεουργιῶν ὑποδείξας, εἰς κοινωνίαν αὐτῶν ἱερὰν, αὐτός τε ἔρχεται, καὶ τοὺς ἄλλους προτρέπεται. *Ubi manus tum Antiſtes tum ſacerdotes aquâ laverunt, pontifex ad medium divini adſiſtit altaris, circumſtant autem ſoli cum ſacerdotibus electi quiq; ex miniſtrorum numero. At vero Pontifex cum divina munera laude proſecutus fuerit, ſacroſancta & auguſtiſſima myſteria conficit, & quæ ante laudaverat venerandis operta & abdita ſignis, in conſpectum agit, divinaque munera reverenter oſtendens, ad ſacram illorum communionem & ipſe convertitur, & reliquos, ut communicent, hortatur.* Auguſtinus epiſt. LIX. ad Paulinum Tom. II. Oper. f. 299. *Eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis vel penè omnis frequentat Eccleſia, ut Precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione ſacramentorum, antequam illud, quod eſt in Domini menſa, incipiat benedici: Orationes, cum benedicitur & ſanctificatur & ad diſtribuendum comminuitur.*

III. De DISPENSATIONE ſive diſtributione S. cœnæ jam ſupra dicta, quæ hîc dicenda eſſent. Ex quibus puto ſatis conſtare, diſtributa olim ad altare ſeu menſam Domini

ſacra Symbola eſſe. Quod tamen perpetuum non fuit, inprimis poſtquam Laici prohibiti ſunt accedere ad altare. Concilium Bracarenſe I. can. XII. poſterioris claſſis: *Ingredi ſacrarium ad communicandum non liceat Laicis, niſi tantum clericis* Tom. III. Concil. Illuſtr. p. 701. Concilium Toletanum IV. ſeculo VII. celebratum can. 17. juſſit, *ut ſacerdotes & Levitæ ante altare communicent, in choro clerus, extra chorum populus,* in Cent. Magdeb. VII. cap. IX. f. 154. Sed de hoc infra pluribus.

IV. SACRA MUNERA allata ad altare fuiſſe, teſtimoniis *Optati Milevitani, Victoris Uticenſis,* & canonum, ut vocant, Apoſtolicorum firmavi ſupra cap. VII. Nunc addo ſequentia. *Theodorit.* Hiſt. Eccl. lib. V. cap. 18. f. 343. ἐπειδὰν γὰρ ὁ καιρὸς ἐκάλει, τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ τὰ δῶρα προσενεγκεῖν. *Cum tempus juberet ſacræ menſæ offerre munera.* Et lib. IV. cap. XIX. f. 328. b. de Valente Imperatore: τῷ θυσιαστηρίῳ τὰ εἰωθότα προσενήνοχε δῶρα. *Altari ſueta munera obtulit.* Ennodius Dict. II. miſſâ Honorato p. 473. *Dum puris cumulamus altaria ſancta donariis, præſentiam tuæ majeſtatis interſere.* Concilium Mantisconenſe II. can IV. *Statuimus, ut omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur* &c. Tom. III. Concil. Illuſtr. p. 721. Nec verò tantum ipſa dona ad altare allata, ſed etiam poſtea, ubi mos invaluit, offerendi præter vinum, panem & aquam, etiam alia, cœpit *charta* ſeu *libellus* altari imponi, cui inſcriptum

erat, quantum quis in usus sacros destinaret. Exemplum ejusmodi donationis exstat in Capitulari *Caroli M.* lib. VI. cap. 285. p. 225. his verbis: *Quisquis nostrum suas res Ecclesiæ tradit, Domino DEO illas offert atque dedicat, suisque sanctis, & non altari, dicendo talia & agendo ita. Facit enim scripturam de ipsis rebus, quas DEO dare desiderat, & ipsam scripturam coram altari, aut supra tenet in manu dicens ejusdem loci sacerdotibus atq; custodibus: Offero DEO atq; dedico omnes res, quæ hâc in chartula tenentur insertæ, pro remissione peccatorum meorum, ac parentum, & filiorum, aut pro quocunque illas DEO deliberare voluerit ad serviendum ex his DEO in sacrificiis, Missarumq; solenniis, orationibus, luminariis, pauperum ac clericorum alimoniis, & cæteris divinis cultibus atq; illius Ecclesiæ utilitatibus. Si quis autem eas inde, quod fieri nullatenus credo, abstulerit, sub pœnâ sacrilegii ex hoc Domino DEO, cui eas offero atq; dedico, districtissimas reddat rationes. Ponit etiam in eâ alias conjurationes, quas enumerare longum est*, &c.

V. De PRECATIONIBUS apud altare factis, memini dixisse quædam cap. 8. allatis in hanc rem inprimis testimoniis aliquot *Optati Milevitani*, & uno *Ambrosii*. Quibus nunc alia subjicere placet. Huc enim proprie pertinent. *Optat. Milev.* lib. II. p. 63. *Inter vicina momenta dum manus imponitis* (de Donatistis loquitur) *& delicta donatis, mox ad altare conversi orationem Dominicam prætermittere non potestis.* Augustinus epist. CVII. ad Vitalem Carthaginens. Tom. II. Oper.

f. 493


f.493. *Dic ergo apertissimè, nos pro iis, quibus Evangelium prædicamus, non debere orare, ut credant, sed eis tantummodo prædicare. Exerce contra orationes Ecclesiæ disputationes tuas, & quando audis sacerdotem DEI ad altare exhortantem populum DEI, orare pro incredulis, ut eos Dominus convertat ad fidem, & pro catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret, & pro fidelibus, ut in eo quod esse cœperunt ejus munere perseverent* &c. & f. 502. *Numquid ubi audieris sacerdotem DEI ad ejus altare populum hortantem ad DEUM orandum, vel ipsum clarâ voce orantem, ut incredulas gentes ad fidem suam venire compellat, non respondebis, Amen?* Et homil. XLII. quæ est inter Quinquaginta Tom. X. Oper. f. 531. *In Ecclesiâ ad altare DEI quotidie dicitur ista oratio Dominica, & audiunt istam fideles.* Cæsarius Arelatens. homil. 34. *Rogo vos & admoneo, fratres charissimi, ut quotiescunque juxta altare à clericis oratur, aut oratio diacono clamante indicitur, non solum corda, sed etiam corpora fideliter inclinetis.* Patet ex his non solum id, quod probandum erat, scil. apud altare preces fuisse factas; sed etiam, cujusmodi preces apud altare veteres fuderint, eas nempe, quas præscripsit ipse Dominus Matth. VI, 9. seqq. tum alias pro fidelibus, infidelibus, catechumenis &c. ut alias nunc taceam antiquitates, quæ in iisdem testimoniis continentur, & nullo negotio inde erui possunt. Plura qui cupit precum exempla, ipsas Liturgias legat; & ubivis reperiet.

VI Quæ tamen omnia intelligenda tantum ſunt de *precibus juxta altare* factis. Præterea enim *ſub altari* quoque interdum precatos veteres obſervavi. De Alexandro Alexandriæ Epiſcopo *Ruffinus* Hiſt. Eccl. lib. I. cap. XII. f. 207. ſcribit, quod SUB ALTARI JACENS *per totam noctem precibus ſuis Eccleſiæ cauſam Domino commendarit.* Verba *Ruffini* relata ſupra cap. VII. De *Ambroſio* ejusdem in re ſimili exſtat teſtimonium lib. II. cap. XVI. f. 218. *Ambroſius*, inquit, *adverſum Reginæ furorem non ſe manu defenſabat, aut telo, ſed jejuniis continuatisque vigiliis SUB ALTARI poſitus per obſecrationes defenſorem ſibi atque Eccleſiæ DEUM parabat.*

VII. Quod ad CANTUS SACROS attinet, ſupra etiam jam oſtenſum, ex *Auguſtino* & *Sidonio Apollinari* eſt, veteres ad altaria ſueviſſe canere. Idem etiam teſtatur *Dionyſius* Hierarch. Eccl. cap. III. pag. 132. His verbis: ἀναλύσας δὲ πάλιν (de Epiſcopo loquitur, quem ἱεράρχην vocat) ἐπὶ τὸ θεῖον θυσιαστήριον, ἀπάρχεται τῆς ἱερᾶς τῶν ψαλμῶν μελῳδίας, συνᾳδούσης αὐτῷ τὴν ψαλμικὴν ἱερολογίαν ἁπάσης τῆς ἐκκλησιαστικῆς διακοσμήσεως. *Ad ſanctum altare reverſus* (Epiſcopus) *Pſalmorum incipit melos, concinentibus ſecum ſacra carmina omnibus Eccleſiaſtici ordinis gradibus.*

VIII. Et ſicut de precationibus & cantibus, ita & de CONSECRATIONE MINISTRORUM ECCLESIÆ, SACRARUM VIRGINUM, & CHRISMATIS ſive unguenti ſacri,

cri,



1. Thro
subsell
3. Sacell
in quo
habeb
5. Sancta
superiora



cri, jam ſupra citato cap. 8. oſtendi, quod hîc oſtendendum mihi ſumſeram. Plura addere initio conſtitueram, &, quæ de ſingulis hiſce antiquitas nobis reliquit ſcitu digna, explicare pro ingenii viribus. Sed nunc mutavi ſententiam, cum videam ſub manu creſcere materiam, eaque in alium locum rejicienda putavi. Vide interim de conſecratione miniſtrorum Eccleſiæ *Dionyſ.* Hierarch. Eccl. cap. V. p. 188. ſeqq. *Auguſtin.* epiſt. 225. ad Albinam f. 872. ſeqq. *Canones* conciliorum variorum, *Blondellum* de Epiſc. & Presbyt. ſect. III. p. 157. ſeq. & 309. ſeqq. De conſecratione virginum & aliorum ſolitariorum ſive monachorum *Dionyſ.* l.c. cap. VI. p. 205. ſeqq. *Concilia* item multis in locis, *Blondellum* l.c. p. 153. ſeqq. & p. 287. ſeq. *Hoſpinian.* de Monachis lib. III. cap. XIV. XV. f. 191. ſeqq. De Chriſmate, ejusque conſecratione, compoſitione & uſu eundem *Dionyſ.* l. c. cap. III. p. 162. ſeqq. *Concil.* Carthag. II. Arauſ. I. Vaſenſe II. & alia, *Blondellum* l.c. p. 145. ſeq. & p. 209. ſeqq. *Briſſonium* obſervat. juris divin. & human. pag. 164. ſeqq. &c.

IX. Venio ad CONCIONES, quas apud altare vel ex altaris gradibus interdum fuiſſe habitas *Franciſcus Bernardinus Ferrarius* l. c. lib. II. cap. XXX. p. 217. exiſtimat. Nec deſtituit eum antiquitas. *Gregorius Nyſſenus* in Oratione de Baptiſmo, non obſcurè teſtatur, ſtetiſſe ſe ad altare, cum eam ipſam orationem habuiſſet. Verba

Verba hæc sunt f. 257. *Ne contemnas divinum lavacrum, neque id tanquam commune propter usum aquæ parvi facias, & levi momento ducas. Nam id quod operatur magnum est: & ab illo mirabiles exsistunt effectus. Nam &* ALTARE *hoc sanctum,* CUI ADSISTIMUS, *lapis est natura communis, nihil differens ab aliis crustis lapideis, ex quibus parietes nostri exstruuntur & pavimenta exornantur.* &c. Petrus Chrysologus serm. 173. p. 718. *Quæ ordinamus attendite, quæ dicimus audite, quæ facimus approbate, nec pro voluntate vestra, sed pro dispositione nostra prædicationis nostræ percipite rationem: & sive cum dicimus de GRADU isto, sive cum de sacerdotali sede pro temporis ratione tractamus, ut oves bonæ, ut chari greges, dilecta pignora, sine fastu impigre ac toto fidei cursu convenite, concurrite. Nec vos locorum mutatio tam propinqua, & spatia sic arctata, aut reddant desides, aut faciant murmurantes.* Ex *gradu* verba fecisse ad populum P. Chrysologum hîc audimus. Quid autem voce ista significetur, apertè docet *Sidonius Apollinaris* in Eucharistico ad Faustum Reiensem Episcopum p. 318. suoque simul testimonio confirmat id, quod nunc intendimus. Versus hi sunt:

Seu te conspicuis gradibus venerabilis aræ
Concionaturum plebs sedula circumsistit,
Expositum legis bibat auribus ut medicinam.

X. RECITATIO NOMINUM duplex erat. Vel enim *vivi* erant, quorum nomina ad

ad altare recitabantur; vel esse desierant. Illi inprimis erant *offerentes*. Oblatis enim sacris ad altare muneribus, sacerdos solemnes ad DEUM fundebat preces, atque in istâ precatione moris erat, ut offerentium nomina simul recitarentur, ipsique adeò nominatim DEO commendarentur. Atque hoc erat *offerre nomen*. Chrysostomus homil. XVIII. in Act. VII. f. 584. excitaturus divites ad exstruendas ædes DEO sacras, hoc inter alia utitur argumento: μικρὸν ἐστιν εἰπέ μοι τὸ καὶ ἐν ταῖς ἁγίαις ἀναφοραῖς ἀεὶ τὸ ὄνομά σου ἐγκεῖσθαι, καὶ καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν ὑπὲρ τῆς κώμης εὐχὰς γίνεσθαι πρὸς τὸν θεόν; *Parumne est, dic mihi, in sanctis oblationibus nomen tuum semper referri, & quotidie pro villâ preces ad DEUM fieri?* De eadem nominum oblatione sive recitatione loquitur *Hieronymus* in cap. Ezech. XVIII. Tom. V. Oper f. 440. verbis supra cap. XVIII. §. 20. citatis, & lib. II. in Jerem. cap. XI. Tom. V. f. 291. *Nunc publice recitantur offerentium nomina*, & *Regino Prumiensis* lib. II. de discipl. Eccl. cap. 460. & *Innocentius* Epist. ad Decent. Episc. Eugubinum Tom. I. Bibl. Justell. f. 191. & de Consecr. dist. I. c. De Nominibus. Neque vero omnium promiscue recitata nomina, sed eorum tantum, quorum oblationes recipiebantur. Quorum vero munera rejecta, eorum nec audita inter sacra nomina sunt. Hinc nec pœnitentium, nec energumenorum recitanda ad altare fuerunt nomina. De illis testis est *Cyprianus*, quum

quum indignabundus ad Presbyteros, qui lapsis pœnitentiâ nondum peractâ communionem restituunt, eorumque nomina ad altare recitant, in hunc modum scribit: *Cum in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam justo tempore, & secundum disciplinæ ordinem ad exomologesin veniant, & per manus impositionem Episcopi & Cleri, jus communicationis accipiant, nunc crudo tempore persecutionis adhuc perseverante, nondum restituta Ecclesiæ ipsius pace, ad communicationem admittuntur, & OFFERTUR NOMEN EORUM, & nondum pœnitentiâ factâ, nondum exomologesi finitâ, nondum manu eis ab Episcopo aut clero imposita, Eucharistia illis datur*, lib. III. epist. XIV. f. 65. De his exstat decretum Concilii Eliberini, cui placuit, *Energumeni, qui ab erratico spiritu exagitatur, nomen ad altare cum oblatione non esse recitandum*, cap. 29. Tom. I. Concil. Illustr. p. 984. Sed nec credibile est, omnium omnino fidelium recitata in sacra Synaxi simul fuisse nomina: quo *Albaspinæus* Obs. Eccl. lib. I. obs. VII. p. 36. sibi persuadet. Nec enim dies nec menses suffecissent, inprimis in urbibus majoribus, quæ innumerabilem sæpe Christianorum multitudinem continebant. Itaque delectum fuisse habitum existimo, & eorum tantum, ubi multitudo fidelium crevit, recitata nomina, qui inter cæteros vel *dignitate*, vel *sanctitate*, vel *liberalitate* eminebant; cæterorum tantum generatim mentione factâ. Exemplum recitationis hujusmodi *Jacobus Goar* in variis lectionibus Liturgiæ Chrysostomi p. 97. affert

affert his verbis: *Memento mei, Domine Sancte*, ait Diaconus. Cui Sacerdos: *Memor sit*, inquit, *Dominus tui, & cunctorum & cunctarum, Joseph sanctissimi & universalis Patriarchæ* (Constantinopolitani) *Philothei Alexandriæ, Marci Antiochiæ, Theophili Hierosolymorum, & pro offerente Domino DEO sancta dona N. honorando sacerdote: sacerdotium etiam adstantium, venerandi Presbyterii, ministerii in Christo, & omnis sacri ordinis cœtus. Pro salute potentia victoria, permanentia devotissimorum, & Christum diligentium Imperatorum nostrorum: devotissimæ & Christum amantis Dominæ nostræ Hypomones monialis: devotissimæ & Christum amantis Dominæ nostræ Eugeniæ monialis: devotissimorum & Christum diligentium Imperatorum nostrorum Johannis & Mariæ. Pro pace & consistentiâ totius mundi, & sanctarum DEI Ecclesiarum: pro redemtione fratrum nostrorum captivorum: prosperitate & firmitate Christum diligentis exercitus: residui populi salute: & cunctorum & cunctarum.*

XI. Deinde & *mortuorum* oblata seu recitata nomina sunt. Quâ de re sic habe. Cum amici superstites dona pro defuncto ad altare offerrent (id enim facere solebant, pro more illorum temporum, in argumentum & testimonium, quod defunctus Ecclesiasticæ communionis particeps decessisset), eaque dona ab Ecclesiâ acciperentur, tum nomen quoque defuncti ad altare publice legebatur. Ex hoc more Monica, S. Augustini mater, jamjam moritura, petebat, ut sui ad altare Domini fie-

ret

ret mentio. *Ponite*, inquit, *hoc corpus meum, ubicunque volueritis. Nihil vos ejus turba conturbet. Tantum illud vos rogo, ut ad altare Domini memineritis mei, ubi fueritis*, lib. IX. Confess. *Augustin.* cap. XI. Tom. I. Oper. f. 157. Hoc matris suæ votum repetit deinde *Augustinus* in precibus ad DEUM. *Illa*, inquit, *imminente die resolutionis suæ non cogitabit suum corpus sumtuosè contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupivit, aut curavit sepulchrum patrium. Non ista mandavit nobis, sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei prætermissione servierat* &c. cap. XIII. f. 160. & paulo post illud ipsum commendat omnibus hæc legentibus: *Inspira*, inquit, *Domine DEUS meus, inspira servis tuis, fratribus meis, filiis tuis, Dominis meis, quibus & voce & corde & literis servio, ut quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ, cum Patricio quondam ejus conjuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam, quemadmodum nescio. Meminerint cum affectu pio parentum meorum in hac luce transitoriâ, & fratrum meorum sub te patre in matre catholica, & civium meorum in æterna Hierusalem, cui suspirat peregrinatio populi tui ab exitu usque ad reditum, ut quod à me illa poposcit extremum, uberius ei præstetur in multorum orationibus, tam per confessiones, quàm per orationes meas.* ibid. f. 160. 161.

XII. *Martyres* etiam ad altaria commemorabantur, quod idem indicat *Augustinus* lib.

lib. XXII. de Civ. DEI cap. X. Tom. V. Oper. f. 1355. quum ait: *Non erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed uni DEO, & martyrum & nostro sacrificium immolamus: Ad quod sacrificium, sicut homines DEi, qui mundum in ejus Confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à sacerdote, qui sacrificat, invocantur.* Conf. serm. XVII. de verb. Apost. Tom. X. f. 343. & *Cyprian.* lib. III. ep. VI. f. 56. Commemorabantur autem cùm martyres, tum alii beatè defuncti, non tam sui gratia, quam propter homines adhuc vivos. Hi enim illâ commemoratione 1. testabantur, se credere, defunctos adhuc apud DEUM vivere; 2. eâdem debebant incendi ad imitationem illorum. Prius significat *Epiphanius* hæres. 75. f. 387. ἔπειτα δὲ περὶ τοῦ ὀνόματα λέγειν τῶν τελευτησάντων, τί ἂν εἴη τούτου προυργιαίτερον; τί τούτου καιριώτερον καὶ θαυμασιώτερον, πιστεύειν μὲν τοὺς παρόντας, ὅτι οἱ ἀπελθόντες ζῶσι, καὶ ἐν ἀνυπαρξίᾳ οὐκ εἰσὶν, ἀλλὰ εἰσὶ καὶ ζῶσι παρὰ τῷ δεσπότῃ. *Postea verò de eo, quod proferantur nomina vitâ defunctorum, quid hoc magis fuerit utile? Quid hoc commodius aut magis admiratione dignum? Quod credunt præsentes, quod hi, qui decesserunt, vivunt & non sunt nulli, sed sunt & vivunt apud Dominum.* Posterius docet *Augustinus* Tract. LXXXIV. in Johann. Tom. IX. f. 451. *Hoc beati martyres ardenti dilectione fecerunt: quorum si non inaniter memorias celebramus, atque in convivio, quo & ipsi saturati sunt, ad mensam Domini accedimus, oportet, ut, quemadmodum ipsi, & nos talia*

præparemus. Ideo quippe ad ipſam menſam non ſic eos commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requieſcunt, ut etiam pro eis oremus, ſed magis, ut orent ipſi pro nobis, ut eorum veſtigiis adhæreamus. Utrumque conjungit *Dionyſius* Hierarch. Eccleſiaſt. cap. III. p.149. his verbis: Τῶν δὲ ἱερῶν πτυχῶν ἡ μετὰ τὴν εἰρήνην ἀνάρρησις, ἀνακηρύττει τοὺς ὁσίως βεβιωκότας, καὶ πρὸς ἐναρέτου ζωῆς τελείωσιν ἀμεταστάτως ἀφικομένους. ἡμᾶς μὲν, ἐπὶ τὴν δι' ὁμοιότητος αὐτῶν μακαριστὴν ἕξιν καὶ θεοειδῆ λῆξιν προτρέπουσα, καὶ χειραγωγοῦσα. τοὺς δὲ, ὡς ζῶντας ἀνακηρύττουσα, καὶ ὡς ἡ θεολογία φησὶν, οὐ νεκρωθέντας, ἀλλ' εἰς θειοτάτην ζωὴν ἐκ θανάτου μεταφοιτήσοντας. *Sacrarum tabularum poſt pacem recitatio deprædicat eos, qui ſancte vixerunt, & ad ſtudioſæ vitæ perfectionem conſtanter pervenerunt; nos quidem eorum imitatione ad beatiſſimum illum ſtatum quietemque Deiformem adhortando ac manuducendo; illos verò ceu viventes celebrando: quippe, ut Theologia docet, nequaquam mortuos, ſed ex morte ad vitam diviniſſimam translatos.*

XIII. Sed uti non omnium promiſcue vivorum, ita nec omnium mortuorum æque commemorata nomina ſunt. Præteriti enim ſunt (1) ii, qui clericos à ſacris ad civilia negotia avocarant. *Cyprianus* lib. I. ep. IX. f. 25. *Epiſcopi anteceſſores noſtri - - - - - cenſuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret, ac ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neq; enim ad altare DEI meretur nominari in*

ſacer-

ſacerdotum prece, qui ab altari ſacerdotes & miniſtros ſuos Levitas avocare voluit. Deinde (2) ex Epiſcopis ii, qui hæredes extraneos, vel conſanguineos hæreticos aut paganos Eccleſiæ prætulerant. Sic enim volunt Epiſcopi Africani Cod. Can. Eccleſ. African. c. 81. *Conſtitutum eſt, ut ſi quis Epiſcopus hæredes extraneos à conſanguinitate ſua, vel hæreticos etiam conſanguineos, aut paganos Eccleſiæ prætulerit, ſaltem poſt mortem anathema ei dicatur, atq; ejus nomen inter DEI ſacerdotes nullo modo recitetur,* Tom. I. Bibl. Juſtell. f. 370. Tum (3) quicunque in gravioribus delictis mortui fuerant. Hinc *Gelaſius* I. P. R. epiſt. 8. ad Anaſtaſium Imp. de Acacio loquens: *Quo*, inquit, *in ſua perfidia & damnatione moriente, tam ejus in Eccleſiaſtica recitatione non poteſt nomen adſcribi, quam externæ contagium non debet communicationis admitti.* Præterea (4) hæretici, quorum nomina recitari vetat *Leo* I. epiſt. ad Anatol. T. VII. Concil. edit. Pariſ. f. 94. & 103. &c.

XIV. Recitabantur autem illa nomina ex *Diptychis* ſacris, quæ erant tabulæ Eccleſiaſticæ duas habentes plicas (unde & nomen ipſis eſt) quibus inſcripta auctoritate Epiſcopi certorum Chriſtianorum nomina. Erant duum generum. Alteris inſcripta nomina *vivorum*, qui vel dignitate, vel liberalitate in Eccleſiam conſpicui, vel alio nomine bene meriti erant. Alteris mandabantur nomina *mortuorum*, qui in catholica communione deceſſerant. *Bona* l. c. cap. XII. pag. 760. his ſuperaddit *tertium genus*,

quod peculiare dicit fuiſſe *Epiſcoporum*, eorum præſertim, qui illam Eccleſiam rexerant, dummodo probitate ac ſanctis moribus claruiſſent. Equidem non negaverim, Epiſcoporum & aliorum Eccleſiæ miniſtrorum peculiares fuiſſe tabulas; verum, quod à tabulis vivorum & mortuorum prorſus diſtinctæ fuerint, nondum legi. Niſi me conjectura fallit, tabulæ Epiſcoporum & aliorum id genus vel in vivorum, vel in mortuorum Diptychis continebantur, prout ipſi, de quorum nominibus agitur, vel vivi vel mortui fuerunt. Ac proinde *Diptycha* utraque tam vivorum quàm mortuorum *bipartita* mihi fuiſſe videntur, alteris Epiſcoporum, alteris Laicorum nomina continentibus. De mortuorum tabulis teſtimonium habeo *Cyrilli*, qui ad Atticum Patriarcham in hunc modum ſcripſit: *Lectis, quæ à pietate tuâ ad me miſſæ ſunt, literis, Johannis* (Chryſoſtomi) *nomen ſacris inſcriptum eſſe tabulis intellexi. Ubi vero eos, qui inde ad nos venere interrogavi, non in Laicorum, ſed Epiſcoporum catalogo adſcriptum eſſe audivi*, apud *Niceph. Calliſt.* Hiſt. Eccl. lib. XIV. cap. 27. f. 885. De nomine Johannis Chryſoſtomi in ſacras tabulas referendo hîc agitur. At Chryſoſtomus jam ante mortuus erat. Ergo & illæ hîc tabulæ intelligendæ, quæ mortuorum ſunt. Cum verò Cyrillus Johannis nomen non in Laicorum, ſed Epiſcoporum catalogo adſcriptum dicat, hoc ipſo ſane indicat, quorundam mortuorum nomina tabulis Laicorum, quorundam tabulis Epiſco-

Epiſcoporum fuiſſe adſcripta. Ex quo conſequens eſt, tabulas ipſas mortuorum fuiſſe bipartitas, & alias quidem Epiſcoporum, alias verò Laicorum continuiſſe nomina. Quod oſtendendum erat. Quæ vero ratio in *Diptychis mortuorum* obſervata, eam etiam credibile eſt valuiſſe in *Diptychis vivorum.* Ejusmodi autem veteribus fuiſſe, vel inde licet colligere, quod Diptychis à Proclo, Archiepiſcopo Conſtantinopolitano, inſertus Baſſianus Epiſcopus Epheſinus, cum adhuc in vivis eſſet, ejusque nomen tanquam Epiſcopi commemoratum inter ſacra eſt, ut videre eſt in Act. XI. Concil. Chalcedonenſ. A. C. 451. habiti, ubi Theophilus Presbyter Conſtantinopolitanus ſic ait: ἐδέξατο (Βασσιανὸν) ὁ ἐν ἁγίοις Πρόκλος κοινωνικὸν, καὶ συνοδικοῖς γράμμασι τιμήσας αὐτὸν, ἀπέλυσεν ἐπὶ τὴν Ἔφεσον· καὶ ἐν τοῖς διπτύχοις ἔταξεν αὐτοῦ τὸ ὄνομα, καὶ ἐλέγετο ἕως πρὸ ὀλίγου καιροῦ. *Suſcepit eum* (Baſſianum) *ſanctæ memoriæ Proclus communicantem, & Synodalibus literis honorans dimiſit eum ad Epheſum & in Diptychis poſuit ejus nomen, & recitabatur usq; ad modicum abhinc tempus,* Tom. IX. Concil. ed. Pariſ. f. 82. Patet ex his Epiſcoporum nomina non in eâ tantum Eccleſia, cui præfuerunt, ſed etiam in aliis recitata fuiſſe. Nam Baſſiani Epiſcopi Epheſini nomen in Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ recitatum fuiſſe, ipſe Presbyter Conſtantinopolitanus Theophilus teſtatur. Cumque Baſſianus, de quo hîc agitur, tum adhuc in vivis eſſet, & Epiſcopum

Ephesinum, à quo expulsus erat, accusasset, posteaque in cognitione caussæ Clerus Constantinopolitanus jussus à Concilio esset dicere, an Proclus Archiepiscopus Constantinopolitanus ἐκοινώνησεν αὐτῷ ὡς ἐπισκόπῳ *communicarit cum eo* sc. Bassiano *tanquam Episcopo* Ephesino, idque deinceps à Theophilo affirmatum esset, addito, quod in Diptychis ejus posuisset nomen: ex his certè intelligitur, fuisse Diptycha Episcoporum vivorum distincta à Diptychis laicorum vivorum. Quod si enim distincta non fuissent, recitatio nominis alicujus è Diptychis non potuisset esse argumento, aliquem ut Episcopum fuisse habitum, cum etiam laicorum nomina è Diptychis vivorum recitarentur.

XV. Cæterum quod citatus modo Cardinalis istam nominum mortuorum ad Diptycha relationem speciem quandam habuisse *Canonizationis* existimat, in eo sanè intolerabilem errasse errorem videtur. Neque enim veteribus quicquam constitit de istâ ἀποθεώσει, quâ de consule *Voetii* Disp. Select. Part. III. p. 387. seqq. *Gerhardi* Confess. Cathol. lib II. part. II. art. X. cap. I. p. 542. seqq. Nec subjectum testimonium ex *Dionysii* Hierarch. Eccles. tale quid efficit. Nam *Dionysius* (ut de auctoritate ejus interim sileam) tantùm dicit, *sacrarum tabularum recitationem* ἀνακηρύττειν *prædicare eos, tanquam viventes, qui sanctè vixerint & ad vitam cœlestem pervenerint.* At hoc nondum est *canonizare*, ut ipsorum linguâ loquar, sive in numerum sanctorum adorando-

randorum referre. Nos etiam in nostris Ecclesiis deprædicamus SS. Apostolos, cæterosque pie in Domino defunctos. At neminem *canonizamus*. Per canonizationem Pontificii tribuunt sanctis honorem religiosæ adorationis & invocationis, *Antonius* in summa part. V. tit. XII. cap. 8. *Bellarmin.* lib. I. de Eccles. Triumph. cap. 7. §. 2. & 3. At hoc inauditum in veteri Ecclesiâ fuit, & adhuc in nostrâ catholicâ inusitatum ac prorsus intolerabile est. Nec *Dionysio* tale quid venit in mentem. ἀνακηρύττειν enim non est idem quod *religiose adorare, invocare*.

XVI. Illud tamen facilè largior, *honori* fuisse defunctis *inscribi tabulis mortuorum*; sicut contra *dedecus* habebatur, *non inscribi aut expungi*. Hinc ortæ gravissimæ illæ Episcoporum altercationes, de nomine *Johannis Chrysostomi* in Diptycha sacra referendo. Multi enim eum hoc honore privare volebant, quod à Theophilo Alexandrino exauctoratus, quamvis inique, nec restitutus fuerat. *Theodoritus* lib. V. Hist. Eccles. cap. 34. f. 348. a. scribit, Episcopos occidentis non prius cum Episcopis Ægypti, Orientis, Bosphori & Thraciæ communicare voluisse, quam nomen Johannis Chrysostomi in tabulas defunctorum Episcoporum retulissent. Verba hæc sunt: τελευτήσαντος δὲ τοῦ μεγάλου διδασκάλου τῆς οἰκουμένης, οὐ πρότερον οἱ τῆς ἑσπέρας ἐπίσκοποι τῶν ἐν Αἰγύπτῳ καὶ τῇ ἑῴᾳ, καὶ τῶν ἐν τῷ Βοσπόρῳ, καὶ τῇ Θρᾴκῃ τὴν κοινωνίαν ἠσπάσαντο, ἕως ἐκείνου τοῦ θεσπεσίου ἀνδρὸς τοὔνομα τοῖς τεθνεῶσιν ἐπι-

σκόποις συνέταξαι. *Defuncto vitâ doctore orbis terrarum, non prius conjunctionem orientalium & Ægyptiorum itemque Bosphori ac Thraciæ Episcoporum admisere occidentales, quam admirabilis viri illius nomen ad reliquos defunctos Episcopos adscripsissent.* Alexander Antiochenus Episcopus primus fuit, qui *Chrysostomi* nomen tabulis Ecclesiasticis inseruit. Sic enim scribit de eo *Theodoritus* l. c. cap. 38. f. 348. b. οὗτος τὴν ἰωάννου τοῦ πάνυ προσηγορίαν πρῶτος τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς διπτύχοις ἐνέταξε. *Hic magni Johannis nomen primus in Ecclesiasticum codicem retulit.* Secuti sunt postea alii, ipse etiam Atticus, Chrysostomi, sed interjecto Arsacio, successor, quem propterea Occidentis Episcopi etiam receperunt τὴν προσηγορίαν ἐγγράψαντα, *quod Johannis nomen reliquis adscripsisset,* ut loquitur *Theodorit.* l. c. c. 34. Nec contentus ille, Chrysostomi nomen in Diptycha Ecclesiastica retulisse, ad Cyrillum etiam Alexandrinum scribit, ut idem & ipse faceret, & facere Ægypti Ecclesiis præciperet. Epistolam habes in *Niceph. Callist.* Hist. Eccl. lib. XIV. cap. 26. f. 883. At Cyrillus id facere diu recusavit, & Attico rescripsit, ut ipse expungeret Johannis nomen, ut ex ejusdem videre est epistolâ ap. *Niceph.* l. c. cap. 27. f. 885. seqq. Tandem tamen divino consilio consensit, & damnato suo errore, Johannem inter Episcopos retulit, quemadmodum testatur *Nicephorus* l. c. cap. 28. f. 888. Eadem de caussa in Concilio Constantinopolitano sub Menna Act. V. Tom. XI. Concil.

cil. edit. Parif. f. 351. tam vehementer laborabant monachi & univerfus populus, ὥστε *ut* Euphemius & Macedonius, expulfi & in exilio mortui, ἀποδοθῆναι τῷ καταλόγῳ τῶ περὶ αὐτῶν, ἐνταῦθα ἐν κυρίῳ ἀναπαυσαμένων ἀρχιεπισκόπων - - - - ἐντεθῆναι τε καὶ τοῖς ἱεροῖς διπτύχοις τὰς τούτων προσηγορίας *traderentur catalogo prædeceſſorum Archiepiſcoporum in Domino ibidem quieſcentium, & ponerentur in ſacris diptychis ipſorum vocabula*, ut eft in epift. Epifcoporum ad Joannem Patriarcham l. c. f. 351. item ὥστε τὸ ὄνομα *ut nomen ſanctæ memoriæ præſulis Romanorum Leonis* ἐν ταῖς ἱεραῖς δέλτοις ὁμοίως ἀναγορεύεσθαι *in ſacris libris ſimiliter prædicetur*, ut eft in eadem epiftola l. c. f. 351. Nec his contenti concilium etiam Nicænum, & Conftantinopolitanum fub Nectario, & Ephefinum contra Neftorium, & Chalcedonenfe contra Eutychen ἐντεθῆναι τοῖς ἱεροῖς διπτύχοις *inſeri ſacris Diptychis voluerunt*, ibid. Hinc eorum identidem in illa ipfa SS. Patrum congregatione jactatæ & auditæ voces: Εὐφημίου καὶ Μακεδονίου τὰ ὀνόματα ἄρτι ταγῇ. *Euphemii & Macedonii nomina modo ordinentur.* τὰς τεσσάρας συνόδους τοῖς διπτύχοις. *Quatuor Synodos Diptychis.* τὰ δίπτυχα τῷ ἄμβωνι, *Diptycha ambοni.* τὰ δίπτυχα ἄρτι φέρε. *Diptycha modò porta*, ibid. f. 367. Quibus tandem permotus vel dicam fatigatus Archiepifcopus & Patriarcha Johannes λαβὼν τὰ δίπτυχα ἐκέλευσε ταγῆναι τὰς ἁγίας τεσσάρας συνόδους· καὶ τὰ ὀνόματα τῶ τελευτησάντων ἐν ὁσίᾳ τῇ μνήμῃ γινομένων ἀρχιεπισκόπων

πισκόπων ταύτης τῆς βασιλίδος πόλεως εὐφημίου καὶ μακεδονίου, καὶ μέντοι καὶ λέοντος τοῦ γενομένου ἀρχιεπισκόπου ῥώμης, *accipiens Diptycha jussit ordinari sanctas quatuor Synodos: & nomina in sanctâ memoria defunctorum Archiepiscoporum hujus regiæ urbis Euphemii & Macedonii, & Leonis etiam Rom. Pontificis*, ibid. f. 369. Tandem μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν τοῦ ἁγίου εὐαγγελίου, ἐξ ἔθους τῆς θείας λειτουργίας ἐπιτελουμένης, καὶ τῶν θυρῶν κλεισθεισῶν, καὶ τοῦ ἁγίου μαθήματος κατὰ τὸ σύνηθες λεχθέντος, τῷ καιρῷ τῶν διπτύχων μετὰ πολλῆς τῆς ἡσυχίας, συνέδραμον ἅπαν τὸ πλῆθος κύκλῳ τοῦ θυσιαστηρίου. καὶ ὡς μόνον ἐλέχθησαν αἱ προσηγορίαι τῶν εἰρημένων ἁγίων τεσσάρων συνόδων παρὰ τοῦ διακόνου, καὶ τῶν ἐν ὁσίᾳ τῇ μνήμῃ ἀρχιεπισκόπων, εὐφημίου καὶ μακεδονίου καὶ λέοντος, φωνῇ μεγάλῃ ἔκραξαν ἅπαντες· δόξα σοι κύριε. καὶ μετὰ τοῦτο μετὰ πάσης εὐταξίας ἐπληρώθη σὺν θεῷ ἡ θεία λειτουργία. *Post lectionem S. Evangelii ex more sacra Missâ finitâ, & januis clausis, ac sanctâ lectione juxta consuetudinem lectâ, tempore Diptychorum cucurrit omnis multitudo cum magno silentio circumcirca altare, & audiebant. Et cum solum lectæ fuissent à Diacono appellationes prædictarum sanctarum quatuor Synodorum, & S. memoriæ Archiepiscoporum, Euphemii & Macedonii & Leonis, voce magnâ universi clamaverunt: Gloria tibi Domine. Et post hoc cum omni modestiâ completa est divina Missa*. ibid. f. 370. Habes ergo hîc Synodorum nomina tabulis Episcoporum defunctorum addita, quod etiam firmatur l. 7. §. 5. C. de Summa Trinitat. Habes præterea lectorem nomi-

nominum, nempe Diaconum, quem etiam offerentium nomina recitaſſe, ſupra obſervavimus. Habes denique & auctoritatem Epiſcoporum, ad inſcriptionem nominum neceſſariam.

XVII. Unum reſtat, quod paucis expediam, nempe *tempus*, quo recitata in ſacris nomina ſunt. Illud verò *Dionyſius* ſatis perſpicuè indicat, quum ait: *ἀσπασαμένων ἀλλήλους ἁπάντων, ἡ μυστικὴ τῶν ἱερῶν ἀνάῤῥησις ἐπιτελεῖται. Cum ſe mutuo omnes ſalutaverint, myſtica ſanctorum recitatio fit*, cap. III. Hierarch. Eccl. p. 133. & iterum p. 149. *τῶν δὲ ἱερῶν πτυχῶν ἡ μετὰ τὴν εἰρήνην ἀνάῤῥησις ἀνακηρύττει τοὺς ὁσίως βεβιωκότας. Sanctorum nominum poſt pacem recitatio eos prædicat, qui ſancte vixerunt.* Facta igitur illa recitatio poſt pacem & oſcula data eſt. Sed ſatis hâc de re.

CAPUT XX.

DE EXCLUSIONE CERTORUM HOMINUM AB ALTARI.

I. Qui indigni S. Euchariſtiâ, ab altari excluſi.

II. Excluſi omnes Excommunicati, qui enumerantur.

III.

III. Exclusi item Catechumeni.
IV. Pœnitentes quoque.
V. Græci excludebant omnes Laicos excepto Imperatore. An Imperatori semper patuerit aditus ad altare. Speciatim exclusæ mulieres. Ratio affertur. Olim non erat sic.
VI. Latini admisere Laicos tempore Oblationis, non Eucharistiæ: quo tempore ipsum etiam Imperatorem exclusere.
VII. Latini non omni tem-tempore Laicis aditum ad altaria patefecere.
VIII. Admissi tandem viri feminæque sunt.

§. I.

IN Ecclesiâ veteri orthodoxâ inde ab initio religiosi Episcopi & Presbyteri à mensâ Domini sive altari exclusere eos, quibus communio S. cœnæ denegata. Indignum enim putabant ad S. Domini mensam eos admittere, qui cæna Domini indigni essent. Sic Eulogius Presbyter τοὺς κακῶς πεπραχότας, ἢ περί τινος φαύλου βουλευσαμένους, τέως εἶργε τοῦ θυσιαστηρίου, *eos, qui deliquerant aut pravum consilium inierant, ad tempus arcebat ab altari*, ut est apud *Sozomen.* Hist. Eccl. lib. VI. cap. 28. f. 85. b. *Chrysostomus* homil. XVIII. in 2. Corinth. VIII. f. 873. εἴρξομεν τῶν ἱερῶν περιβόλων τοὺς οὐ δυναμένους τῆς ἱερᾶς μετασχεῖν τραπέζης. *Eos, qui sacrosanctæ mensæ participes esse nequeunt, à sacris septis arcemus.* Per septa enim eundum ad altare erat. conf. ejusd. homil. III. in Ephes. I. f. 1051. 1052.

II. Sic

II. Sic igitur aditus ad altare interclusus erat omnibus, qui segregati ab Ecclesiâ erant. Vocant *Excommunicatos*. Hujusmodi erant (1) Hæretici, ut Nestorius, Eutyches &c. Tom. VIII. Concil. edit. Paris. f. 22. 238. Novatiani can. 9. Concil. Arel. II. Tom IX. Concil. ed. Par. f. 431. &c. Vide *Augustin.* de verâ relig. cap. V. Tom. I. Oper. f. 704. Atque his sacrâ domo omnino interdixit vetus Ecclesia can. *6.* Concil. Laodiceni, in Codicem Canonum Ecclesiæ universæ relato f. 50. ubi sancitur, *μὴ συγχωρεῖν τοῖς αἱρετικοῖς εἰσιέναι εἰς τὸν οἶκον τοῦ θεοῦ, ἐπιμένοντας τῇ αἱρέσει, non concedendum hæreticis, ut in domum DEI ingrediantur, si in hæresi permaneant.* Cum domo DEI prohibiti fuerint, ab altari quoque, quod in domo DEI erat, fuisse exclusos, nemo non intelligit. (2) Homicidæ, can. VII. Concil. Turon. I. Tom. IX. Concil. ed. Par. f. 486. & can. I. Concil. Venet. eodem Tomo f. 491. *(3)* Falsi testes. can. I. Concil. Venet. l. c. (4) Qui rem habuerant cum virginibus sacris, & propositum religionis, quam jam professi erant, deseruerant, can. VI. Concil. Turon. I. l. c. & can. IV. Conc. Venet. l. c. f. 491. (5) Clerici vagi can. XI. Concil. Turon. l. c. f. 487. & can. V. Concil. Venet. l. c. f. 492. *(6)* Clerici ebrii ad 30. dies, can. XIII. Conc. Venet. l. c. f. 494. (7) Clerici matutinos hymnos negligentes, can. XIV. Concil. Venet. l. c. (8) Clerici augures, can. XV. Conc.

patebat ad altare, vel ſaltem ad ſacramentum. Conc. Venet. l. c. (9) Clerici fœneratores can. XIV. Conc. Arelat. II. Tom. IX. Concil. ed. Par. f. 432. (10) Clerici negotia Eccleſiaſtica ad civile judicium perferentes, relicta Synodo aut Epiſcopo, can. XXXI. Concil. Arel. II. l.c. (11) Clerici ad militiam & ad laicos ſe conferentes, can. VII. Concil. Andegav. eod. Tom. f. 444. & can. V. Concil. Turonenſ. I. l. c. f. 486. (12) Diaconi, qui interfuerant deditioni vel occupationi urbium, can. IV. Concil. Andegav. Tom. IX. f. 443. (13) Monachi vagabundi, can. VII. Conc. Andeg. l. c. (14) Qui acceptâ pœnitentia reſilierant can. V. Conc. Andeg. l. c. f. 444. & pœnitentiam deſeruerant can. VIII. Conc. Turonenſ. I. eod. Tom. f. 486. & can. III. Conc. Venet. l. c. f. 491. (15) Qui repudiata temere uxore aliam duxerant can. II. Conc. Venet. l. c. (16) Virgines poſt votum nubentes, can. XVII. Syn. S. Patricii Tom. VII. Conc. ed. Par. f. 317. & can. LII. Conc. Arel. II. Tom. IX. f. 439. & can. V. Concil. Andegav. eod. Tom. f. 444. (17) Adulteræ can. XIX. Syn. S. Patric. l. c. & adulteri can. VI. Conc. Andeg. T. IX. f. 444. (18) Pater conſentiens filiæ nuptæ in amore illicito, can. XXII. Syn. S. Patric. l. c. f. 318. (19) Domini aut magiſtratus permittentes infidelium idololatriam, can. XXIII. Concil. Arel. II. l. c. f. 434. (20) Qui læſerant ſupplices, can. XXX. Conc. Arel. II. l. c. f. 435. (21) Accu-

ſatores

sarores temerarii, can.XXIV. ejusdem Concil. l. c. f. 434. (22) Fraudatores creditorum, can. XX. Syn. S. Patric. l c. f. 318. (23) Histriones, can. XX. Concil. Arel. II. T. IX. f. 433. Cypr. lib. I. epist. X. ad Eucratium f. 25. 26. (24) Retinentes fidelium & defunctorum oblationes, can. IV. Concil. Vasens. II. Tom. VII. Conc. edit. Paris. fol. 286. & can. XLVII. Conc. Arel. II. Tom. IX. f. 438. & tales alii. Hi omnes â sacra communione arcebantur, ac proinde etiam ab altari, can. IV. Syn. II. S. Patric. T. VII. f. 322.

III. Præterea verò altari etiam exclusi videntur *Catechumeni*. Cum enim prohibiti fuerint ad baptisteria accedere can. XIX. Conc. Arauf. I. Tom. VII. Concil. edit. Paris. f. 277. quis credat, licuisse eis accedere ad altaria communionis gratia? Immo cum sacramentum altaris celebrandum erat, disertè templo exire jubebantur à Diacono, ut supra ex *Isidoro* lib. VI. Etymol. cap. XIX. & aliis observavimus.

IV. Idem dicendum de *Pœnitentibus* ex more Ecclesiæ veteris. His enim communio sacræ Eucharistiæ ad certum tempus negata fuit. Hinc in Constantinopolitanâ Ecclesiâ, ut in aliis, præco clamabat: ὅσοι ἐν μετανοίᾳ ἀπέλθετε. *Quicunque estis in pœnitentiâ, abite*, ut *Chrysostomus* testatur homil. III. in Ephes. I. f. 1051. Quibus igitur exeundum fuit eo tempore, quo aditus pate-

altaris, illos certè altari fuiſſe excluſos, nemo dubitaverit.

V. Cæterum quibus communio non negata, ii initio quidem admiſſi ad menſam Domini promiſcue ſunt; ſed poſtea non æque apud omnes. *Græci* generatim ab altari excludebant omnes *Laicos*, excepto Imperatore. Sic Conc. Laodicen. can. XIX. vult, μόνοις ἐξὸν εἶναι τοῖς ἱερατικοῖς εἰσιέναι εἰς τὸ θυσιαστήριον καὶ κοινωνεῖν, *ſolis ſacratis licere ad altare accedere & communicare*, Tom. I. Pandect. Can. f. 461. Concilii Sexti Trullani can. 69. μὴ ἐξέστω τινὶ τῶν ἁπάντων ἐν λαϊκοῖς τελοῦντι ἔνδον ἱεροῦ εἰσιέναι θυσιαστηρίου, μηδαμῶς ἐπὶ τούτῳ τῆς βασιλικῆς εἰργομένης ἐξουσίας καὶ αὐθεντίας, ἡνίκα δ' ἂν βουληθείη προσάξαι δῶρα τῷ πλάσαντι, κατά τινα ἀρχαιοτάτην παράδοσιν. *Non liceat cuipiam ex Laicorum numero intra ſacri altaris ſeptum ingredi: ab eo tamen nequaquam prohibitâ poteſtate & auctoritate Imperatoria, quando quidem voluerit creatori dona offerre, ex antiquiſſimâ traditione*, Pandect. Can. Tom. I. f. 239. Hinc nonnulli concluſerunt, oblationum tantùm tempore Imperatori patuiſſe altare, non item aliis temporibus. At improbat hoc non immerito *Balſamon*, quum in iſtum Canonem hæc ſcribit: περὶ μέντοι τῶν βασιλέων εἶπον τινὲς, τοῖς ῥήμασιν ἐπικαθήμενοι τοῦ κανόνος, ὅτι τότε οὐ κωλυθήσονται ἔνδον τοῦ θυσιαστηρίου εἰσιέναι, ὅτε προσαγαγεῖν δῶρον τῷ Θεῷ μέλλουσιν, οὐ μὴν ὅτε χάριν προσκυνήσεως μόνον βουληθῶσιν εἰσελθεῖν ἐν αὐτῷ· ἐμοὶ δὲ τοῦτο οὐ δοκεῖ. οἱ γὰρ πατριάρχαι προβαλλόμενοι ὀρθόδοξοι βασιλεῖς διὰ ἐπικλή-

ἐπικλήσεως τῆς ἁγίας τριάδος καὶ χριστοὶ ὄντες κυρίου, ἀκωλύτως ὅτε καὶ βούλονται εἰς τὸ ἅγιον θυσιαστήριον εἰσέρχονται. *De Imperatoribus autem dixerunt quidam, verbis canonis insistentes, quod tunc non probibebuntur intra septum altaris ingredi, quando sunt DEO munera oblaturi, non autem si solius adorationis gratiâ ipsum ingredi voluerint: sed mihi non ita videtur. Orthodoxi enim Imperatores, qui per S. Trinitatis invocationem Patriarchas provehunt, & sunt uncti Domini, sine ullo impedimento, quando etiam voluerint, ad sacrum altare accedunt,* Pandect. Can. l.c. Idem repetit *Matth. Blastares* Synt. Alph. lit. β. cap. VI. Tom. II. Pandect. Can Part. II. f. 44. Non tamen negaverim, unum vel alterum fortè Imperatorem oblationum tantum tempore altare ingressum esse. De seipso certe id disertè confitetur *Theodosius* Constit. ad Antiochum P.P. Synodo III. subjecta Tom. VI. Concil. ed. Paris. f. 452. τοῦ ἁγιωτάτου δὲ θυσιαστηρίου διὰ μόνην τὴν τῶν δωρεῶν προσφορὰν ἐφαπτόμεθα· καὶ εἰς τὴν τῶν θείων κύκλων περισοιχουμένην ἔπαυλιν ἅμα τῷ εἰσελθεῖν ὑπεκβαινομένων. *Ad sacra quoque altaria munerum tantùm offerendorum caussâ accedimus, & cum circumseptum sacrorum adytum ingressi sumus, statim egredimur.* Speciatim vero *mulieres* sacris Græci arcuerunt altaribus. Concilium Laodicenum can. 44. οὐ δεῖ γυναῖκα ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ εἰσέρχεσθαι. *Non oportet mulierem ad altare ingredi.* Cur hoc factum, explicat *Matthæus Blastares* Synt. Alph. lit. γ. cap. 22. ἐκβέβληνται δὲ ὥς φασί τινες διὰ τὴν τῶν ἐμμηνίων ἀπροαίρετον ῥύσιν. *Eji-*

ciuntur autem, ut nonnulli dicunt, propter involuntarium menſtrüorum fluxum, Pand. Can. T. II. P. II. f. 85. Sed olim altari iis non fuiſſe interdictum, idem l. c. obſervat, cum ait: ἡ μδ'. τῆς ἐν λαοδικείᾳ συνόδου κανὼν, εἰσιτητὸν εἶναι γυναιξὶ τὸ ἅγιον θυσιαστήριον, τῶν ἀτόπων ἡγεῖται· εἰ καὶ πρώην ἦν ἀνειμένον καὶ ταύταις. *Canon 44. Synod. Laodicen. abſurdum ducit, ut mulier ad ſacrum altare introeat; quamvis id olim iis permiſſum erat*, Pandect. Can. T. II. Part. II. f. 85. & alio loco (nempe cap. XI. ejusdem literæ γ.) id probat teſtimonio quodam Gregorii Nazianzeni. Sic enim ſcribit: ἀλλὰ βατὸν μὲν εἶναι καὶ γυναιξὶ τὸ ἅγιον θυσιαστήριον, ἐκ πολλῶν μὲν δεῖ καὶ ἄλλων κατασχάσασθαι, καὶ μάλιστα ἐκ τοῦ ἐπιταφίου λόγου, ὃν ἐπὶ τῇ ἀδελφῇ ὁ μέγας γρηγόριος ὁ θεολόγος πεποίηκε. *Quod autem mulieribus ad S. altare accedere licitum erat, ex multis aliis conjicere licet, & potiſſimum ex funebri oratione, quam in ſororem M. Gregorius Theologus habuit.* Pandect. Can. T. II. Part. II. f. 71. Gorgoniam intelligit, de quâ vide, quæ ex Nazianzeno ſupra allata c. II. § 33. & cap. VIII. §. 11. Recentiores etiam Græci tempore *Balſamonis* non ubique morem veterum obſervarunt, ſed alicubi omnibus promiſcue ad altare venire permiſerunt. Miratur id *Balſamon*, & quæ ejus ratio ſit, neſcire ſe fatetur. ὅπως οὖν, inquit, εἰς τὸ θεῖον ἄδυτον τοῦ πανσέπτου ναοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ ἐν χάλκῃ ἀκωλύτως εἰσέρχεται ὁ βουλόμενος, ἀγνοῶ. *Quomodo ergo in divinum adytum inclyti templi Domini noſtri JEſu Chriſti, quod eſt in Chalce, quicun-*

quicunq; vult, citra ullum impedimentum ingreditur, ignoro. Schol. in can. 69. Concil. VI. Trullan. Pandect. Can. T.I.f. 239.

VI. Quod ad *Latinos* attinet, Laicis patefecisse video altaria, quum dona sacra offerenda erant; non vero quum Eucharistia distribuenda fuit. Docet id exemplo suo Imperator Theodosius, suoque firmat testimonio Ambrosius, Mediolanensis Episcopus. Cum enim ille actâ ob Thessalonicensium cædem pœnitentiâ, in Ecclesiam Mediolanensem tandem admissus esset, suaque ad sacram mensam munera attulisset, intra cancellos altaris substitit more suo. At Ambrosius ferre id nolebat: itaque ex eo primum quærere, num quid vellet? deinde, cum respondisset Imperator, exspectare se communionem divinorum mysteriorum, hæc ei per primarium Diaconum nunciare: *Interiora, Imperator, solis sacerdotibus patent, reliquis verò omnibus inaccessa sunt: proinde exi & cum aliis assiste. Nam purpura Imperatores, non sacerdotes facit.* Quid Imperator? mirabile dictu, æquo animo cuncta ferre, audaciæ suspicionem à se amoliri, morem Constantinopolitanum excusare, denique gratias agere. Reversus etiam Constantinopolin, eundem ibi morem observare, oblatisque ad sacrum altare muneribus, statim exire. Quod cum Nectarius aliquando vidisset, quæsivit ex Imperatore, cur non intus mansisset? Cui Imperator: *Vix*, inquit, *cum gemitu perdidici discrimen inter Imperatorem & sacerdotem.* Narrat

hæc *Theodoritus* Hist. Eccles. lib. V. cap. XVIII. f. 343. *Sozomenus* addit, Ambrosium tunc primum Imperatori locum assignasse ante cancellos, cùm ante intra ipsa altaris septa sedere solitus fuisset. Nec ipsum tantum Theodosium, sed ejus etiam successores id ratum habuisse, Hist. Eccles. lib. VII. cap. XXIV. f. 103. Nec tamen oblationum tantum tempore altare Imperatori patuisse puto, sed etiam aliis. Idque ut ita mihi persuadeam, ipse facit *Ambrosius*, quum in solemni oratione super obitu Theodosii Imp. quadragesimo post die habitâ, Honorium ejus filium sanctis adstitisse dicit altaribus. Sic habent verba: *Ejus ergo Principis & proximè conclamavimus obitum & nunc quadragesimum celebramus, assistente sacris altaribus Honorio Principe: qui sicut S Joseph patri suo Jacob quadraginta diebus humationis officia detulit, ita & hic Theodosio Patri justa persolvit.* Tom. III. Oper. f. 47. Neque verò Imperatori tantum, sed aliis quoque permissum, accedere ad altare, & offerre dona. In Carthaginensi Ecclesia moris erat, ut sanitati restituti cum Episcopo irent ad altare & offerrent. Sic *Victor Uticens.* lib. III. Persecut. Afr. Tom. I. Orthodox. f. 814. narrat historiam de quodam cœco, cui DEUS per Eugenium Episcopum restituit visum. Quo facto *it ad altare cum Eugenio, sicut mos est, qui fuerat cœcus, suæ salutis oblationem Domino redditurus, quam Episcopus accipiens altari imposuit.*

VII.

VII. Perpetuum autem id non fuiſſe, ut Laici altaria ingrederentur, ſua dona allaturi. ex Ordine Romano docet *Bona* rer. Liturg. lib, II. cap. IX. p. 708. Ibi enim in ſecundâ Miſſæ deſcriptione, quæ Patrum occidentalium eſt, hæc leguntur: *Pontifex, dum cantatur offertorium, à Presbytero & Archidiacono ad locum, ubi oblationes à fidelibus Laicis, ſive viris ſive feminis offeruntur, easdem accepturus ducatur.* Et in tertiâ, quæ Romanæ Eccleſiæ eſt: *Pontifex deſcendit ad Senatorium & ſuſcipit oblationes principum.* Et deinde: *Pontifex antequam tranſeat in partem mulierum, deſcendit ante Confeſſionem & ſuſcipit oblatas primicerii defenſorum.* Idem confirmat Capitulare Caroli M. lib. V. cap. 219. quo ſancit, *ut per omnes dies dominicos oblationes DEO offerant, & ut ipſa oblatio foris ſepta altaris recipiatur.* Heraldus etiam Turonenſis Archiepiſcopus Capitul. c. 7. conſtituit, *ut populus extra cancellos ſtet, ejus oblatio extra cancellos recipiatur.* At Theodulphus Aurelianenſis in Capitulari ſuo cap. 6. ſolas feminas excludit, quas in ſuis locis ſtare jubet, & exſpectare, dum ſacerdos ab iis oblationes accipiat. De viris nihil ſtatuit, ex quo colligere eſt, licuiſſe iis ad altare accedere cum muneribus ſuis.

VIII. Tandem admiſſi viri æque ac feminæ ſunt. Quod de ſuo ævo, id eſt ſeculo XII. teſtatur *Balſamon* Schol. in Conc. Laodicen. can. 44. iſtis verbis: εἰς μέντοι τὰ μέρη τῶν λατίνων ἀνερυθριάστως αἱ γυναῖκες ἐν τοῖς θυσιαστηρίοις ὅτε βούλονται εἰσέρχονται. *In Latinorum autem regionibus mulie-*

res sine pudore ad altaria, quando volunt, ingrediuntur, Pandect. Can T. I. f. 474. & in can. 69. Conc. Trullan. VI. περὶ δέ γε τῶν λατίνων μανθάνω, ὅτι οὐ μόνον λαϊκοὶ ἄνδρες, ἀλλὰ καὶ γυναῖκες εἰς τὸ ἅγιον βῆμα εἰσέρχονται καὶ κάθηνται, ἱσταμένων πολλάκις καὶ τῶν ἱερουργούντων. *De Latinis autem audio, quod non solùm viri Laici, sed & mulieres in sanctum tribunal ingrediuntur & sedent, stantibus sæpe iis, qui sacrificant.* Pandect. Can. Tom. I. fol. 239.

CAPUT XXI.

DE COGNATIS MENSÆ SACRÆ.

I. Tumuli sanctorum loco altarium interdum fuerunt.
II. Item manus Diaconorum.
III. Ἀντιμίνσια Græcorum. Utrum vox hæc per ι. an per η scribenda. Ejus etymon.
IV. Ἀντιμίνσια quid fuerint, explicatur.
V. Iis non opus fuit, ubi mensæ consecratæ erant.
VI. Ritus consecrandi illa, ex Euchologio Græcorum traditur.

§. I.

§. I.

ADjuncta excipiunt COGNATA. Neque enim ſemper veteres, antiqui inprimis, ſacram Euchariſtiam celebraturi habuere menſas vel altaria, ſed interdum aliud quid, pro loco atque tempore. Quicquid igitur vice altaris iis fuit, id hoc ipſo cognationem quandam cum altaribus conſecutum eſt, adeoque meritò ad cognata eorum refertur. Ejusmodi fuerunt *tumuli Sanctorum*, Martyrum inprimis, ſuper quibus in coemeteriis ſacram adminiſtraſſe Euchariſtiam, admodum probabile eſt. Vide, quæ ſupra dixi cap. XV. quid enim attinet ea hîc repetere?

II. *Manus* quoque *Diaconorum* interdum pro altari fuerunt. Ita enim uſus illis ipſe *Theodoritus* eſt, ut teſtatur in hiſtoria SS. Patrum, & quidem in vita Maris. *Cum*, inquit, *longo tempore deſideraſſet (* Maris) *videre offerri ſpirituale & myſticum ſacrificium, rogavit, ut divini doni illic fieret oblatio. Ego vero lubenter parui: & juſſi ſacra vaſa afferri, pagus enim haud longe aberat: & pro altari uſus Diaconorum manibus, myſticum, divinum & ſalutare obtuli ſacrificium.* Tom. II. Oper. f. 454.

III. Poſterioribus ſeculis inventa in Eccleſiâ Græca Ἀντιμίνσια ſunt, quorum rationem paucis explicare viſum eſt. Primò autem vocem conſiderabimus, cujus ſcriptio ſolicitum

habuit *Constantinum Cabasilam* Dyrrachii Archiepiscopum. Is enim dubitavit, utrum per ἰῶτα ἀντιμίνσια, an per ἦτα ἀντιμήνσια scribendum esset: ideoque hanc quæstionem solvendam proposuit *Johanni* Citri Episcopo, qui ad illam etiam respondit in Jur. Græc. Rom. I, 5. p. 331. bene, an malè, jam non dijudicabimus. In originem tantum inquiremus. *Johannes* l. c. hanc affert: ἡ προσηγορία γὰρ αὕτη παράγεται ἀπὸ τοῦ μίνσου, τοῦ καθ' Ἕλληνας μὲν τὸ κανοῦν δηλοῦντος, κατὰ δὲ τὴν Ἰταλικὴν γλῶσσαν τὸ πεπραγματευόμενον τοῖς ὀψοποιοῖς ἐδεστόν· καὶ τοῦτο γὰρ κατὰ τὰ ἐν ταῖς τραπέζαις ἐφαπλούμενα ὀθόνια μινσάλια λέγονται, οἷα πρὸς κόσμον τῆς τραπέζης καὶ τῶν μίνσων τιθέμενα. κατὰ κοινολεξίαν δὲ Ἀντιμίνσια λέγονται, ὥσπερ ἐν τοῖς ἱματισμοῖς τὰ ἀντίπανα καὶ ὅσα ἐκ τῆς κατὰ ἀνάκλασιν ἐνεργείας τὴν τοιαύτην ἐν τούτοις προσηγορίαν εἰλήχασιν. *Appellatio autem ipsa deducitur à mensa, quod secundum Græcos significat canistrum, & secundum Italicam linguam præparatum à coquis edulium. Hâc enim ratione & in mensis explicatæ mappæ, mensalia dicuntur, ad ornatum puta mensæ minsorumque, hoc est, ferculorum posita. Vulgari autem sermone Antiminsia dicuntur, ut in vestimentis Antipana, & quæcunque à vi flexionis talem in his appellationem sortita sunt.* Nobis videtur ista vox origine partim Græca, partim Latina, ex ἀντὶ & *Mensa* composita, ita ut ἀντιμίνσια sint ἀντὶ τῶν μίνσων hoc est, *pro mensis* seu *mensarum loco* posita, *sive mensarum vicaria.* Id quod etiam sensisse videtur *Balsamon* not. in Concil. Nicæn. II. can. VII. quum ait: διὰ γὰρ

τοῦ

τῦτο καὶ ἀντιμίνσια ἐκλήθησαν, ἤτοι ἀντιπρόσωπα καὶ ἀντίτυπα τῶν πολλῶν τοιούτων μίνσων τῶν καταρτιζόντων τὴν ἁγίαν δεσποτικὴν τράπεζαν. *Propterea & ἀντιμίνσια appellata sunt, quod multas ejusmodi mensas exprimant & referant, quæ sanctam Dominicam mensam perficiunt,* Tom. I. Pandect. Can. f. 297.

IV Erant autem ἀντιμίνσια PANNI, ALTARIUM RITU ET VICE CONSECRATI, QUIBUS STRATÆ MENSÆ REDDERENTUR SACRÆ AD S. EUCHARISTIAM CELEBRANDAM. Nimirum Græci, recentiores inprimis, templum consecraturi solebant pannum humi sternere, sanctæque mensæ modo dedicatæ circumvolvere, eundemque postea in multas partes scissum inter sacerdotes distribuere, ut ipsi mensas, ubi sacra mysteria celebraturi erant, illis sternerent. Tradit hæc quidam Bellæ Episcopus in Jur. Græc. Rom. l. III. p. 239. Ἀντιμίνσια, inquit, ἴσμεν γινόμενα, ἐπὰν ὁ ἀρχιερεὺς δι' ἑαυτῦ ἐνεργήσῃ τὸν ἐγκαινισμὸν, καὶ ἐκ τοῦ πανίου τοῦ ὑποστρωθέντος καὶ περιειλήσαντος τὴν τράπεζαν, εἰς βραχέα τεμνομένου, καὶ γραφομένου τοῖς ἱερεῦσι δίδοσθαι. *Antiminsia fieri noscimus, cum Pontifex per seipsum dedicationem templi perfecit; eaque è strato panno, sacram mensam involvente in frusta dissecto & depicto, sacerdotibus distribui.* Et Balsamon not. in can. XXXI. Concil. VI. Trullan. his verbis: διὰ τοῦτο γὰρ ὡς ἔοικεν ἐπενοήθησαν καὶ τὰ ἀντιμίνσια, καὶ γίνονται παρὰ τῶν κατὰ χώραν ἀρχιερέων καθ' ὃν καιρὸν ποιοῦσιν ἐνθρονισμὸν ἐκκλησίας, ἐφ' ᾧ τίθεσθαι αὐτὰ εἰς τὰς ἁγίας τραπέζας τῶν ευκτηρίων. *Propterea, ut est*

verisimile, excogitata sunt Αντιμίνσια, *& fiunt à regionis antistibus, quo tempore faciunt Ecclesiæ inthronizationem, ut ponantur ea supra sanctas mensas oratoriorum.*

V. Cum igitur ἀντιμίνσια vice mensarum sacrarum sive altarium essent, facile intelligitur, opus non fuisse istis, ubi mensæ consecratæ s. altaria erant. Id quod etiam *Manuel* Patriarcha Constantinopolitanus docuit in Jur. Gr. Rom. lib. III. p. 239. 240. τὰ ἀντιμίνζια οὐκ εἰς πάσας ἀνάγκη κεῖσθαι τὰς ἁγίας τραπέζας, ἀλλ' εἰς ἃς οὐ γνώριμόν ἐστιν εἴτε καθιερωμέναι εἰσὶν, εἴτ' οὔ· τὰ γὰρ ἀντιμίνσια καθιερωμένων ἁγίων τραπεζῶν τόπον ἐπέχουσι. καὶ ἔνθα εἰσὶ γνώριμοι καθιερωμέναι τράπεζαι, οὐ χρεία ἀντιμινζίων ἐκεῖ. *Antimensia in omnibus sanctis mensis poni necesse non est, sed in iis, de quibus incertum est, consecratæ sint nec ne. Nam antimensia consecratarum mensarum locum tenent: nec iis opus est, ubi mensas consecratas esse constat.*

VI. Quomodo autem hæc ἀντιμίνζια consecrata fuerint, tradit Euchologium Græcorum his verbis: τῶν ἱερέων ἐπιθέντων τῇ τραπέζῃ τὰ ἀντιμίνζια, τούτοις ἐκ τῆς οἰνάνθης τὸ ῥόδινον τρὶς ὁ ἱερεὺς ἐπιχέει, λεγομένου ψαλμοῦ. ΡΑΝΤΙΕΙΣ ΜΕ ΥΣΣΩΠΩ, ΚΑΙ ΚΑΘΑΡΙΣΘΗΣΟΜΑΙ. ΠΛΥΝΕΙΣ ΜΕ, ΚΑΙ ΥΠΕΡ ΧΙΟΝΑ ΛΕΥΚΑΝΘΗΣΟΜΑΙ. τοῦτο δὲ τρίτον εἰπὼν ἐπισυνάπτει καὶ τὰ ἑξῆς τοῦ ψαλμοῦ. καὶ δοξάζων λέγει. ΕΥΛΟΓΗΤΟΣ Ο ΘΕΟΣ ΗΜΩΝ, ΠΑΝΤΟΤΕ, ΝΥΝ, ΚΑΙ ΑΕΙ, ΚΑΙ

ΕΙΣ ΤΟΥΣ ΑΙΩΝΑΣ ΤΩΝ ΑΙΩΝΩΝ, ΑΜΗΝ. εἶτα λαμβάνων τὸ ἀγγεῖον τοῦ μεγάλου, καὶ τοῦ διακόνου εἰπόντος, ΠΡΟΣΧΩΜΕΝ, ποιεῖ δι' αὐτοῦ σταυροὺς τρεῖς, μέσον ἕνα, καὶ ἑκατέρωθεν δύο, λεγομένου ψαλμοῦ. ΙΔΟΥ ΔΗ ΤΙ ΚΑΛΟΝ Η ΤΙ ΤΕΡΠΝΟΝ, ἕως τέλους. καὶ δοξάζοντες λέγει ὁ ἀρχιερεύς. ΔΟΞΑ ΣΟΙ ΑΓΙΑ ΤΡΙΑΣ, ΟΤΙ ΕΓΩ ΕΝ ΑΚΑΚΙΑ, ΜΟΥ ΕΠΟΡΕΥΘΗΝ. καὶ τοῦ διακόνου εἰπόντος. ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ ΔΕΗΘΩΜΕΝ. εὔχεται ὁ ἀρχιερεὺς οὕτως, ΚΥΡΙΕ ΤΟΥ ΟΥΡΑΝΟΥ ΚΑΙ ΤΗΣ ΓΗΣ &c. εἶτα λέγει ὁ ἱερεύς. ΕΙΡΗΝΗ ΠΑΣΙΝ. ὁ διάκονος. ΤΑΣ ΚΕΦΑΛΑΣ ΥΜΩΝ ΤΩ ΚΥΡΙΩ, ΚΛΙΝΑΤΕ. καὶ ὁ ἀρχιερεὺς λέγει τὴν εὐχήν. ΕΥΧΑΡΙΣΤΟΥΜΕΝ ΣΕ, ΚΥΡΙΕ &c. εἶτα προσαγομένων τῶν λειψάνων, καὶ ἐμβαλλομένων τῇ κηρομαστίχῃ, ἐπιχέει τούτοις ὁ ἱερεὺς μύρον· καὶ ἐνθέμενος αὐτὰ ὄπισθεν τοῦ ἀντιμινσίου ἐν τῇ ἑτοιμασθείσῃ θήκῃ, καὶ ἀσφαλισάμενος καλῶς, εὔχεται τὴν εὐχὴν ταύτην. ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ ΔΕΗΘΩΜΕΝ. ΚΥΡΙΕ Ο ΘΕΟΣ ΗΜΩΝ &c. καὶ εὐθὺς ψάλλεται ἡ θεία λειτουργία. *Postquam sacerdotes mensæ imposuerunt* ἀντιμίνσια, *sacerdos ex flore vitis, quantum satis est, ter iis superfundit, dicto Psalmo: ASPERGES ME HYSSOPO, ET MUNDABOR: LAVABIS ME, ET SUPRA NIVEM DEALBABOR. Hoc ubi ter dixit, addit reliqua illius Psalmi, & glorificans ait: BENEDICTUS DEUS NOSTER, NUNC ET SEMPER, ET IN SECULA SÆCULORUM, AMEN. Deinde accipit vas magni unguenti, & Diacono dicente, AFFUNDAMUS, (ATTENDAMUS) facit per illud tres cruces, unam in*

medio,

medio, & utrinq; duas, recitato Psalmo: ECCE QUAM BONUM ET QUAM JUCUNDUM, *usque ad finem. Tum Pontifex infit:* GLORIA TIBI SANCTA TRINITAS, DEUS NOSTER IN SECULA. *Deinde thuribulum datur Pontifici, qui odores incendit atq; hæc ait:* JUDICA ME DOMINE, QUONIAM EGO IN INNOCENTIA AMBULAVI. *Et Diacono dicente* DOMINUM VENEREMUR, *ipse Pontifex precatur hunc in modum:* DOMINE COELI ET TERRÆ *&c. Postea dicit Sacerdos:* PAX OMNIBUS. *Diaconus:* CAPITA VESTRA DOMINO INCLINATE. *Et Pontifex recitat has preces:* GRATIAS AGIMUS TIBI DOMINE *&c. Deinde adductis reliquiis & inclusis Ceromastichæ, infundit sacerdos iis unguentum & postquam illas posuit post Antimensium in thecâ in hunc usum factâ, & probè munivit, has recitat preces:* DOMINUM VENEREMUR. DOMINE DEUS NOSTER *&c. & statim celebratur divina Liturgia,* Vide *Beveregii* notas in Can. Concil. Trull. 31. f. 132, 133. *Jacob. Goar* EuchＯlog. Græc. pag. 648. *Isaaci Haberti* Archieraticon p. 657. *Joan. Meursium* in Glossario Græco Barbaro, voc. ἀντιμινσίων pag. 32. seqq. *Job. Casp. Suiceri* Thesaurum Ecclesiasticum eâdem voce, fol. 377. seqq.

CAP.

CAPUT XXII.

DE VIOLATIONE ALTARIUM.

I. Connexio capitis cum ſuperioribus. Diſſentanea recenſentur.
II. Violari altaria quot modis dicantur.
III. Altaria violata vel ex parte, vel ex toto à Donatiſtis.
IV. Ethnici principes altarium hoſtes.
V. Reformatorum & Donatiſtarum in violatione altarium ſimilitudo.

§. I.

HActenus ea expedivimus, quæ altaribus conſentanea fuere. Nunc, quæ diſſentanea ſunt, contemplabimur. Ejusmodi ſunt, *violatio altarium*, & *abuſus*, *altaria* item *Hæreticorum* & *gentilium*. Omnia enim hæc pugnant cum altaribus Chriſtianorum orthodoxorum. De *violatione* primo loco.

II. *Violari* autem dicuntur altaria duobus modis: primo *intrinſecus & directe*, quatenus vis infertur ipſis altaribus, eorumque materia corrumpitur aut deſtruitur; deinde *extrinſecus & indirecte*,

directe, quatenus vis infertur iis, qui ſunt ad altare, cujusmodi ſunt ipſi miniſtri & ſupplices, & tales alii. De poſteriori modo verba jam ſupra fecimus, cum profanationem altarium, conſecrationi eorundem contrariam, explicaremus cap. XI. Priorem ergo nunc conſiderabimus, quam poterimus breviſſimè.

III. Violata autem reperio altaria vel *ex parte*, vel *ex toto*. Ex parte, raſa exteriori & ſupremâ illorum ſuperficie. Ex toto, fractis tabulis, ipſove fundamento disjecto. Uterque modus Donatiſtis familiaris erat. Hi enim altaria Catholicorum, quæ non removebant, vel radebant, vel frangebant: quod inquinari putabant omne, quicquid attigiſſent Catholici. De utroque *Optatus Milevitanus* luculenta reliquit teſtimonia, inprimis lib. VI. quem ita orditur p. 163. *Indubitanter & liquido demonſtratum eſt, in divinis ſacramentis quid nefariè feceritis. Jam illa oſtendenda ſunt, quæ crudeliter ac ſtultè vos feciſſe negare minimè poteritis. Quid enim eſt tam ſacrilegum, quàm altaria DEI, in quibus vos aliquando obtuliſtis FRANGERE, RADERE, removere? in quibus vota populi, & membra Chriſti portata ſunt: quo DEUS omnipotens invocatus ſit: quo poſtulatus deſcendit Spiritus S.: unde à multis pignus ſalutis æternæ, & tutela fidei, & ſpes reſurrectionis accepta eſt? Altaria, inquam, in quibus fraternitatis munera non juſſit Salvator poni, niſi quæ eſſent de pace condita. Depone, inquit, munus tuum ante altare, & prius concorda cum fratre tuo, ut poſſit pro*

te

te sacerdos offerre. Quid est enim altare, nisi sedes & corporis & sanguinis Christi? Hæc omnia furor vester aut RASIT aut FREGIT aut removit. Hoc igitur inexpiabile nefas, si de aliqua ratione descendit, uno modo fieri debuit. Sed, ut æstimo, alio loco copia lignorum FRANGI jussit; alio, ut altaria RADERENTUR, lignorum inopia imperavit; ut removerentur, ex parte verecundia jussit: ubiq; tamen nefas est, dum tantæ rei manus sacrilegas & impias intulistis. Quid perditorum referam conductam multitudinem, & vinum in mercedem sceleris datum? quod ut immundo ore sacrilegis haustibus biberetur, calida de FRAGMENTIS ALTARIUM facta est. Si livoris judicio nos vobis sordidi videbamur; quid vobis fecerat DEUS, qui illic invocari consueverat? quid vos offenderat Christus, cujus illic per certa momenta corpus & sanguis habitat? quid vos etiam offendistis vos ipsi, ut illa altaria FRANGERETIS, in quibus ante nos per longa temporum spacia sancte, ut arbitramini, obtulistis? Dum impiè persequimini manus nostras illic, ubi corpus Christi habitabat, feristis & vestras. Et postea p. 165. *Inter hæc omnia vel altaribus parceretis. Cur vota & desideria hominum cum ipsis altaribus CONFREGISTIS? Illic ad aures DEI ascendere populi solebat oratio. Cur concidistis precibus viam? & ne ad DEUM supplicatio de more solito ascensum haberet, impia manu quodammodo scalam subducere laborastis?* Et rursus p. 167. *Ergo & FREGISSE vos, & RASISSE constat altaria. Quid est, quod in hâc re subito vester quasi languere visus est furor? videmus enim vos postea mutasse consilium, & altaria à vobis jam non frangi,*

gi,

gi, ſed RADI tantummodo, aut removeri. Idem lib. II. pag. 67. *Quid iniquius, quam exorcizare Spiritum S. altaria FRANGERE: Euchariſtiam animalibus projicere?* Auguſtinus etiam altaris à Donatiſtis fracti facit mentionem epiſt. L. Tom. II. Oper. f. 220. his verbis: *Supra dictum quippe Epiſcopum Vagienſem* (Maximianum) *quoniam apud ordinarium judicem dicta inter partes ſententia, obtinuerat baſilicam, quam illi* (Donatiſtæ) *cum catholica eſſet invaſerunt, ſtantem ad altare irruentes horrendo impetu & furore crudeli, fuſtibus & hujuſcemodi telis, lignis deniq; ejusdem altaris EFFRACTIS immaniter ceciderunt, pugione etiam percuſſerunt in inguine.* Quod idem repetit lib. III. contra Creſcon. Grammat. Tom. VII. Oper. f. 267.

IV. Pertinent huc quoque *hoſtes Chriſtianorum*, Ethnici Reges Principesque, qui ſacras illorum ædes deſtruxerunt. Cujusmod inter plurimos alios fuit Imperator Diocletianus, de quo *Euſebius* hæc prodidit: ἔτος ἦν ἐννεακαιδέκατον τῆς διοκλητιανοῦ βασιλείας δύστρος μήν. λέγοιτο δ' ἂν οὗτος μάρτιος κατὰ ῥωμαίους, ἐν ᾧ τῆς τοῦ σωτηρίου πάθους ἑορτῆς εἰσελαυνούσης, ἥπλωτο πανταχόσε βασιλικὰ γράμματα, τὰς μὲν ἐκκλησίας εἰς ἔδαφος φέρειν. *Agebatur annus decimus nonus Imperii Diocletiani, menſis Dyſtros, qui Romanis Martius eſt, in quo Dominicæ paſſionis feſto appropinquante, paſſim imperialia edicta propoſita ſunt, quibus præcipiebatur, ut Eccleſiæ ad pavimentum usq; deſtruerentur,* Hiſt. Eccl. lib. VIII. cap. II. f. 84. b. id quod etiam factum, ut ibidem narratur. De Sapore Perſarum

ſarum Rege idem refert *Sozomenus* Hiſt. Eccl. lib. II. cap. VI. f. 24. b. quod nempe præceperit *τὰς ἐκκλησίας κατασκαφῆναι Eccleſias dirui.* Dirutis ædibus, quis parſum credat altaribus ſeu menſis ſacris?

V. Quæ *Reformatorum* quorundam hoc ſeculo ratio fuerit, in confeſſo eſt. Non tam ovum ovo ſimile, quàm illi Donatiſtis ſunt. Nam perinde ut illi altaria Catholicorum, ſive, ut vocant, Lutheranorum, quibus olim uſi Pontificii fuerant, diruerunt, ſubſtitutis menſis ligneis. Factum id cum alibi, tum inprimis in Anhaltinatu eſt: repugnantibus graviter orthodoxis Theologis. Sed de hoc alio loco commodius plura dicentur.

CAPUT XXIII.

DE ABUSU ALTARIUM.

I. Abuſu ut omnia, ita & altaria corrupta.
II. Altaria in Africa temere excitata improbantur.
III. Nudatio altarium vindictæ cauſſa damnatur.
IV. Oblatio caſei ad altare abuſibus annumeratur.
V. Invocatio Sanctorum apud altare rejicitur. Origo ejusdem.
IV. Abuſus altaris in ſacrificio Miſſæ.

§. I.

NIhil tam ſanctum unquam fuit, quod non abuſu profanare prava tentarint ingenia. Ipſo verbo DEI bone DEUS! quam abuſi inde ab initio Hæretici ſunt, magi item & ſcelerati alii! De Sacramentorum abuſibus vel ſola religio Pontificia teſtetur. Noti in vulgus ſunt. Quid mirum igitur altaribus etiam olim accidiſſe, quod aliis rebus ſanctis, quod ſacramentis, quod ipſi verbo divino?

II. In Africa ſomniis & inanibus vanorum quoruudam hominum revelationibus excitabantur altaria, per agros & vias, tanquam monumenta martyrum, cum eorum nihil ibi eſſet, eaque à ſuperſtitioſa plebe frequentabantur. Quod cum intelligerent Eccleſiarum præfecti, ægerrimè id tulerunt & improbarunt, vetuerunt etiam canone 14. Concilii Carthaginenſis IV. inſerto Codici Canonum Eccleſiæ Africanæ ap. Juſtell. f. 370. Neque id immerito. Abuſus enim erat, non uſus. Fac enim nihil vitii habere ædificationem altaris ſuper corpore Martyris in ſacrâ æde: at certè per agros & vias excitare altaria; deinde eadem excitare tanquam monumenta martyrum, cum nullius martyris corpus aut reliquiarum quicquam ibi reperiatur; tum ſuperſtitioſe ea frequentare; denique defendere etiam adverſus ipſos Eccleſiarum præſides, quorum

rum voluntati hîc obtemperandum erat: hæc certè talia ſunt, ut excuſari nullo modo, nec ad legitimum altarium uſum referri poſſint.

III. Non minor abuſus, *nudatio altarium* ad expetendam ſanctorum vindictam erat, quæ ſeculo inprimis ſeptimo invaluerat. Solebant enim tum homines vindictæ cupidi nudare altaria, quaſi ſanctos invocaturi ad vindictam. Sed & hoc probitum poſtea eſt in Concilio Toletano XIII. tempore Leonis II. & Conſtantini Pogon. Imp. A. C. 683. habito, & quidem canone VII. qui ita habet: *Si illi væ incurrunt, qui negligenter opus Domini faciunt, quod ſupplicium merebuntur, qui divinæ ſervitutis cultum, malitia intercedente, ab altaribus Chriſti ſubducunt? illos dicimus, qui obſtinatæ mentis doloſitate confuſi, cum aliqua eos moleſtia fraternorum jurgiorum pupugerit, inſanâ illicò temeritate abrepti, altaria nudantes, ſacratis veſtibus exuunt, luminaria ſubtrahunt, ac divinorum ſacrificiorum cultum, malitia intercedente, ſubducunt. Et quod in hominibus ſe vindicare non poſſunt, injuriam DEO (quod pejus eſt) inferunt. Unde ſi hujusmodi pro fraterno odio homicidæ reatu adſtringitur, pro contemtu divino quid pœnæ merebitur? Etenim juxta quod divinus ſermo increpat: Si peccaverit vir in virum, placari poteſt DEUS: Si quis autem peccaverit in DEUM, quis pro eo rogaturus eſt? Facile ergo talium ſacerdotum exceſſibus illa Domini ſententia coaptabitur, quâ malitia percutitur ſacerdotum. Dicit enim: Honorificantes me honorificabo; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Quicunq; ergo ſacerdo-*

cerdotum vel ministrorum, deinceps causa cujuslibet doloris vel amaritudinis permotus, aut altare divinum vel vestibus sacratis exuere præsumserit, aut qualibet aliâ lugubri veste accinxerit; seu etiam si consueta luminariorum sacrorum obsequia de templo DEI subtraxerit, vel exstingui præceperit, aut quodcunq; lugubritatis in templo DEI induxerit, atque (quod pejus est) occasionem nutrierit, unde de templis Domini aut officia consueta desint, aut oblatio singularis sacrificii videatur in aliquo defraudari; Si eum antea veræ pœnitudinis coram Metropolitano satisfactio non purgaverit, ignobilitati perpetuæ mancipatus, juxta superiorem sententiam Domini, & loci sui dignitate se noverit & honore privari. Illis procul dubio personis ab hac ultionis sententiâ separatis, quæ aut contaminationem sacrorum ordinum, vel subversionem sanctæ fidei metuentes, aut hostilitatem vel obsidionem perferentes, seu etiam divinorum judiciorum sententiam, metuentes, tale fecisse contigerit: in quorum facto plus humilitas, quâ DEUS placetur, quàm interni laboris dolositas declaratur, Tom. XVII. Concil. edit. Paris. f. 30. 31. Citat hunc canonem *Baronius* Annal. Tom. VIII. ad A. C. 683. n. XXIV. f. 638. & hæc addit: *Prodiisse sciendum est ejusmodi pravum usum ex sanctorum exemplis male acceptis: quod enim illi divini spiritus impulsu interdum zelo divino æstuantes fecisse leguntur, isti amaritudine animi in vindictam fratrum perperam usurpabant. Dictumq; est namq; superiori tomo ex Gregor. Turonens. de SS. Episcopis, quod adversus potentiores bona Ecclesiæ invadentes eo modo solerent excitare sanctos illos, quorum essent ablata bona,*

bona, post alia remedia frustra tentata: accidebatque ut propediem vindicta divinitus immissa pertingeret delinquentem. Quod verò semel aut iterum viri sancti fecissent magna ex caussâ, nec nisi divino impellente Spiritu, isti passim ad privatam injuriam vindicandam impie usurpabant: Quod ne amplius quis tentare præsumeret, Patres sancito canone vetuerunt. Hæc ille. Quæ an ad excusandum abusum valeant, alii viderint.

IV. Præterea ad abusum altarium pertinet *oblatio casei* ad altare, facta ab *Artotyritis*, unde & nomen isti consecuti sunt. Quippe *offerebant panem & caseum, dicentes, à primis hominibus oblationes de fructibus terræ & ovium fuisse celebratas*, teste *Augustino* lib. de Hæres. cap. 28. Tom. VI. Oper. f. 18. sive, ut *Epiphanius* loquitur, ἐν τοῖς αὐτῶν μυστηρίοις *in mysteriis suis apposuerunt panem & caseum*, hæres. XLIX. f. 182. At nec altaria eum ob finem sunt exstructa aut exstrui debuerunt; nec ejusmodi quid ad altare offerre, fas fuit. Hæc Hebræi caseos DEO obtulerunt; nec, si obtulissent, idem faciendum Christianis in N. T. fuisset, abrogatis jam cerimoniis Leviticis. Abusus igitur altarium fuit, non verus usus.

V. Idem dicendum de *invocatione sanctorum* apud altare. Quæ quando cœperit, difficile dictu est. Sub finem Seculi IV. cum jam essent, qui privatim sanctos invocarent, nescio quâ superstitione imbuti, fuisse etiam quosdam credibile est, qui ejusmodi preces sacris publi-

cis admiſcerent. Hinc enim Concilium Hipponenſe (vulgo hoc ad Carthaginenſe III. referunt) can. 25. cavit, ne privatæ & novæ formulæ precationum temere uſurparentur, ſed apud altare ſemper ad Patrem oratio dirigeretur. Sic habent verba: *Ut nemo in precibus vel Patrem pro filio, vel filium pro patre nominet. Et cum altari aſſiſtitur, ſemper ad Patrem dirigatur oratio. Et quicunque ſibi preces aliunde deſcribit, non eis utatur, niſi prius eas cum inſtructioribus fratribus contulerit*, Tom. III. Concil. Illuſtr. p. 360. In codice Canonum Eccleſiæ Africanæ n. CIII. præmiſſo ejusdem canonis argumento: *De precibus ad altare dicendis*, hæc ſubjiciuntur verba: *Placuit etiam hoc, ut preces, quæ probatæ fuerint in Concilio, ſive præfationes, ſive commendationes, ſeu manus impoſitiones, ab omnibus celebrentur, nec aliæ omnino contra fidem præferantur, ſed quæcunque à prudentioribus fuerint collectæ, dicantur*, Tom. I. Bibl. Juſtelli f. 386. Cum igitur hîc prohibitum fuerit, ne preces contra fidem ad altare recitarentur, & præceptum contra, ut ſemper ad Deum Patrem oratio dirigeretur; videntur omnino quidã interdum ad altare aliũ, quã Deum Patrem precibus veneratos, idq; contra fidem fuiſſe. Sequenti ſeculo. quod quintum fuit à Chriſto nato, Petrus κναφὸς Fullo exſtitit, qui primus autor fuit, ut publicis Eccleſiæ precibus invocatio Sanctorum inſereretur. *Nicephorus* enim lib. XV. cap. 28. f. 983. ſcribit, eum inter alia & hoc inveniſſe, ut *in omni precatione DEI genitrix nominaretur, & divinum ejus no-*

nomen invocaretur. Si in omni precatione; ergo etiam in eâ, quæ ad altare fiebat. Petrum hunc ſceleratum vitaque pariter ac doctrina infamem, ſecuti poſtea Pontifices Romani ſunt: etſi id feciſſe videri nolunt, ſed ad alios potius provocant. Ex his *Gregorius M.* cùm alias ceremonias inſtituiſſe, tum publicis etiam eccleſiæ ſupplicationibus, quas λιτανείας Græci vocant, Sanctorum invocationem adjeciſſe fertur, ac nominatim illud carmen: *S. Maria ora pro nobis*, teſte *Hermanno Gigante* in florib. Temp. ap. *Hoſpin.* de Templo lib. II. f. 302. Succeſſores deinde ejus alii alios addiderunt Sanctos, ut *Balæus* in vitâ Honorii I. teſtatur. Atque inde nata tandem illa SS. invocatio eſt, quâ Pontificiorum adhuc altaria perſonant. Nobis jam non placet, pluribus de ea agere. Offeretur locus, quo commodius talia tractare poſſimus. Vide interim de ortu & progreſſu hujus invocationis, eruditè diſſerentem è noſtris magnum illum *Chemnitium* Exam. Conc. Trid. part. III. de Invoc. Sanct. f. 624. ſeqq. è Reformatis, *Philippum Mornæum* de S. Euchariſt. lib. III. cap. XVII. p. 1215. ſeqq. & *Gerard. Joan. Voſſ.* Theſ. Hiſtor. & Theol. diſp. X. & XI. De futilitate & impietate ejusdem, præter eos, quos modo laudavi, legere juvat *Gerhard.* Conf. Cath. lib. II. Part. II. art. X. c. II. p. 549. ſeqq. *Schroder.* Apodix. VI. p. 203. ſeqq.

VI. Accedit his, tanquam cumulus, *Miſſæ ſacrificium*, quod Pontifices Romani excogitarunt,

tarunt, cum id antiquitas orthodoxa prorsus ignoraret. Atque hoc ut conjunctum cum horrendis erroribus est, ita ad illud faciendum abusos eos fuisse altaribus, nemo orthodoxorum dubitare potest. Sed de hoc, & id genus aliis abusibus, quibus Pontificii altaria contaminarunt, alio loco plura dicemur, volente DEO.

CAPUT XXIV.

DE ALTARIBUS HÆRETICORUM.

I. Quænam altaria Hæreticorum hîc intelligantur.

II. Aræ Carpocratianorum. Eorundem errores

III. Armeniorum altaria quantum distent à mensis Catholicorum.

IV. Ophitarum aræ, Catholicis contrariæ

V. Pugna inter Donatistarum & Catholicorum altaria. Donatistarum errores.

VI. Nec Reformatorum mensis cum altaribus Christianorum convenit Prima diversitatis ratio In illis non est præsens corpus Christi.

VII. Altera ratio. Apud mensas Reformatorum non editur corpus nec bibitur sanguis Christi.

VIII. Tertia ratio. Hostiæ veterum. Calvinianorum in eas convitia.

IX. Quarta ratio. Reformati refugiunt nomen altaris.

X. Ratio quinta.

XI. Sexta ratio.

XII. Septima.

XIII. Octava.

XIV. Pugna inter Pontificiorum & Christianorum veterum altaria breviter perstringitur.

§. I.

§. I.

NOn *Myſtica* hîc intelligimus, ſive ipſam hæreticorum doctrinam, quæ altare etiam appellari ſolet, ut quum dicuntur *altare contra altare erigere*, phraſi Patribus tam Græcis quam Latinis frequentata, de qua ſupra cap. II. plura. Sed de *corporeis & adſpectabilibus* loquimur, quæ inſtar menſarum ſunt, & cum menſis ſacris Catholicorum multis modis pugnant. Neque tamen animus eſt, hîc enumerare omnes omnium hæreticorum menſas: hoc enim nimis longum foret, forte etiam non neceſſarium; cum vix quisquam, cui ſanitas eſt, dubitare poſſit, omnes hæreticorum aras vel menſas aliquid habere, quod repugnet ſanctis orthodoxorum altaribus. Itaque eas tantum in medium afferam, quæ nunc ſe mihi offerunt, quarumque ex lectione Scriptorum Eccleſiaſticorum adhuc in mente meâ hæret memoria. Cujusmodi inprimis ſunt, *Aræ Carpocratianorum*, *Armeniorum*, *Ophitarum*, *Samoſatitarum*, *Donatiſtarum*, quibus ſubjiciam *menſas Calvinianorum*, & *altaria* deniq; *Pontificiorum*.

II. De ARIS CARPOCRATIANORUM luculentum exſtat teſtimonium *Clementis Alexandrini* lib. III. Stromat. f. 428. Verba ita habent: ἔζησε ἢ τὰ πάντα ἔτη ἑπτακαίδεκα, καὶ

θεὸς ἐν Σάμῃ τῆς Κεφαλληνίας τετίμηται· ἔνθα αὐτῷ ἱερὸν ῥυτῶν λίθων, βωμοί, τεμένη, μουσεῖον, ᾠκοδόμηταί τε καὶ καθιέρωται· καὶ συνιόντες εἰς τὸ ἱερὸν οἱ Κεφαλλῆνες κατὰ νουμηνίαν, γενέθλιον ἀποθέωσιν θύουσιν Ἐπιφάνει· σπένδουσί τε καὶ εὐωχοῦνται, καὶ ὕμνοι λέγονται. *Vixit autem* (de Epiphane loquitur, Carpocratis filio, â quo manavit hæresis Carpocratianorum) *solum 17. annis*, *& Samæ*, *quæ est est urbs Cephaleniæ*, *ut Deus est honore affectus. Quo in loco templum ex ingentibus lapidibus, altaria, delubra, museum ædificatum est & consecratum, & cum est nova luna, convenientes Cephalenei, tempore quo natus & in Deos relatus est Epiphanes, sacrificant libantque & convivantur & hymnos canunt.* Ex his intelligi potest, quam contrariæ hæ aræ mensis orthodoxorum fuerint. Erant enim (1) idololatricæ: quippe colebatur ad illas Epiphanes, tanquam DEUS, sacra etiam ei fiebant, velut DEO. At Catholicorum mensæ tales non erant. *Nos martyribus nostris*, ait S. Augustinus, *non templa sicut Diis, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud DEUM vivunt spiritus, fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed uni DEO & martyrum & nostro sacrificium immolamus*, de Civ. DEI lib. XXII. cap. X. Tom. V. Oper. f. 1355. Deinde (2) Carpocratianorum aræ erant proprie ita dictæ: fiebant enim in iis sacrificia proprie dicta. Catholicorum autem mensæ minus proprie tantum altaria dicebantur, cum sacrificia propriè dicta omni antiquitati puræ ignota, solaque mystica

ſtica ei cognita eſſent. Juſtinus Martyr Dial. cum Tryphon. f. 344. ὅτι μὲν οὖν καὶ εὐχαὶ καὶ εὐχαριστίαι ὑπὸ τῶν ἀξίων γινόμεναι, τέλειαι μόναι καὶ εὐάρεστοί εἰσι τῷ θεῷ θυσίαι, καὶ αὐτός φημι. Ταῦτα γὰρ μόνα καὶ χριστιανοὶ παρέλαβον ποιεῖν, καὶ ἐκ ἀναμνήσει δὲ τῆς τροφῆς αὐτῶν ξηρᾶς τε καὶ ὑγρᾶς, ἐν ᾗ καὶ τοῦ πάθους ὃ πέπονθε δι' αὐτοῦ ὁ θεὸς τοῦ θεοῦ, μέμνηται. *Porro ſupplicationes ſimul & gratiarum actiones, quæ à dignis peraguntur, ſolas perfectas eſſe & DEO caras victimas, ipſe quoque affirmaverim. Has vero SOLAS facere Chriſtiani didicerunt, in ipſius etiam alimoniæ ſuæ recordatione, aridæ juxta & liquidæ: in qua & paſſionis, quam pertulit per ipſum DEUS DEUM, mentio fit.* Præterea (3) Carpocratianorum aræ ſacræ erant ἀποθεωθέντι ſive ei, qui Deus factus ab hominibus erat. At menſæ Catholicorum ſacræ fuerunt ipſi θεῷ DEO, qui homines fecerat. Auguſtinus *Altare etiam ſuper ſanctum corpus Martyris ad DEI honorem cultumque conſtructum* dicit lib. VIII. de Civ. DEI c. XXVII. Tom. V. Oper. f. 492. Denique (4) ad Carpocratianorum aras aſſiſtebant miniſtri heterodoxi, docentes Chriſtum eſſe natum è mare æquè ac feminâ ad inſtar aliorum hominum, adeoque merum fuiſſe hominem, teſte *Ireneo* adv. hær. lib. I. cap. XXIV. f. 121. *Tertulliano* de Præſcr. adv. Hæret. f. 94. edit. Pariſ. *Epiphanio* hæreſ. XXVII. f. 49. *Theodorito* Hæret. Fab. lib. I. de Carpocr. Tom. II. Oper. f. 370. *Auguſtino* de Hæreſ. cap. VII. Tom. VII. Oper. f. 14. ejus item animam ſolam in cœlum fuiſſe receptam, corpore

pore in terris relicto, *Tertullian.* & *Iren.* ll. cc.&c. mundum non à DEO, ſed à virtutibus neſcio quibus eſſe factum, *Iren. Theodorit. Auguſtin.* ll. cc. it. lib. II. contra adverſ. legis cap. XII. Tom. VI. f. 640. nec legem Moſis DEUM habere auctorem, *Auguſtin.* ll, cc. ſeipſos vel ipſo Chriſto præſtantiores eſſe *Iræn.* & *Theodorit.* ll. cc. mulieres eſſe oportere communes, morumque turpitudinem eſſe neceſſariam ad obtinendum in cœlo ſuperiori locum *Auguſtin.* de Hæreſ. l. c. *Clem. Alex.* l. c. reſurrectionem corporis eſſe nullam, *Auguſtin.* l. c. animas, quæ ſe ſatis voluptatibus non expleverint in primo ſuo corpore, in alia poſtea mitti, ut, quod neglectum, reſarciant, *Theodorit.* l. c. Verum hæc omnia refutabant & exſecrabantur, qui ad Catholicorum altaria ſtabant, ſacerdotes atque miniſtri.

III. Quod ad ARMENIOS attinet, *Nicephorus Calliſtus* Hiſt. Eccl. lib. XVIII. cap. LIII. f. 1156. auctor eſt, oves & boves, Judæorum more immolaſſe. Habuerunt ergo (α) altaria propriè ita dicta, quibus omnino deſtituebantur Chriſtiani orthodoxi. Quod alibi pluribus demonſtrabo. Nec hoc tantum; erant (β) *rogi pecorum* ipſorum altaria. Quibus *Cyprianus* Tr. I. contra Demetrian. f. 101. *altaria DEI* opponit, qualia Catholicorum Chriſtianorum fuere. Tum (γ) ad illa DEUS colebatur eo modo, quo coli nolebat. Nam ſacrificia externa tantum ad mortem Chriſti usque durare debebant Dan. IX, 27. & per eam poſtea abolita

ſunt

ſunt Hebr. IX. & X. Conf. *Franzii* Schol. ſacrif. diſp. X. At orthodoxi Chriſtiani ad altaria, DEUM colebant eo modo, quem ipſe præſcripſerat, nempe precibus & hymnis. Denique (*δ*) Armenii ſacerdotes & altaris miniſtri graviſſimos fovebant errores, dicentes, DEUM λόγον aſſumſiſſe carnem ſine animâ, Paſcha more Judæorum adhuc celebrandum, crucem eſſe baptizandam, & qui ſunt id genus errores alii: quos dum recenſere vult *Nicephorus* l. c. ipſe errat non parum, erroribus annumerans ea, quæ à veritate non recedunt. In quo verò illi errarunt, in eo orthodoxi Chriſtiani rectè ſenſerunt. Ac proinde alii his, alii illis altarium fuere miniſtri.

IV. OPHITARIUM ALTARIA ſequuntur, de quibus audire juvat *S. Auguſtinum* de Hæreſ. cap. XVII. Tom. VI. f. 16. Sic vero ait: *Ophitæ à colubro nominati ſunt. Coluber enim Græcè ὄφις dicitur. Hunc autem colubrum, qui decepit Adam & Evam Chriſtum arbitrantur. Sed habent etiam verum colubrum, quem nutriunt, & venerantur, qui & incantante ſacerdote egreditur de ſpeluncâ & aſcendit ſuper altare innixum ſpeluncæ, & oblationes eorum lambit, & involvens ſe circa eas regreditur ad ſpeluncam, & ita confringunt oblationes in Eucbariſtiam quaſi à ſerpente Chriſto ſanctificatas.* Hinc patet, quantum altaria Ophitarum diſtent ab altaribus Catholicorum. Illa enim ſacra erant ſerpenti; hæc DEO ſive ei, qui contrivit caput ſerpentis. Illic dæmon, hic per intervalla

valla habitabat corpus & ſanguis Chriſti, ut Optatus loquitur. Illic ſerpens; hîc Chriſtus conſecrabat oblationes ſive ſacra ſymbola. Illis ſubjectus erat corpus ſerpentis; his oſſa martyrum. Illorum ſacerdotes erant magi & idololatræ; horum non item. Vide de Ophitis plura in *Danæi* Comment. ad h. l. Auguſtin. p. 111.

V. Sed & inter DONATISTARUM ARAS, & Catholicorum altaria pugna intercedit. Donatiſtæ enim ſuas aras putabant eſſe puras, Catholicorum verò impuras atq; im̃undas, idque ex immundo contactu Catholicorum, qui ipſis *ſordidi* videbantur, teſte *Optato Milevit.* lib. VI. p. 164. hinc Catholicorum altaria aut radebant, aut frangebant, aut removebant, in quo eorum ſtultitiam merito notat & ridet Optatus l. c. Et ſi dicendum quod res eſt, non Catholicorum, ſed Donatiſtarum altaria erant impura eſt immunda non tam intrinſecus, quam extrinſecus, ob impuros multisque cædibus inquinatos miniſtros. Vide de eorum crudelitate *Auguſtinum* epiſt. L. ad Bonifac. Tom. II. Oper. f. 207. ſeqq. it. ep. LX. ad Cæcilianum Præſidem f. 308. ep. LXI. ad Dulcitium Tribunum f. 309. ſeqq. ep. LXVIII. ad Januar. f. 322. ſeqq. ep. CXXII. ad Victorianum f. 630. ſeq. ep. CXXVII. ad Donatum Proconſ. f. 640. & paſſim. Deinde Donatiſtarum altaria fuerunt monumenta hæreticorum: quippe ſuperpoſita ipſis Donatiſtarum tumulis ſunt. At

Ca-

Catholicorum menſæ ſuper tumulis ſanctorum martyrum exſtructæ, ac proinde & horum monumenta erant, ſive memoriæ, ut Eccleſiaſtici Scriptores loqui amant. Poſterius ſupra jam oſtenſum cap. XV. Prius patet ex *Optat. Milev.* lib. III. p. 106. ubi hæc legas: *In loco Octavenſi occiſi ſunt plurimi, detruncati ſunt multi, quorum corpora usque in hodiernum per dealbatas aras aut menſas potuerunt numerari.* Tandem qui Donatiſtarum frequentabant altaria, ipſi Donatiſtæ, id eſt ejusmodi hæretici erant, qui docebant, Eccleſiam veram non niſi in Africâ & eâ quidem parte eſſe, quam ipſi tenebant, teſte *Auguſtino* lib. II. contra lit. Petilian. cap. XV. Tom. VII. oper. f. 95. & de Unitat. Eccleſ. contra epiſt. Petil. cap. XVI. f. 544. nec manifeſtè malos ei admixtos, teſte eod. contra Donatiſt. poſt Collat. cap. IX. f. 599. ſed talem jam eſſe, qualis poſt ultimam ventilationem futura ſit, contr. epiſt. Parmem. lib. III. cap. II. f. 63. ſeq. expertes maculæ & peccati eſſe, contr. epiſt. Parmen. lib. II. cap. VII. f. 30. & de Unit. Eccleſ. cap. XIV. f. 540. item Baptiſmi vim pendere ex miniſtri probitate, lib. I. contra lit. Petil. cap. IV. f. 76. & lib. II. cap. CI. f. 156. & lib. III. c. XXXIX. f. 185. & eos, qui ex Catholicis ad ipſorum tranſirent partes, baptizandos iterum eſſe propterea quod Catholici non habeant verum Baptiſmum, ibid. lib. I. cap. I. f. 75. & quæ erant talia alia, quæ collegerunt *Autores Cent. Magdeb.* IV. cap. V. f. 210. ſeqq.

seqq. & *Danæus* Comm. in Augustin. de Hæres. p. 319. seqq. Verum Catholici ista omnia prorsus improbarunt, atque diluerunt, inprimis *Optatus* & *Augustinus*, ac proinde etiam eorum altaria tales habuere ministros atque sacerdotes, qui Donatistarum non tantum dissimiles, sed etiam adversarii essent.

VI. Ad REFORMATORUM MENSAS venio: quæ cum veterum Christianorum altaribus etiam parum conveniunt. Hæc enim erant *sedes corporis & sanguis Christi*, ubi *per certa momenta corpus & sanguis Christi habitabat*, ut *Optatus* loquitur lib. VI. contra Parmen. p. 163. 164. sive, ut Concilii Nicæni diatyposis de Cœnâ habet, ubi ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ ἔκειτο *agnus DEI præsto erat*; sive, ut *Chrysostomus* ait homil. XX. in 2. Corinth. VIII. f. 886. *excipiebant* σῶμα Χριστοῦ *corpus Christi*. At hoc de mensis suis Calviniani dicere non possunt. Tantum enim abest, ut illæ sint sedes corporis & sanguinis Christi, ut potius ipsi asserant, *à loco, in quo cœnam Domini celebramus*, id est mensa Domini *tam procul abesse Christi corpus, quâm cœlum à terra absit*, cum *Beza* in Colloqv. Possiac. & epist. Vol. 3. Tract. Theol. p. 204. & resp. I. ad Act. Colloqv. Mompelg. p. 71. & quæst. Theol. Tom. I. f. 655. & *Calvin.* form. consens. p. 25. Conf. maximè Reverendi Dn. *D. Deutschmanni*, viri optime de me olim in Academia Witebergensi meriti, Apol. Aug. Conf. Anti-Croc. art. 10. p. 209. seqq. Id quod etiam publicæ eorum confessiones docent,

non quidem iisdem verbis, sed aliis, quæ tamen idem valent. Vide *Facult. Theol. Witteberg.* gründlichen Beweiß cap. X. pag. 966. seqq. Et licet verbis interdum fateantur, Christi corpus & sanguinem in S. cœna non solum esse, sed etiam verè edi & bibi; revera tamen veram & substantialem præsentiam corporis Christi in cœna negant, 1. quia negant corpus Christi adesse in terris. At in terris tantum celebratur S. cœna. 2. Quia negant, corpus Christi simul esse in pluribus locis. At S. cœna simul in pluribus locis celebratur. 3. quia negant corpus Christi verè & realiter adesse in pane, vel ibi, ubi panis est Eucharisticus. At hīc est in cœna. Ac proinde relinquitur, Reformatorum mensas non habere præsens Christi corpus & sanguinem, ut veterum altaria; sed tantum corporis & sanguinis Christi Symbola sive signa.

VII. Deinde ad mensas veterum edebatur & bibebatur S. Eucharistia, quæ constabat ex duabus rebus, terrenâ & cœlesti, *Iren.* lib. IV. cap. XXXIV. f. 363. cui tam præsens erat caro & sanguis Christi, quàm humana ejus natura divinæ est *Justin.* Apol. II. adeoque accipiebatur ipsum corpus Domini *Tertull.* lib. de Orat. f. 793. *Orig.* homil. V. in divers. loc. Evang. Tom. II. f. 441. ipsa ejus caro in veritate & sanguis ejus in veritate *Ambros.* sermon. de Euchar. & quidem ore corporis *Theodorit.* Hist. Eccl. lib. V. cap. 18. f. 343. *Sozom.* Hist. Eccl. lib. VII. c. XXIV. f. 103. *Augustin.* l. II. contr. adv. leg. &

prophet. c. IX. Tom. VI. f. 634. 635. Sed hoc iterum à mensis Reformatorum alienum est. Ad eas enim quæ distribuitur Eucharistia, non constat re terrena & cœlesti, sed est res terrena tantum, à quâ cœlestis longissimo distat intervallo. Adeoque quisquis eas frequentat, non accipit ore corpus Domini, ipsamque ejus carnem & sanguinem verum, sed tantum ejus symbolum externum, fide quidem interim ad rem cœlestem elevata; sed quæ corpus absens non potest reddere præsens.

VIII. Tertio mensis veterum imponebatur non tantum panis cibarius, sed etiam postea, crescente Ecclesiâ, placentulæ minores, quæ jam seculo IV. usurpatæ, & ab *Epiphanio* in Ancorato vocatæ στρογγυλοειδεῖς sunt, id est, *rotundæ*, nimirum in peripheriâ; non tamen continuo sphæricæ: (nam στρογγύλον etiam *corpus planum, rotundam tamen in peripheria* significat. Sic *Hippocrates* σπαθομήλην vocat στρογγύλον μήλην, quam alibi μήλην πλατεῖαν dixit, intelligens *Specillum latum, instrumentum Chirurgicum, quo aliquid illinitur atque inducitur.* Sic LXX. mare æneum 1. Reg. VII, 23. στρογγύλον κυκλόθεν appellant, nempe ratione peripheriæ conf. com. 30. 34) *Gregorius M.* dixit *coronas* lib. IV. dial. cap. LV. Tom. I. f. 1464. Verum Calviniani vulgari quidem cibario pane suas instruunt mensas; sed placentulas illas tantopere nauseant, ut omni conviciorum genere eas proscindant. Quippe vocant lamellas nummularias *Voët.* Polit. Eccl.

Part. I. lib. II. Tr. II. sect. IV. c. 1. qu. 7. p. 735. minutas ac tenues quisquilias crustulorum, crustula imaginaria, farinaceas nebulas, panicea folia, *Salmas.* judic. de libr. posth. H. Grotii pag. 184. 185. 187. spumas, nebulas, minutias nummulariarum oblatarum & nebularum, farinacea folia, hostias glutinosas, nebulas Missaticas, orbiculos Missaticos, spumam glutinosam, minutias orbiculares Missaticas, hostiolas nummulares, recens Ecclesiæ Pontificiæ inventum, transsubstantiationi commendandæ comparatum, pellucidi corporis humani pellucidum tegumentum, levi momento dissipabiles nebulas, minutias papales, *Wendelin.* Christ. Theol. lib. I. cap. XXIII. p. 481. & Exerc. Theol. CI. & CII. Quæ contra nos afferunt argumenta, jam discussa satis à nostris Theologis sunt. Vide *Gerhard.* Tom. V. Loc. de Cœna cap. VII. §. 24. *Dorsch.* Exerc. ad Diatypos. Conc. Nicæn. à §. 38. ad 44. p. 152. seqq. *Königii* Cas. Consc. de S. Cœnâ &c.

IX. Quarto, veterum mensæ dicebantur altaria. Quod supra cap. II. per decem prima secula demonstratum est. At Reformati hanc vocem refugiunt, eamque suis mensis adscribere nolunt, metuentes, ne quid Pontificiis largiri, vel eis saltem favere viderentur, si mensas quoque suas appellarent altaria. Sed hoc vano metu liberare eos facile posset antiqua Ecclesia, si quidem eam sequi vellent. Nec enim illa quicquam cum Pontificiis commer-

cii habuit (nec dum enim hi nati erant) & tamen altaris vocem menſis ſacris tribuere non dubitavit. Id quod in eâ ne ipſi quidem reprehendere poſſunt Reformati, *Molinæus* de altar.& ſacrif. cap. IX.p.85. *Hoſpin.* de Orig. Templ. lib. VI cap. 86,88. & Hiſtor. Sacram. Part. I. lib. II. cap. I. f. 54. & alii.

X. Quinto, veterum menſæ non tantùm ligneæ & mobiles, ſed etiam lapideæ & fixæ, ſive, ut *Voëtius* loquitur, βωμοειδέες *altariformes* erant, externam altarium referentes figuram, ut ſupra demonſtratum cap. VI. & IX. At ejusmodi ferre non poſſunt Reformati, teſte *Voëtio* Polit. Eccleſ. Part. I. lib. II. Tr. II. ſect. IV. c. IV. qu. IV. p. 792.

XI. Sexto, veterum menſæ interdum erant pretioſâ veſte ornatæ, & plerumque cancellis ſeptæ & ad orientem converſæ, ut ſupra cap. XII, XIII, XVI. oſtenſum. Sed tales improbant Reformati. Vide *Voëtium* l. c.

XII. Septimo, menſæ veterum habebantur ſanctæ, ut ex cap. citato XVI. conſtat. At Calvinianorum menſæ non magis ſanctæ ſunt quàm emunctoria, teſte *Voëtio* Diſpp. Select. part. III. de ſuperſtit. pag. 207. 208. Conf. ejusd. diſp. de Benedict. Conſecrat. & Sacram. eod. Tom. p. 1093, 1094.

XIII.

XIII. Octavo, mensis veterum impositum signum crucis fuit, quod cap. XII. indicatum. Sed quàm displiceat hoc Calvinianis, ex *Voëtii* Disp. de Stavrolatria Tom. III. disp. Select. p. 901 seqq. videre est. Possem adferre & alia, quibus inter se distinguuntur non tantum, sed etiam pugnant veterum & Reformatorum mensæ; sed nec opus nec necesse esse video, cum ex his jam satis constet, Reformatorum mensas parum convenire cum altaribus veterum. Quod probare intenderam.

XIV. Magis vero inter se pugnant ALTARIA veterum & PONTIFICIORUM. Id quod multis argumentis ostendi copiose posset, nisi meliori loco talia reservarem. Nunc tantum sufficiat attigisse summa capita. Primo (1) Pontificiorum altaria sunt propriè ita dicta; at veterum talia non erant. (2) Illa habent victimam per verba consecrationis effectam; hæc non item. (3) Illa non nisi lapidea esse debent; hæc etiam lignea erant. (4) Illa etiam sanctis, hæc soli DEO erecta. (5) Illa sacrificio propriè ita dicto, hæc tantum mysticis destinata. (6) Illa precibus ad DEUM non tantum, sed etiam sanctos missis; hæc commemoratione quidem sanctorum, non vero invocatione personabant. (7) Illa sistunt Eucharistiam adorandam; hæc, tantum reverenter tractandam. (8) Illa reservant pocu-

tum Domini solis sacereotibus: hæc ad Laicos etiam pervenire quasi sinebant. (9) Illa non nisi ab Episcopo consecrantur; hæc etiam à Presbytero. (10) Illa multis superstitiosis cerimoniis consecrantur; hæc non item. (11) Illa intrinsecus putantur sancta; hæc extrinsecus tantum. (12) Illa imposita habent ossa & reliquias sanctorum, idque semper; hæc supposita tantum, nec id tamen semper. (13) Illa perfugium præbent etiam sceleratis; hæc tantum vel innocentibus, vel iis, qui non graviter aut non destinato consilio peccarant. (14) Illa frequentantur à sacerdotibus propriè ita appellatis; hæc à sacerdotibus minus propriè tantum ita dictis. (15) Illa multiplicantur in uno templo; hæc non item initio, sed singula singulis ædibus sufficiebant. Prætermitto alia. Adhuc enim dicendum restat de aris gentilium.

CAPUT XXV.

IDEMQUE ULTIMUM DE ARIS GENTILIUM.

I. Propositum auctoris.
II. Aræ gentilium & altaria Christianorum contraria habent nomina.
III. Al-

III. Altaria gentilium erant propriè ita appellata.
IV. Sacrificia propriè dicta in aris gentilium, à quibus abhorrebant Christiani
V. Aræ Diis sacræ.
VI. Aræ coronatæ.
VII. Aras gentilium intueri Christianis nefas, disturbatæ illæ à Christianis.
VIII. Concluditur liber precibus ad DEUM.

§. I.

DE aris gentilium multa equidem haberem dicere; sed ea vix explicari uno videntur posse capite. Justo opus est volumine. Ad quod conficiendum aliquid mihi otii à meis aliquando occupationibus relictum iri, non despero. Nunc paucis tantum, quæ scriptores Ecclesiastici de de iis tradunt exponam, ea nempe, quibus inter se pugnant aræ gentilium & altaria Christianorum.

II. Hic vero primo statim occurrunt *contraria* prorsus *nomina*. Nam aræ gentilium dicuntur aræ diaboli *Cyprian.* lib. IV. ep II. ad Antonian. f. 79. & serm. de lapf. f. 153. hostiarum busta & rogi pecorum, *eidem* Tr. I. contr. Demetrian. f. 101. putidi rogi pecorum, *Tertull.* Apol. adv. gentes f. 859. temeraria de cespite altaria, ibid. f. 863. At Christianorum altaria non tantum tales apppellationes respuebant, sed etiam planè contrarias habebant. Vocabantur enim *altaria sancta, sacrosancta, divina, altaria Christi*

sti, *DEI*, *mensæ Domini*, *mensæ sanctæ*, *divinæ*, ut supra observatum cap. XVI. est. *Cyprianus* Tr. I. contr. Demetrian. f. 101. altaria DEI diserte rogis pecorum opponit. *Fumant*, inquit, *ubique in templis vestris hostiarum busta & rogi pecorum, & DEI altaria vel nulla sunt, vel occulta.*

III. Deinde aræ gentilium erant altaria *proprie* ita dicta: quia in iis immolabantur sacrificia propriè ita dicta, & quidem cruenta. Quod non tantum ex superioribus appellationibus, sed etiam ex scriptis Patrum & gentilium videre satis superque est. Verum altaria veterum Christianorum ita tantum dicebantur improprie, à sacrificiis mysticis, quæ ibi fiebant, ut ostensum cap. II. & VIII. est.

IV. Hinc existit alia diversitatis ratio, quæ in sacrificiis posita est. Aræ enim gentilium fumabant sacrificiis pecorum & aliis proprie ita appellatis, *Tertullian.* de Idol. f. 734. At Christiani ab ejusmodi prorsus abhorrebant, & sola mystica faciebant. *Justinus Martyr* Apol. II. f. 58. ἀλλ' οὐ δεέσθαι τῆς παρὰ ἀνθρώπων ὑλικῆς προσφορᾶς παρειλήφαμεν τὸν θεόν, αὐτὸν παρέχοντα πάντα ὁρῶντες· ἐκείνους δὲ προσδέχεσθαι αὐτὸν μόνον δεδιδάγμεθα καὶ πεπείσμεθα καὶ πιστεύομεν, τοὺς τὰ προσόντα αὐτῷ ἀγαθὰ μιμουμένους, σωφροσύνην καὶ δικαιοσύνην καὶ φιλανθρωπίαν, καὶ ὅσα οἰκεῖα θεῷ ἐστι, τῷ μηδενὶ ὀνόματι θετῷ καλουμένῳ. *Enimvero neque oblationibus materialibus, quæ ab hominibus præbeantur, DEUM indigere persuasum habemus, ipsum omnia largiri cernentes: illos autem eum obla-*

tionis loco suscipere didicimus ac certo scimus credimusque, qui quæ illi insunt bona, castitatem, justitiam, humanitatem, & quæcunque DEO sunt peculiaria, nullum factitium impositumve habent nomen, æmulantur. Idem posteaf. 60. ἄθεοι μὲν οὖν οὐκ ἐσμὲν, τ̀ δημιουργὸν τοῦδε παντὸς σεβόμενοι, ἀνενδεῆ αἱμάτων καὶ σπονδῶν καὶ θυμιαμάτων, ὡς ἐδιδάχθημεν, λέγοντες, λόγῳ εὐχῆς καὶ εὐχαριστίας ἐφ' οἷς προσφερόμεθα πᾶσιν, ὅση δύναμις αἰνοῦντες, μόνην ἀξίαν αὐτοῦ τιμὴν ταύτην παραλαβόντες, τὸ τὰ ὑπ' ἐκείνου εἰς διατροφὴν γενόμενα, οὐ πυρὶ δαπανᾶν, ἀλλ' ἑαυτοῖς καὶ τοῖς δεομένοις προσφέρειν, ἐκείνῳ δὲ εὐχαρίστους ὄντας, διὰ λόγου πομπὰς καὶ ὕμνους πέμπειν &c. *Atheos quidem & sine DEO nos esse ait, qui conditorem hujus mundi colimus, minime illum sanguine & libationibus & incensis, quemadmodum eruditi sumus, indigere asseverantes: & precationis gratiarumque actionis ratione in oblationibus, quas offerimus, omnibus, quantum facultatis nostræ est, laudamus: solumque hunc honorem eo dignum esse persuasum habemus, ut quæ ab illo ad alimentum sunt creata, non igne consumamus, sed nobis ipsis & indigentibus præbentes offeramus, gratosque nos illi exhibentes rationales pompas & hymnos celebremus atque decantemus.* Conf. ejusd. Dial. cum Tryphon. f. 344. *Athenagoras* Legat. pro Christ. f. 13. Τί δέ μοι ὁλοκαυτώσεων, ὧν μὴ δεῖται ὁ Θεός; καί τοι προσφέρειν δέον ἀναίμακτον θυσίαν καὶ τὴν λογικὴν προσάγειν λατρείαν. *Sed quid ego sacrificia & holocausta curem, quibus non opus habet DEUS? Deposcit ille sibi victimam incruentam & animam rationis compotem sibi offerri ac mi-*

nistrari. Minutius Felix in Octavio pag. 368. *Hostias & victimas Domino offeram, quas in usum mei protulit, ut rejiciam ei suum munus? ingratum est; cum sit litabilis hostia, bonus animus & pura mens, & sincera sententia. Igitur qui innocentiam colit, Domino supplicat: qui justitiam, DEO libat: qui fraudibus abstinet, propitiat DEUM: qui hominem periculo surripit, optimam victimam cædit. Hæc nostra sacrificia, hæc DEI sacra sunt.* Origenes homil. V. super Levit. Tom. I. Oper. f. 65. E. *Quoniam non est nobis nunc secundum literam instaurare sacrificia, requiramus in nobis, quisnam est tantus ac talis, qui sacrificium salutare & sacrificium laudis offerat DEO. Ego illum esse arbitror, qui in omnibus actibus suis facit laudari DEUM, & impletur per eum illud, quod Dominus & Salvator noster dicit: ut videant homines opera vestra bona, & magnificent patrem vestrum, qui in cœlis est. Ille ergo obtulit sacrificium laudis, pro cujus doctrinâ, verbo & moribus & disciplina laudatur & benedicitur DEUS.* Arnobius lib. VI. Disp. adv. gentes p. 239. *Non mactamus hostias, non thura ac vina libamus.* Et postea: *Numquid delubris aut templorum eum constructionibus honoramus? Numquid & hostias cædimus? Numquid alias res damus, quas libare, profundere, non est rationis expensæ, sed tracti per consuetudinem moris?* Vide *Clement. Alexandr.* lib. III. Pædagog. f. 261. lib. VII. Stromat. f. 706, 707, 717, 719, 728. *Lactant.* lib. VI. div. Instit. cap. I. f. 89. c. II. f. 90. c. XXIV. f. 107.

V. Quarto, aræ gentilium ipſorum Diis ſive idolis erectæ. Hinc ara Herculis; cujus mentionem facit *Tertullian.* Apologet. adv. gent. f. 838. *De Decima Herculis nec tertiam partem in aram ejus ponitis.* Ara Fidei apud eundem l. c. f. 860. *Colat alius Deum, alius Jovem, alius ad cœlum ſupplices manus tendat, alius ad aram Fidei* &c. Aræ Contumeliæ & Impudentiæ, de quibus *Clemens Alexandr.* admon. ad gent. f. 16. ἐπιμενίδης ὁ παλαιὸς ὕβρεως καὶ ἀναιδείας ἀθήνησιν ἀναστήσας βωμούς. *Priſcus Epimenides, qui Contumeliæ & Impudentiæ Athenis erexit altaria.* βωμὸς τοῦ ἀπόλλωνος *ara Apollinis* ap. eund. l. c. f. 29. βωμοὶ τοῦ δημητρίου *aræ Demetrii* ibid. f. 36. βωμὸς τοῦ φωσφόρου *ara Luciferæ* ap. eund. l. I. Strom. f. 348. βωμὸς τῶν ἀνέμων *ara Ventorum*, lib. VI. Strom. f. 630. Ara Victoriæ, *Ambroſ.* epiſt. XXXI. ad Valentinian. *Numquid & tunc non erat ara Victoriæ.* Et quis omnes omnium Deorum aras recenſebit? Verum hîc Chriſtiani prorſus in alia omnia ibant. Nam & Deos illos gentilium contemnebant, exſecrabantur, & ſoli DEO rerum omnium conditori erigenda cenſebant altaria. Vide *Auguſtin.* Enarr. Pſal. XCIV. Tom. VIII. f. 1065. & ſerm. VI. in Evang. Matth. T. X. f. 22. & lib. X. & C. D. c. IV. f. 541. & lib. VIII. c. XXVII. f. 492. & lib. XXII. c. X. f. 1355. *Fulgent.* l. II. ad Morinum p. 81.

VI. Quinto aræ gentilium in honorem Deorum coronabantur. *Tertull.* de coronâ milit. f. 454. *Ipſæ denique fores, ipſæ hoſtiæ & aræ,*

ipſi

ipſi miniſtri & ſacerdotes eorum (gentilium) *coronantur.* Sed & has coronas Chriſtiani deteſtabantur, ſolis contenti myſticis, DEO gratis. *Clemens Alexandr.* lib. III. Pædagog. f. 261 πῶς οὖν θύσω τῷ κυρίῳ; θυσία, φησὶν, τῷ κυρίῳ, πνεῦμα συντετριμμένον. πῶς οὖν στέφω, ἢ μύρῳ χρίσω; ἢ τί θυμιάσω τῷ κυρίῳ; ὀσμὴ, φησιν, εὐωδίας τῷ θεῷ καρδία δοξάζουσα τὸν πεπλακότα αὐτήν. ταῦτα στέφη, καὶ θυσίαι, καὶ ἀρώματα, καὶ ἄνθη τοῦ θεοῦ. *Quomodo ergo ſacrificabo Domino? Sacrificium, inquit* (Scriptura) *Domino ſpiritus contritus. Quomodo igitur coronabo, vel ungam unguento, vel Domino quodnam incenſum offeram? Odor, inquit, ſuavitatis DEO eſt cor, quod glorificat eum, qui ipſum fecit. Hæ ſunt coronæ, & ſacrificia, & aromata, & flores DEI*

VII. Sexto, aras gentilium Chriſtiani adeo averſabantur, ut vel intueri eas nefas putarent. Objicit id Celſus Chriſtianis ap. *Origenem* lib. VII. contr. Celſ. Tom. II. oper. edit. Baſil. f. 788. *Non ferunt,* inquit, *templa, aras & ſtatuas inſpicere. Ne Scythæ quidem, & Numidæ, & Seres impii: non aliæ gentes, quæ tam religione carent, quam legibus: idem de Perſis narrat Herodotus. Perſarum, inquit, ritus hos novi: Statuas, aras, templa nec ipſi dedicant, & alios pro ſtultis habent qui hoc faciunt* &c. Cui quidem *Origenes* hunc in modum reſpondet: *Licet Scythæ, Afriq; Numidæ, & impii Seres, aliæque gentes, ut Celſus ait, tam religione carentes quàm legibus, atq; etiam Perſæ, averſentur templa, aras, ſtatuas, non eandem averſandi*

cauſſam

caussam esse illis & nobis. Examinanda sunt enim dogmata, quibus moti statuas & templa abominantur qui hoc faciunt, ut vel laudetur cui constat facti sui ratio, vel temerarius aversator vituperetur. Fieri enim potest, ut diversas super his opiniones habeant. Idque cum postea exemplis abstinentiæ ab adulterio declarasset, hæc tandem subjicit. πρότασιν suam reddens ἀπόδοσιν: *Ita etiam inter abhorrentes à statuarum, templorum, altarium ceremoniis, Scythæ, Numidæ, impiique Seres & Persæ, aliis moventur rationibus, quàm Christiani & Judæi, quibus religio est sic numen colere. Illarum enim gentium nemo ab his alienus est, quod vereatur numen ad viles has ceremonias detrahere, quæ versantur circa aras, & materies effigiatas variis imaginibus, nec quod intelligunt dæmonas devinctos hærere certis locis & statuis, sive incantatos quibusdam magicis carminibus, sive alias incubantes locis semel præoccupatis, ubi lurconum more se oblectant victimarum nidoribus, voluptatem captantes nefariam & vetitam divinis atque naturæ legibus. Cæterum Christiani homines & Judæi sibi temperant ab his propter illud legis: Dominum DEum tuum timebis & ipsi soli servies: item propter illud: Non erunt tibi alieni Dii præter me; & non facies tibi ipsi simulacrum, nec ullam effigiem eorum, quæ in cœlo sunt & in terra sub cœlo, nec eorum quæ in aquis degunt infra terram: non adorabis ea nec servies illis: item propter illud: Dominum DEUM tuum adorabis & illi soli servies: aliaque multa his similia: quæ adeò nos prohibent ab aris & simulacris, ut etiam emori jubeant citius, quàm contaminemus*

mus nostram de DEO fidem talibus impietatibus. Hactenus *Origenes*. Ex hoc more Imperator Constantius aras gentilium intueri noluit. *Ambros.* lib. V. ep. XXXI. ad Valentinian. Tom. III. oper. f. 121. *Constantius augustæ memoriæ nondum sacris initiatus mysteriis, contaminari se putavit, si aram illam videret.* Cumque ita eas aversarentur, factum inde, ut disturbarent etiam & solo æquarent. Sic Constantinus M. aras gentilium Constantinopolitanas evertit, quod de eo memorat *Eusebius* in ejus vita lib. III. f. 143. ἐμπνέων θεοῦ σοφίας, ἣν τῆς ἐπηγορίας τῆς αὐτοῦ πόλιν ἐπώνυμον ἀποφῆναι ἔκρινε, καθαρεύειν εἰδωλολατρείας ἁπάσης ἐδικαίου, ὡς μηδαμοῦ φαίνεσθαι ἐν αὐτῇ τῶν νομιζομένων θεῶν ἀγάλματα ἐν ἱεροῖς θρησκευόμενα, ἀλλ' οὐδὲ βωμοὺς λύθροις αἱμάτων μιαινομένους, οὐ θυσίας ὁλοκαυτουμένας πυρὶ, οὐ δαιμονικὰς ἑορτὰς, οὐδ' ἕτερόν τι τῶν συνήθων τοῖς δεισιδαίμοσιν. *Cum sapientiâ divinâ esset imbutus, civitatẽ, quam sui nominis appellatione donandum statuerat, primum omni idolorum cultu perpurgari debere censuit, ut nusquam in illâ vel statuæ illorum, qui Dii putantur, in templis honoratæ, vel altaria impuri cruoris contagione inquinata, vel hostiæ ignis incendio penitus exustæ absumtæque, vel festa dæmonum nomine celebrata, vel aliud quicquam eorum, quæ apud superstitiosos usurpari soleant, omninò appareret.* Eodem modo ille aras ad quercum Mambre dirui jussit, ut refert *Socrates* Hist. Eccl. lib. I. cap. XVIII. f. 183. μαθὼν ὁ βασιλεὺς, βωμοὺς ὑπὸ τῇ δρυῒ ἱδρύσθαι, καὶ θυσίας ἑλληνικὰς τελεῖσθαι ἐπ' αὐτῷ, μέμφεται μὲν διὰ ἐπιστολῆς Εὐσεβίῳ,

τῷ

τῷ τῆς καισαρείας ἐπισκόπῳ. Κελεύει δὲ τὸν μὲν βωμὸν ἀνατραπῆναι. *Cum certior factus esset, aras apud illam quercum erectas esse, gentilia sacrificia ibi peragi: per literas Eusebium Cæsareæ Episcopum, quod eam rem neglexerat, graviter reprehendit. Jubet igitur aras disturbari.* Scripsit etiam eâ de re ad Macarium & cæteros Palæstinæ Episcopos: quarum literarum exemplum videre est apud *Eusebium* l. c. f. 143. b. conf. *Sozom.* Hist. Eccl. lib. II. cap. IV. f. 22. b. Julianus quidem eas instauravit, teste *Theodorito* Hist. Eccles. lib. III. cap. V. f. 314. b. Sed quid non cadat in ejusmodi hominem, qui omnem pietatem ejuravit? quantum aræ gentilium à mensis sacris Christianorum, tantum & Julianus â Christianis Imperatoribus distabat. Et quod ab hoc instauratum, id â Christianis postea Impp. rursus vastatum atque dirutum est. A Valentiniano quidem etiam petierunt suarum ararum instaurationem gentiles. Sed id ne impetrarent, vehementer obstitit *Ambrosius* lib. V. epist. XXX. Tom. III. Oper. f. 114. Nec alia mens cæterorum Imperatorum fuit. Quare cum isti tanto studio aras gentilium destruxerint; nemo non intelligit, quàm contraria hæc inter se fuerint, judicio Imperatorum Christianorum.

VIII. Sed nolo hæc pluribus persequi. Alium locum, aliud tempus exspecto. Interea hîc ultimam operi manum impono, & tibi, DEUS Optime Maxime, gratias, quas mente possum

ſum concipere maximas, ago, quod tantum mihi conceſſiſti virium, ut orthodoxam altarium tuorum hiſtoriam ex vetuſtatis tenebris eruere, & in lucem proferre potuerim. Te precor, te veneror ſupplex, ut in poſterum etiam me reſpicias, ſtudiaque mea in nominis tui gloriam, Eccleſiæ & juventutis literis addictæ emolumentum dirigas. Inprimis vero tuum inter nos & poſteros noſtros ſervas altare intemeratum atque incorruptum, ad finem usque mundi, ita ut ne inferorum quidem portæ, i.e. omnes vires regni tartarei illud valeant expugnare & perdere, per JESUM CHRISTUM, Filium tuum, Dominum ac Servatorem noſtrum, cui, æque ac Tibi & SPIRITUI S. ſit laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum,

AMEN!

INDEX

INDEX I.

LOCORUM SCRIPTURÆ S.

in hoc libro explicatorum.

Primus numerus indicat Caput, ſecundus minorem ſectionem capitis.

Geneſ. VIII. comma	*20.*	- -	cap.*X.*	th.*2.*
Geneſ. XXII.	*9.*	- -	*II.*	*8.*
Deuter. XII,	*30.*	- -	*XVII,*	*18.*
Deuter. XVIII.	*9.*	- -	*ibid.*	
1. Reg. XIX.	*10.*	- -	*II.*	*8.*
2. Paralip. XIV.	*21.22.*	- -	*II.*	*7.*
Pſalm. XLIV,	*7.*	- -	*XIV.*	*1.*
Matth. V,	*23. 24.*	- -	*II.*	4.
—— *VI,*	*8.32.*	- -	*XVII.*	*18.*
—— *XXIII,*	*2.*	- -	*XIV.*	*1.*
—— ——	*18.19. 20. 25.*	-	*II.*	*5.*
—— ——	*35.*	- -	*II.*	*7.*
Lucæ I,	*11.*	- -	*II.*	*6.*
—— *XI,*	*51.*	- -	*II.*	*7.*
Actor. VI,	*1.*	- -	*XVIII,*	*8. & 15.*
——	*2. 3.*	- -	*XVIII.*	*12.*
——	*6.*	- -	*XVIII.*	*62.*

Actor. XXI. 8. - -	XXVIII. 16. & 17.
Roman. XI, 3. - -	II. 8.
1. *Corinth.* IX. 13. - -	II. 9.
1. *Corinth.* X, 18. - -	II. 11.
Ephes. IV. 17. - -	XVII. 18.
Coloss. I, 20. - -	II. 20.
1. *Thessal.* IV, 5. - -	XVII, 18.
1. *Tim.* III, 2. - -	XVIII. 11.
— — — 12. - -	XVIII. 75.
Hebr. VII. 13. - -	II. 12.
Jacob. II. 21. - -	II. 10.
Apoc. VI, 9. - -	II. 16.
—— VIII. 3. - -	II. 17.
—— XI. 1. - -	II. 13.
—— XIV. 18. - -	II. 14.

INDEX II.

LEGUM, CANONUM, *& aliorum* ANTIQUITATIS TESTIMONIORUM, *in hoc opere illustratorum.*

LEGES.

L. 6. in tantum, §. Sacræ autem res. D. de divis. rer. cap. XVI. thes. 5.

L. 9.

L. 9. Sacra loca. D. eod. — — *ibid.*
L. 9. Nulla. C. de Episc. & Cler. — XVIII. 82.
L. 3. Pateant C. de his qui ad Eccl. conf. - II. 28.
Novell. LXVII. cap. I. — V. 5.
Constitut. Theodos. & Valent. in fine Concil. Ephesin. Oecum. Tertii — XVII. 15.
Caroli M. capitul. Aquisgr. c. 71. — VII. 6. & XVI. 13.

CANONES.

Concilii Agathensis canon XXIX. XI. 5.
— *Ancyrani can. II.* — XVIII. 35.
— — — *can. X.* — XVIII. 76.
— *Carthaginens. IV. can. XIV* - IX. 3. & XXIII. 2.
— *Laodiceni can. XXII.* — XVIII. 73.
— — — *can. XLIV.* — II. 28.
— *Nicæni I. can. XVIII.* — XVIII. 26. & 70.
— — — *can. XIX.* — XVIII. 85.
— *Triburiens. c. IX.* — — XII. 11.
— *Trullan. poster. can. 69.* — II. 28.

TESTIMONIA ANTIQUITATIS.

AMBROSII de Offic. lib. I. cap. 28. f. 51. *Nos aliquando in invidiam incidimus, qui confregerimus vasa mystica, ut Captivos redimeremus* XII. 15.

ATHANASII epist. ad solitariam vitam agentes Tom. I. f. 656. *Subsellia, thronum, mensam (erat enim lignea) - - foràs elata combusserunt,* &c. XIV. 1.

AUGUSTINI Tract.XXVI.in Joh. Tom. IX. f. 230. *Hujus rei ſacramentum - - - in Dominica menſa præparatur & de menſâ Dominica ſumitur.* VI.2.

Ejusdem Tract. LXXXIV. f. 451. *Ad menſam Domini accedimus*, ibid.

Ejusdem Enarr. in Pſalm. 113. Conc. 2. f. 1307. *Nos pleraque inſtrumenta & vaſa ex hujusmodi materia vel metallo habemus.* XII. 15 & 17.

Ejusdem homil. 255. de Temp. Tom. X. f. 1162. *Conſecrationem altaris hodie celebramus* &c. XI. 1.

CHRYSOSTOMI homil. LI. in Matth. f. 455. *Non laboremus ad aurea vaſa offerenda ſolum.* &c. XII. 17.

Ejusdem homil. XIII. in Act. f. 550. *Non propria ſententia faciunt, ſed prius rationem reddunt multitudini. Sic & nunc fieri oportebat.* &c. XVIII, 9.

Ejusdem homil. XVIII. in 2. Corinth. VIII. f. 873. *Et baptiſma unum eſt & menſa una.* XIV. 1.

Ejusdem homil XX. in 2. Corinth. VIII. *Naturâ quidem lapis eſt (* altare*) ſanctum autem efficitur, poſtquam Chriſti corpus excipit.* XI. 16.

CYPRIANI lib. II. epiſt. I. f. 30. *Contra altare unum atque divinum ſacrificia foris falſa offerre.* XIV. 1.

Ejusdem lib. II. epiſt. V. f. 42. *In ordinandis clericis,*

ricis, fratres chariſſimi, ſolemus vos ante conſulere &c. XVIII.9.

Ejusdem lib. III. ep.IX. ad Rogatian.f.59. *Diaconos poſt aſcenſum Domini in cœlos Apoſtoli ſibi conſtituerunt Epiſcopatus ſui & Eccleſiæ miniſtros.* XVIII.58.

DIONYSII Hierarch. Eccleſ. cap.III. p.114. de baptiſmi miniſtro. XVIII.29.

Ejusdem cap. III. p. 133. *Miniſtrorum alii pro clauſis templi foribus adſtant.* XVIII. 48.

Ejusdem cap. III p. 149. *Sacrarum tabularum poſt pacem recitatio deprædicat eos, qui ſanctè vixerunt* &c. XIX. 15.

Ejusdem cap. V. p. 193. de conſecratione Diaconorum. XVIII. 65.

EPIPHANII hæreſ. 79. f. 447. ὅτι διάκονοι ἐν τῇ ἐκκλησιαστικῇ τάξει ἐπιστεύθησαν τι μυστήριον ἐπιτελεῖν, ἀλλὰ μόνον διακονεῖν τὰ ἐπιτελέμενα. XVIII. 29.

Ejusdem in Ancorat. de placentulis Euchariſticis, quas vocat στρογγυλοειδέας. XXIV.8.

EUSEBII Hiſtor. Eccleſ. lib. X. cap.III. f. 107. b. *Illic divinis ac myſticis miniſteriis, ſicut & arcana ſalutaris paſſionis Symbola perfici & adminiſtrari viſebantur.* XI. 16.

Ejusdem Hiſt. Eccl. lib. X. cap. IV. f. 111. *Iſta cancellis ligneis ad verticem usque artificioſâ cælatura fabrefactis circumdedit* &c. XVI. 13.

Ejusdem de vit. Conſt. M. l. II. cap. 45. f 133. a. *Quibuscunque Eccleſiis vel ipſe praees, vel alii Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi* &c. V. 2.

GREGORII NAZIANZENI Orat. XI. de Gorgoniæ acceſſu ad altare. XIV. 1.

GREGORII NYSSENI lib. de Baptiſm. f. 257. *Altare hoc ſanctum, cui adſiſtimus — — — quoniam DEI cultui conſecratum eſt.* XI. 21.

HIERONYMI epiſt. ad Ruſticum Mon. de viv. form. Tom. I. f. 47. *Cum ad perfectam ætatem veneris, ſi tamen vita comes fuerit, & te vel populus vel pontifex civitatis in clerum elegerit* &c. XVIII. 9.

Ejusdem comm. in Amoſ. lib I. cap. III. Tom. VI. f. 84. *Non unum altare quod habet Eccleſia, ſed altaria hæreticorum plurima* &c. XIV. 1.

IRENÆI lib. I. adv. Hæreſ. cap. IX. f. 71. *Pro calice vino mixto fingens ſe gratias agere — — — purpureum & rubicundum apparere facit poculum* &c. XII. 13.

OPTATI MILEVITANI lib. VI. contr. Parmen. p. 163. *altaria radere, removere.* IX. 7.

Ejusdem l. c. *Fregiſtis calices* &c. XII. 12.

Ejusdem l. c. *Calices, quorum ſpecies revocaſtis in maſſas.* XII. 14.

ORIGENIS homil. I. in Levit. f. 54. F. *Non ſolum pro terreſtribus, ſed etiam pro cœleſtibus oblatus eſt hoſtia Jeſus.* II. 20.

Ejusdem homil. III. ſuper Judic. *Invenies interdum etiam in nobis aliquos, qui ad exemplum humilitatis poſiti ſumus & in altaris circulo* &c. II. 32.

OROSII lib. VII. cap. 39. pag. 667. *Vaſa Petri.* XII. 17.

PETRI

PETRI CHRYSOLOGI ſerm. 173. p. 718. *Sive cum dicimus de gradu iſto, ſive cum de ſacerdotali ſede pro temporis ratione tractamus, ut oves bonæ — — — convenite* &c. XIX. 9.

TERTULLIANI lib. de Patient. f. 14. *Nemo convulſus animum in fratrem ſuum , munus apud altare perficiet.* II. 32.

Ejuſdem lib. de Pœnitent. f. 484. *Aris Dei adgeniculari* XVII. 9. & 10.

Ejuſdem lib de Orat. f. 791 *Ne prius aſcendamus ad DEI altare* &c. II. 32.

Ejuſdem l. c. f. 789. *Nonne ſolemnior erit ſtatio tua, ſi & ad aram DEI ſteteris?* &c. II. 32.

THEODORITI Hiſt. Eccl. lib. I. c. 31. f. 295. Διεκοσμεῖτο δὲ καὶ τὸ θεῖον θυσιαστήριον βασιλικοῖς παραπετάσμασι καὶ κειμηλίοις &c. XII. 5.

VICTORIS UTICENS. Perſecut. Afric. lib. I. Tom. I. Orthod. f. 804. *De palliis altaris camiſias ſibi & femoralia faciebant.* XII. 7.

IN-

INDEX III.

VERBORUM ET RERUM MEMORABILIUM.

Primo numero iterum ſignatur Caput, altero ſectio minor capitis.

A.

ABel an habuerit altare X. 2.

Abrahami altare an fuerit idem illud, quo Adam & Noah uſi ſunt *II* 10.

Abſtinentia à cibo & ſomno apud altare XV*I*. 17.

Abuſus altarium in temerariâ eorundem exſtructione XX*III*. 2. in nudatione vindictæ cauſſâ. 3. in lugubris veſtis applicatione, ibid. in oblatione caſei 4 in invocatione Sanctorum. 5. in Miſſæ ſacrificio 6.

Abuſus ἀσυλίας XV*II*. 35.

Abyſſini unum tantum altare in ſingulis templis habent X*IV*. 2.

Accuſatores temerarii excommunicati XX. 2.

Adgeniculari charis DEI, quid ſit Tertulliano XV*I*. 10.

Aditus ad altare pœnitentibus non permiſſus XV*I*. 10. & XX. 4 vide *Altare*.

Adulteri excommunicati XX. 2. iis ἀσυλίας beneficium negatum XV*II* 7.

Ætas Presbyterorum & Diaconorum ordinandorum XV*III*. 64. Diaconiſſarum 82

Æthiopes unum tantum in una æde habent altare X*IV*. 2.

Africana Concilia vide *Concilia*.

Agro pro æde ſacra Chriſtiani interdum uſi X*III*. 1.

Alba, Diaconorum, Hypodiaconorum & Lectorum veſtis, XV*III*. 73.

Alexander Alex. Epiſc. ſupplex ad altare confugit & ſub eo jacuit V*II*. 6. & XV*II*. 8.

Allegoriæ illatæ *II*. 5.

Alta-

Altare etiam dictum Altar I. 1. & altarium 2. sed minus Latinè, ibid. vocis etymon an sit ab ardore 3. an ab alendo 4. an quasi alta ara 5. ab altitudine simpliciter appellatur 6. ratio notationis ibid. multiplex vocis potestas observanda *II*. 1. notiones vel Biblicæ vel Ecclesiasticæ sunt 2 in N. T quot modis vox altaris usurpetur 3. propriè quid significet in N. T. ibid. cur Christus ista voce usus 4. metonymice pro cultu usurpata & pro sacerdotio 12. & de doctrina vera 13 & de atrio interiori mystico 14. metaphoricè de Christo 16. & intercessione ejus sacerdotali 17. de cruce Christi propriè usurpata à Patribus 19. altare cœleste generatim describitur à Patribus 20. speciatim de sublimitate divinitatis & de Christo exponitur 21. altare mysticum fidei 22. cordis, animæ, mentis 23. corporis hominis pii 24. Ecclesia, populus Dei, fideles, pauperes, misericordes, altaria mystica 25. item cultus divinus, religio & doctrina Christiana 26. altaris vox & de loco usurpata ubi sacra reposita mensa 28. & de sacris mensis 29. seqq. rationes hujus appellationis 40. seqq. Græcè ferè θυσιαστήριον dictum, rarissimè βωμὸς *III*. 1. Latinis etiam ara 2. altare & aram quomodo distinxerint Patres nonnulli 2. item mensa 3. vocum altaris & mensæ usus promiscuus 4

Altaria Christianos habere convenit X*I*. 20. altaris definitio falsa *IV*. 2. vera 3. ejusque explicatio 4. genus 5. differentia 8.

Altarium caussæ efficientes f. conditores V. 1. seqq. np. Episcopi V. 2 Principes 6. eorumque ministri 7. & patres familias 8. quibus rebus moti & impulsi fuerint ad ædificanda altaria 10.

Altarium Materia VI. 1. altaria lignea. ibid. talia veteribus fuisse, male à quibusdam probatur 2. ligneum Petri 3. quid de eo sentiendum sit. 4. altaria lapidea 5. primo libera, deinde necessaria facta apud quosdam 6. ratio cur lapidea esse debeant 7. altaria aurea 8. quid fuerint 8. argentea 9.

Altarium Forma VII. 1. summa superficies plana 2. quad-

quadrangula 3. alta 4. lapidum moli imposita 5. subtus cava 6. eorum columnæ 7. inscriptiones 8.

Altarium Finis Cui, solus DEus VIII. 1. Cujus primarius respectu DEi ejus gloria 2. quæ sita in sacrificiis mysticis 4. respectu hominum intermedius, oblationes 10. ultimus S. cœnæ celebratio 11. quomodo id intelligendum 13. fines secundarii, consecrationes variarum rerum 14.

Altarium divisio in fixa & mobilia IX. 1. vide *Fixa* & *Mobilia*.

Altarium Adjuncta X. 1. Origo 2. altare primum quodnam fuerit, ibid. vid. *Origo*. eorundem Consecratio, vid. *Consecratio*. Profanatio, vid. *Profanatio*. Unctio, vid. *Unctio*. Ornatus, vid. *Ornatus*. Loca, IV. 8. vid. *Loca*. Numerus XIV. 1. sqq. vid. *Numerus*. *Sanctitas*, *Honor*. vide suis locis. Altaria sanctorum ossibus aut reliquiis superimposita XV 2. eorum honorifica epitheta XVI. 1. & 2. & 7 asylia XVII 1. ab Eutropio altaribus ademta 34. vid. *Asylia*. Ministri, vid. *Diaconi*. Res ad altaria gestæ, ut consecratio Eucharistiæ XIX. 2. ejusdemque dispensatio 3. oblationes 4. preces 5. cantiones 7. consecratio variarum rerum 8. conciones 9. recitatio nominum vivorum & mortuorum 10. Altare non patebat iis qui indigni erant S. cœnâ XX, 1. nec excommunicatis 2. ibid. nec Catechumenis 3. nec pœnitentibus 4. nec laïcis apud Græcos, nisi Imperatori 5. an semper ei patuerit 5. quando apud Latinos id ei patuerit 6. nec mulieribus 5. quæ tamen olim admissæ ibid. oblationum tempore laici admissi 6. non tamen, semper 7. tandem omnes promiscuè admissi 8. sanitati restituti cum Episcopo ibant ad altare & offerebant 6.

Altarium Cognata XXI. 1. tumuli sanctorum pro altaribus ibid. item manus Diaconorum 2. item *ἀντιμίνσια* 3. vide *Αντιμίνσια*.

Altarium Dissentanea XXII. 1. violatio 2 vid. *Violatio*. abusus altarium XXIII. 1. altaria hæreticorum XXIV. 1. aræ gentilium XXV. 1. vide suis locis.

Altaria pontificiorum pugnan

nant cum altaribus veterum XXIV. 14. vid. Pontificii. Altare holocaustorum ubi situm fuerit II. 7. Altaris Hebræorum figura VII. 3. consecratio XI. 31. Altare contra altare erigere, de quibus olim dictum fuerit II. 26. Altari carere, atheorum fuit habitum II. 44. 43. seqq. altare asylum II. 16. VII. 6. vide *Asylum*, altare majus Pontificum Romanorum VI. 4. altaria Africana per agros & vias temere excitata improbantur XXIII. 2.

Altitudo altarium VII. 4.

Ambonis locus in templo XIII. 3.

Ambrosius sub altari, quo supplex confugerat, jacuit VII. 6.

Amen respondebat Diaconus XVIII 43 & populus, finitis precibus XIX. 5.

Anima altare mysticum II. 23. animi sordes aquâ ablui gentiles credebant XVII. 16. animarum migrationem ex uno corpore in aliud, docuere Carpocratiani XXIV. 2.

Ἀντιμίνσια quid fuerint XXI. 4. vocis Scriptio 3. & etymon, ibid. ubi iis opus fuerit 5. mos consecrandi ea 6.

Apostoli an consecrarint altaria XI. 4. eorum habitus XVIII. 72. calices XII. 10. diaconi dicti XVIII. 3. & 4. ibid. constituerunt primos diaconos 8. an Diaconi primi fuerint eorum ministri 58.

Aqua etiam oblata à Christianis XVIII. 25. fusa in manus Episcopis & Presbyteris à diaconis 19. ejus usus in sacris gentilium XVII. 16. valere credebatur ad tollenda scelera & sordes animi, ibid.

Ara Apollinis, Contumeliæ, Demetrii, Fidei, Herculis, Impudentiæ, Luciferæ, Ventorum, Victoriæ XXV. 5. aræ Carpocratianorum Catholicis contrariæ XXIV 2. gentilium XXV. 1. quâ figurâ fuerint II. 19. quadrangulæ VII. 3. ethnicæ religionis fulcrum II. 44. aræ vox de altaribus Christianorum usurpata III. 2. sæpissimè de gentilium, ibid. stricte de supremâ tantum parte altaris, ibid. ad aram DEi stare, quid sit Tertulliano II. 32.

Archidiaconus quis XVIII. 60. legebat in Ecclesia S. Scripturam 30.

Ar-

Architecti altarium Christianorum V. 1.
Argentea altaria VI. 9. calices XII. 15.
Ariani homicidiis contaminarunt altaria XI. 33.
Arma supplicibus apud altare deponenda XVI. 15. deponebant etiam ipsi imperatores, ibid.
Armeniorum aræ & propriè ita dictæ & rogi pecorum XXIV. 3. eorum errores, ibid.
Artotyritæ obtulerunt caseum ad altare, quod improbatur XXIII. 4.
ἀσφάλεια. effectum ἀσυλίας XVII. 26.
Asylia. Asylum. vocis etymon XVII. 1. significatio 2. Synonyma 3. asylia altarium demonstratur 4. ejus definitio 5. caussæ efficientes, magistratus & Episcopi 6. Objectum seu materia, supplices 7. & 8. forma, vis obligandi 10. quinam & quomodo obligati illis legibus fuerint, ibid. finis absolute ultimus 11. in certo genere ultimus 12. intermedius ex parte altarium 13. ex parte supplicum 14. Adjuncta 15. origo à gentilibus non est arcessenda, ibid. respondetur ad argumentum in contrarium allatum ex Constitut Theodos. & Valent. 15 respondetur ad loca Scripturæ 18. origo vera à Judæis 19. moralitas 22. effecta 26. cognata 27. Opposita 30. seqq. violatio ibid privatio 34. abusus 35. asyli jus honorem attulit altaribus XVI. 18. asyla Hebræorum quid significarint typicè XVII. 20 quomodo convenerint cum asylis Christianorum 27.
Athanasius diaconus constituitur XVIII 9.
Athei quinam olim haberentur II. 44. iis etiam annumerati Christiani fuere, ibid.
Attendamus, vox solemnis XVIII. 40.
Auditorum in Ecclesia veteri negligentia XVIII 40.
Aurea altaria VI. 8. calices XII. 15.

B.

B*Aptismi* vim pendere ex ministri probitate, eumque iterandum in Catholicis esse, docuere Donatistæ XXIV. 5. ejus ministri Diaconi XVIII. 27 & 29. seqq. & Presbyteri, sed utrique de sententia Episcopi,

ſcopi, ibid. Epiſcopi per ſe baptizabant, ibid, ſeqq.

Baptiſterium non patebat Catechumenis XX. 3.

Baptizandi diſcingebantur & exuebantur à Diacono XVIII. 28. Baptizati ſtatim Euchariſtiæ participes facti VIII. 11. uncti oleo ſeu Chriſmate 14.

Baronii error de calicis Chriſti materiâ & formâ XII 9.

Bedæ credulitas XII. 9.

Bellarminus refutatur XVIII. 26.

Benedic Domine, formula ſolemnis XVIII. 42.

Bieiis notatur error cùm in exponendo etymo altaris I. 3. tum in etymi veri ratione I. 6.

βωμȣ̃ vox an de altaribus Chriſtianornm uſurpata ſit? III. 1.

Bona Cardinalis notatur XII. 11. & 14. XVIII. 26. XIX. 14. & 15.

Bona Eccleſiaſtica adminiſtrata à Diaconis Apoſtolicis XVIII. 12. & Eccleſiaſticis 55.

Bonifacii apophthegma explicatur XII. 11.

C.

C*Aini* altare X. 2.

Calix Chriſti quâ formâ fuerit & ex quâ materia XII. 9. non phyſicè, ſed myſticè pretioſus, ibid. calices Apoſtolorum 10. Calices lignei 11. vitrei 13 infirma de eorum uſu argumenta 12. maſſati, ibid. fracti, ibid per miraculum inſtaurati 13. metallici viliores 14. aurei & argentei 15 jam ante Conſtantinum M. ibid, calicum figura 16. & picturæ ibid. & 12. Calicem in menſâ ponere, Diaconorum XVIII. 23. & eum Epiſcopo tradere 24. & diſpenſare 25.

Calviniani. vid. *Reformati*.

Campanæ vice quid fuerit tempore perſecutionum XVIII. 54.

Cancelli altaris XVI. 13. eorum cauſſa efficiens, finis, materia, forma, nomina, ibid.

Candelabra in altari XII. 18.

Canones Conciliorum de jure aſylias XVII. 6. quæ vis obligandi iis inſit 6. de Conjugio Clericorum XVIII. 76.

Canonizatio mortuorum veteribus ignota XIX. 15.

Cantiones apud altare XIX. 7. imperatæ à Diacono XVIII. 45. ipſe etiam canebat 56. cantoribus orario interdictum 73. plura vide in voce *Hymni*.

Capitale supplicium violatorum ἀσυλίας XVII. 33. & Diaconorum facinorosorum XVIII 87.

Captivos visitare, Diaconorum erat XVIII. 33. & Diaconissarum 80.

Carcer pro æde sacraChristianis interdum fuit XIII. 1.

Carpocratianorum aræ XXIV. 2. Catholicorum mensis multum dissimiles ibid. idololatricæ, ibid propriè ita dictæ, ibid. sacræ Deo facto, ibid. eorum errores, ibid. & seq.

Cafens ad altare oblatus ab Artotyritis, quod improbatur XXIII. 4.

Catechumeni, quum celebranda erat S. cœna, emissi XVIII. 47. & quidem à Diaconis, ibid. quibus verbis 47. ab altari exclusi XX. 3. item à baptisterio, ibid.

Catholici Donatistis sordidi videbantur XXIV. 5. ab iisdem cædebantur. ibid. eorum altaria quantum distent ab aris Carpocratianorum 2. Armeniorum 3. Ophitarum 4. Donatistarum 5. & mensis Reformatorum 6.

Cavitas altarium VII. 6.

Cerei accensi de die sub lectionem Evangelii in signum lætitiæ XII. 18. extincti vindictæ caussâ, quod improbatur XXIII 3.

Charis Dei adgeniculari quid sit Tertulliano XVI. 10.

Chartophylax ejusque munus XVIII. 60.

χειροτονέω quid significet XVIII. 9.

Chemnitius Mart. defenditur adversus Bellarminum & mendacio liberatur XI 23.

Chorepiscopis interdictum ordinatione XVIII. 10.

Chorus templi XIII. 3. quibus patuerit 3. situs in medio, ib. quid in eo fuerit, ib.

Chrisma petebatur ab Episcopo per Diaconum ante festum Paschatos XVIII. 53. ejus consecratio VIII. 14. XIX. 8. eo uncti baptizati ibid. & altare XI. 17.

Christiani ab Ethnicis vocati athei II 44. abhorrent à sacrificiis propriè ita dictis XXV 4. intueri aras gentilium nefas putabant. 7. osculabantur se inter sese XVIII. 49. eorum & gentilium diversa ratio in condendis hominibus, sub altari XV. 4. diversa eorum altaria XXV. 2.

Christus dicitur altare II. 16. 11. 21. ejus it. intercessio sacerdotalis 17. & crux 19. ejus cor-

corpus dicitur ſacrificium 42. dicitur immolari nobis & populis ibid. præſens eſt in S. cœnâ xxiv. 6. & ore corporis editur 7. aſſumſiſſe carnem ſine animâ fingitur ab Armeniis xxiv. 3. Carpocratiani docuere, eum natum ex mare & femina adeoque merum fuiſſe hominem, ejusque animam ſolam in cœlum perveniſſe 2. ejus unctio adumbrata in V.T. xi.17. ejus habitus xviii.72. & Calix xii 9. mortis ejus recordatio, vid. *Recordatio.*

Chryſoſtomi defuncti nomen quidam Epiſcopi diptychis inſcribere recuſabant. Unde altercationes ortæ xix. 16.

Cibus quomodo & cur conſecretur xi. 21. eum ad altare capere, non licitum xvi, 17.

Clamor Diaconi in Eccleſiâ xviii. 36.

Clerici vagi, ebrii ad 30. dies, matutinos hymnos negligentes, augures, fœneratores, negotia Eccleſiaſtica ad ſeculare judicium perferentes, ad militiam & ad laicos ſe conferentes, excommunicati ſunt xx, 2. quinam non potuerint fieri clerici xviii, 11. eorum veſtes 73. conjugiū 76. vide *Conjugiū* tutores fieri non debebant xix 13 clericum qui ad civilia negotia avocarat, ejus nomen poſt mortem non recitabatur ad altare ibid. clericum eligendum & ordinandum qualem eſſe oportuerit xviii, 11.

Cæleſte altare apud Patres II, 20. quid intelligatur per illud 21.

Cæmeteria ſacris Chriſtianorum conventibus deſtinata xiii, 1. & 2. xv, 1.

Cæna Domini celebrandæ gratia altaria erecta viii, 11. quomodo hic finis altarium ultimus dici poſſit 13. fines S. cœnæ, ibid, ejus nomina Græca xi, 16. cur & à quo dicatur Sacramentum altaris viii, 12, celebrata in altaris dedicatione xi, 16. celebrata ſuper tumulis ſanctorum xv, 2. ad eam fideles vocati à Diacono xviii, 50. vid. *Eucharistia.*

Columnæ altarium vii, 7. quot fuerint. ibid. ſeq.

Concilia Africana Latinè non Græcè ſcripta ix, 3. œcumenicorum nomina Diptychis inſcripta xix, 16.

Concilii

Concilii Nicæni I. de conjugio Clericorum sententia xviii. 76. Constantinopolitani Trullani posterioris sententia de eodem contra Romanam Ecclesiam 76. Nicæni II. error de electione ministrorum xviii. 9 in conciliis quæ partes Diaconorum fuerint 52.

Conciones Patrum lectæ in Ecclesia a Diaconis xviii, 31. habebantur ab iisdem 32. apud altare habitæ xix, 9.

Conjugium Apostolicorum Diaconorum xviii. 75. nec Ecclesiasticis eo prorsus interdictum 76. an concessioni Episcoporum tribuendum, quod Diacono licuerit ducere uxorem 76 cur Diacono vitam cœlibem professo olim non licuerit inire conjugium ib. Paphnutius conjugii Clericorum defensor, ibid. Constantinopolitanæ Ecclesiæ argumenta pro conjugio clericorum contra Romanam 76. conjugium Episcoporum 77. Presbyterorum, ibid. Diaconissis eo interdictum 83.

Consecrare quid sit xi, 12.

Consecratio altaris duobus modis intelligitur xi, 1. ejus definitio 2. an sit à Deo præcepta, ibid. causa Efficiens, Episcopi & Presbyteri 4. an Apostoli etiam, ibid. an etiam posteriorum seculorum Presbyteri 5. postea Presbyteris hæc potestas ademta 6. consecrata altaria lignea 8. lapidea 9. & metallica 10. deinde lapidea tantum 11. consecrationis forma in quo consistat 12. & 14. consecrata primo eorum usu 14. nempe precibus & hymnis 15. una cum templo 15 & 26. item celebratione Eucharistiæ 16. mos consecrandi altaria viii. & ix. Sec. 18. oblationes additæ, ibid. postea ceremoniæ auctæ 19. Finis consecrationis 20 veteris Ecclesiæ de eo sententia 21. consecrationis Adjuncta 22. Origo 23. an Apostolos habeat auctores, ibid. quis Pontificum auctor ejus sit 23. usus ejus licitus 24. indifferens 25. solemnitas 26. quæ primis seculis non extitit ibid. sed tempore Constantini M. cœpit, ibid. ejus modus 26. anniversaria ejus memoria 27. una cum templi culta dedicatione 27. concionibus & celebratione S. cœnæ 28. cum

cum magno gaudio, ibid. consecrationis effectus, sanctitas externa 29. ejus Oppositum, Profanatio. Vide suo loco.

Consecratio altarium tabernaculi, labri, templi Salomonis, mœnium Hierosolymitanorum simulacri Nebucadnezaris XI, 12. ἀντιμινσίων XXI, 6. Chrismatis XIX, 8. ad altare facta VIII, 14. ciborum cur fiat XI, 21. Diaconorum, vid. *Ordinatio*, domus XI. 12. Episcoporum & Presbyterorum apud altare VIII, 14. Eucharistiæ etiam à Diaconis facta XVIII, 26. ad altare XIX, 2. Ministrorum Ecclesiæ 8. Patinæ XI, 12. Pontis, ibid, Templi 12. Theatri, ibid. vasorum sacrorum 13. & XII, 15. virginum VIII, 14. & XIX. 8.

Constantinus M. non est primus auctor aureæ argenteæque supellectilis in Ecclesia XII, 15. pretiosa vasa Ecclesiis donavit 15. disturbavit aras & templa gentilium XXV, 7.

Constantius Imp. aras gentilium intueri noluit XXV, 7.

Constitutionum Apostolicarum quæ sit auctoritas XVIII, 29.

Conventuum sacrorū tempore persecutionum loca XIII, 1. eorundem eodem tempore signa XVIII, 54.

Cordis altare mysticum II, 23.

Corona Eucharisticæ qui XXIV, 8.

Corpus hominis pii altare appellatur II, 24.

Creatæ res, per eas nec jurare nec pejerare fas est II, 5.

Crux altaris XII, 6. Christi dicitur altare II, 19. & & quidem proprie, ibid. crucem esse baptizandam, Armeniorum error XXIV, 3 ejus signo signati Diaconi, cū ordinarentur XVIII, 65.

Crypta altarium VII, 6.

Cultus dicitur altare II, 11, & 26. in excelsis à piis DEO tempore necessitatis exhibitus an ab ipso probatus fuerit? 8.

Cypriani loca, quibus mensam Domini appellat altare II, 32.

D.

DEdicare quid sit XI, 13.

Dedicatio altaris, vid. *Consecratio altaris*.

Dedicatio templi, vid. *Consecratio & templum*.

DEO soli altaria erigenda VIII, 1. & soli sacrificia offerenda, ibid. eum esse caussam mundi & legis Mosaicæ negarunt Carpocratiani XXIV, 2.

Deportatio, pœna violatorum *ἀσυλίας* altarium XVII, 32.

Depositio, vid. *Officii abrogatio*.

Desertum pro æde sacra Christianis fuit interdum XIII, 1.

Δευτερεύων τῶν διακόνων quis fuerit, quæque ejus partes XVIII, 60.

Diaconissæ Apostolicæ XVIII, 79. Ecclesiasticæ earumque ministerium 80. ordinatio ubi adhibita fuerit, ejusque ritus & duratio 81. ætas 82. conjugium 83. habitatio 84. dignitas 85. numerus 86. an laicis fuerint annumeratæ? 85. non tractabant flabellum, nec ministrabant in Liturgiis XVIII, 22.

Diaconus, vocis etymon XVIII, 2. laxior significatio 4 Synonyma, np. minister altaris 1. & Levita 5. Definitio 6. duo eorum genera, Apostolicum & Ecclesiasticum 7. Apostolicorum caussa Efficiens, Apostoli 8. multitudo item & qua ratione, ibid. occasio constituendi eos, ibid quis constituerit Ecclesiasticos 9. plebs quoque consulta, ib. licet non semper, ib. & seq. consecrati à solis Episcopis 10. & quidem ab uno tantum, ibid. *διακονίας* subjectum 11. quales Apostolici & Ecclesiastici esse debuerint. ib. hi literati esse debuerint ib. Apostolicorum munus, ministrare mensis 12. an profanis tantum mensis ministrarint 13. sacris etiam ministrasse ostenditur 14. refutatur argumentum in contrarium allatum 15. respondetur ad alterum Voëtii 16. ejusdem exceptio diluitur 17. Ecclesiasticorum Diaconorum munia, 18. seqq. Episcopis & Presbyteris aderant in S. cœnæ celebratione 18. aquam iis in manus fundebant 19. recitabant nomina & munera offerentium 20. item mortuorum è Diptychis XIX, 16. oblationes accipiebant & altare ferebant XVIII, 21. flabello muscas abigebant 22. calicem & panem in S. mensâ ponebant 23. calicem Episcopo vel Presbytero tradebant 24. Eucharistiam dispensabant 25. quod tamen postea prohibiti sunt facere præsentibus Presbyteris 25. interdum etiam consecrabant 26 sed non præsente Episcopo aut presbytero, ibid. ministrabant in bapt

baptiſmo ſacerdotibus 27; baptizandos diſcingebant & exuebant 28. baptizabant etiam nonnunquam 29. ſed de ſententia Epiſcopi, ibid. prælegebant populo Evangelium 30. & patrum homilias 31. concionabantur 32. captivos viſitabant, inſtruebant, conſolabantur 33 pœnitentes reconciliabant 34. moderabantur ſacrarum actionum ritus 35. & quidem vel voce 36. vel ſublatione manus 37. vel Orario 38. vel nutu 39. imperabant ſilentiū idq; auctoritate Eccleſiæ 40. imperabant preces populo 41 ſacerdotē de precibus monebant 42. eidem reſpondebant 43 preces recitabant in Eccleſia 44. imperabant cantiones 45. & flexionem genuum 46. emittebant Catechumenos energumenos & pœnitentes 47. quibus verbis 47. jubebant fores claudi, & ipſi cuſtodiebant 48. oſculum indicebant ſanctum 49. vocabant fideles ad S. Euchariſtiam 50. eosdem dimittebant 51. in conciliis quæ egerint 52. petebant Chriſma ab Epiſcopo 53. de loco & tempore ſacrorum conventuum fideles certiores faciebant 54. adminiſtrabant bona eccleſiaſtica 55. portabant altare IX, 6. pſallebant XVIII. 56. crucem ferebant, pacem annunciabant, ibid. Diaconorum Forma 57. Finis cui & cujus 58. primi Eccleſiæ potius quam Apoſtolorum miniſtri fuerunt, ibid. Eccleſiaſtici, Epiſcoporum potius quam Eccleſiæ miniſtri 59. Diaconorum poſterioribus ſeculis diviſio in majores & minores 60. Majorum numerus, nomina, munia, ib. Primus inter minores quis fuerit ejusque munus ib. Diaconorum adjuncta 61. Ordinatio Apoſtolicorum 62. Eccleſiaſticorū 63. v. *Ordinatio*. Dignitas primorum 69. & Eccleſiaſticorum 70. qui cæteris miniſtris fuere ſuperiores, ib. & pro ſacerdotibus habiti, ibid. Reverendi vocati, ibid. ſine iis Epiſcopus eſſe non potuit, ibid. eorum inſolentia compreſſa, ibid. ſedere iis coram presbyteris non licuit, ibid. & ſeq. honorare debent Presbyteros, ibid. Immunitas eorum 71. veſtitus primorum

rum 72. Ecclesiasticorum vestes peculiares 73. eorum vestis Alba in Conciliis 52. luxu vestium iis interdictum 73. vid. *Vestitus*. Numerus 74. Conjugium Apostolicorum 75. & Ecclesiasticorum 76. Diaconi mariti 77. vide *Conjugium*. Diaconorum cognata, Levitæ V. T. 78. & Diaconissæ 79. Opposita, pœnæ 87. quinam excommunicati xx, 2. eorum manus pro altaribus xxi, 2. consecratio ad altare facta viii, 14.

Diadema Impp. deponebant ad altare accessuri xvi, 15.

Digami an potuerint fieri clerici xviii, 11. digamiæ tria genera, ibid. digami exclusi ab altari xx, 2.

Diptycha quid fuerint xix, 14. duo eorum genera, ib. an tertium recte addatur ib. Diptycha vivorum & mortuorum, ibid. utraque bipartita, altera parte Clericorum, altera laicorum nomina continentia, ibid. Diptycha Episcoporum à Diptychis laicorum distincta 14. ad canonizationem nihil faciunt 15. iis non inscribi vel expungi ignominiosum 16. Conciliorum œcumenicorum nomina iis inscripta 16. mortuorum nomina iis de sententia Episcopi inscripta, ibid.

Diversorium publicum, Christianorum templum xiii, 1.

Divortium qui fecerant temerè, excommunicati xx, 2.

Doctrina altare II, 13. & 26.

Domini permittentes idololatriam, excommunicati xx, 2.

Domus consecratio xi, 12. privatæ, Christianorum templa xiii, 1.

Donatistæ violarunt Catholicorum altaria vel ex toto vel ex parte xxii, 3. eorum crudelitas xxiv, 5. apud altaria xi, 33. eorum errores xxiv, 5. altaria quantum distent à Catholicorum mensis, ibid.

E.

EBrii clerici excommunicati xx, 2.

Ecclesia, altare mysticum II. 25 eam non nisi in eâ parte Africæ esse, quam Donatus tenebat, nec malos ei admixtos, docuere Donatistæ xxiv, 5. ejus libertas in ædificatione altarium x, 7. in situ altarium &

& templorum XIII,9. ejus ministri, Diaconi XVIII. 58. & 59.

Efficiens caussa altarium V, 1. Consecrationis altarium XI,4. ἀσυλίας XVII, 6. Diaconorum XVIII, 8. vide suis locis.

Electio ministrorum ad plebem etiam pertinet XVIII, 8.& 9.

Energumeni non potuerunt fieri clerici XVIII, 11. emissi à Diacono quum celebranda erat S. cœna 47.

Ephraimi Diaconi eloquentia XVIII,32.

Epiphanes pro DEO cultus XXIV, 2.

Episcopi iidem qui Presbyteri, jure divino XI. 4. initio etiam iidem fuere XVIII, 70. sine Diacono esse non potuerunt, ibid. appellarunt Presbyteros & diaconos suos Sympresbyteros & Syndiaconos ibid. curabant exstrui altaria V, 2. interdum suis sumtibus exstruebant 3. consulti in ædificatione altarium 4. habebant potestatem mandandi præfectis in ædificatione templorum 2. sine eorum consensu non erigendum altare 5. quid moverit eos 11. consecrati ad altare VIII, 14. consecrarunt & ipsi altare XI. 4. nec tamen quivis quodvis 7. sub altaribus sepulti XV.3. ἀσυλίαν altaribus tribuebant XVII, 6. dicti Diaconi XVIII, 4. Constituerunt Diaconos 9. soli ordinarunt 10. idque gratis 63. Digami 11. sibi vendicant jus baptizandi 29. potestas consecrandi Eucharistiam quomodo iis solis tribuatur 26. quando legerint S. Scripturam in Ecclesia 30. distribuebant Chrisma per Ecclesias 53. annunciabant pacem 56. eorum ministri Diaconi 59. eorum ὠμοφόριον 73. Episcopi mariti 77. apud altare canebant XIX,7. qui hæredes extraneos aut consanguineos hæreticos, aut paganos Ecclesiæ prætulerant, eorum nomina post mortem ad altare non recitata 13. eorum nomina Diptychis inscripta & quibus 14. & recitata non tantum in eâ ecclesia, cui præerant, sed etiam in aliis 14. eorum de nomine Joh. Chrysostomi in sacra Diptycha referendo altercationes 16. seq eorum auctoritas necessaria ad no-

men alicujus Diptychis inſcribendum 16.

Epitheta altaris honorifica xvi, 1 & 2. & 7.

Eruditio in Diacono requiſita xviii, 11.

Ethnici non exſtruebant altaria Chriſtianorum v, 6 vaſtabant eorum templa & altaria xxii, 4. habebant aras quadrangulas vii. 3. quæ erant proprie ita dictæ xxv, 3. fumabant ſacrificiis 4. idolis erectæ 5. diſturbatæ à Chriſtianis 7. quarum inſtaurationem fruſtra petunt à Valentiniano 7. nomina eorum aris & Chriſtianorum menſis contraria 2. eas intueri Chriſtianis nefas 7. habuerunt ſepulcra ſub aris xv, 4. in aris & ſacrificiis omnis ferè iis poſita religio II, 44. eorum cædes ad altaria xi, 33. ad eos non referenda origo ἀσυλίας Chriſtianorum xvii, 15. nec illa ſtatim cerimonia, quam Chriſtiani poſt eos uſurparunt 16. habuerunt imaginem baptiſmi, ibid. eorum inſtituta non omnia ſimpliciter improbanda 17. quomodo prohibeamur eos imitari 18.

Etymologiæ ineptæ Pontificiorum 13.

Evangeliſtæ quinam vocati xviii, 16. eorum multitudo 16.

Evangelium quum legendum erat, cerei accenſi xii, 18. legebatur à Diacono xviii 30.

Euchariſtia veterum præſens habebat corpus & ſanguinem Chriſti xxiv, 6. conſtabat re terrenâ & cœleſti 7. cum eâ ſumebatur ore corpus & ſanguis Chriſti, ibid. etiam in placentulis ſeu hoſtiolis, 8. ad altare accipiebatur à fidelibus viii, 11. ſtatim poſt baptiſmum, ibid. & quidem manu 11. diſpenſata ad altare, ſed non ſemper xix, 3. à Diaconis xviii, 25. & conſecrata interdum ab iiſdem 26. vid. *Cœna Domini.*

Eulogia quid & unde diſpenſatæ xviii, 15.

Eunuchi non potuerunt fieri clerici xviii, 11. quidam tamen admiſſi, ibid.

Eutropius ſub altari, quo ſupplex confugerat, jacet vii. 6. privavit altaria Chriſtianorum jure ἀσυλίας xvii, 34.

Excluſio certorum hominum

ab

ab altari xx. 1. vide *Altarium Adjuncta.*

Excommunicatio violatorum ἀσυλίας xvii. 31. & xx, 2. excommunicati ab altari exclusi 2. eorum catalogus ibid.

Excrementa ad altare missa xi, 34.

ἐξωκατάκοιλοι qui? xviii, 60.

Expiationis ethnicæ ritus xvii, 16.

F.

Femoralia quid fuerint xii, 7.

Fidei altare mysticum II, 22.

Fideles, altaria mystica II, 25. vocabantur ad S. Eucharistiam per Diaconum xviii 50. dimittebantur per eundem 51,

Finis altarium viii, 1. ἀσυλίας xvii, 11. seqq. consecrationis xi, 20. Diaconorum xviii, 58. & 59 vide plura suis locis.

Fixa altaria quæ fuerint ix, 1. quando cœperint, ibid. fixa Romana 2. Africana 3. Sidonii, Bedæ & aliorum, 4. eorum origo x, 6.

Flabello abigere muscas, Diaconorum erat xviii, 22. non Diaconissarum 81.

Flectamus genua, formula Diaconi xviii, 36.

Fletus, gradus pœnitentiæ xvi, 10.

Flores in altari sparsi xii, 8.

Fœneratores clerici excommunicati xx. 2.

Fores claudi, Diaconi jubebant, xviii, 48. ipsi etiam custodiebant, ibid. postea Hypodiaconi, & tandem Ostiarii, ibid.

Forma altarium vii, 1. vide *Altare.* ἀσυλίας xvii, 10. Calicum xii, 16. Consecrationis xi, 12. Diaconorum xviii, 57. Orarii 73. vide suis locis.

Formulæ sacræ: Flectamus genua xviii, 36. Attendamus 40. Oremus, Dominum rogemus, capita DEO inclinemus 41. Memento Domine DEUS noster, Domine benedic, Ora pro me Domine, Tolle, Punge Domine, 42. Si quis Catechumenus remansit, exeat foras. Nullus Catechumenorum &c. Recognoscite vos invicem, Catechumeni procedite, & similes xviii, 47. Ostia, ostia 48. Osculemur nos invicem &c. 49. Sancta Sanctis 50. In pace Christi abeamus 51. Ite missa est, ibid.

ib. Orate pro fidelibus, Catechumenis, infidelibus, à quibus & cur hoc dictum XIX, 5. Quicunque estis in pœnitentia, abite XX, 4.

Frangendi vox de quibus dicatur XII, 12.

Fraudatores creditorum excommunicati XX, 2.

Fundamentum altarium VII, 5.

G.

G*Emmæ* altarium XII, 5. calicum 15.

Generis ratio non habita in ordinatione XVIII, 11.

Gentiles, vid. *Ethnici*.

Genuum flexio imperata à Diacono XVIII, 36. & 46. negligitur male à populo, 36. eâ non honorata altaria XVI, 9 &10. seqq. genibus advolvi fidelium, erat olim pœnitentium 10. unum genu ante altare flectere Diaconus ordinandus debuit XVIII. 65.

Gorgoniæ preces ad altare VIII, 6.

Græci excluserunt generatim omnes laicos, excepto Imperatore XX, 5. speciatim mulieres 5. quâ de caussâ, ib. aliqui tamen eas olim & postea admiserunt, 5.

Gregorius Nazianzenus & Nyssenus uxores habuerunt XVIII, 77.

Gremium templi XIII, 3.

H.

H*Abitatio* Diaconissarum XVIII, 84.

Hæretici excommunicati XX, 2 eorum nomina ad altare non recitanda XIX, 13. eorum altaria multa XIV, 2. contraria mensis Catholicorum XXIV, 1.

Hebræorum altaria τετράγωνα VII, 3. eorum consecratio XI, 31. eorum cerimoniæ à Christianis receptæ XVII, 19. eorum asyla originem dederunt asylis Christianorum, ibid. eos an hîc rectè imitati Christiani sint? 20. eorum lex de asylis cujusmodi fuerit, ibid. quid asyla eorum significarint typice, ibid. quomodo convenerint cum asylis Christianorum 27.

Hilarius Pictav. in conjugio vixit XVIII, 76.

Histriones excommunicati XX, 2.

Homicidæ excommunicati XX, 2. non gaudebant beneficio ἀσυλίας XVII, 7. perpetrata

petratâ cæde manus abluebant apud gentiles 16 homicidia apud altare commissa XI, 33.
Homiliæ Patrum in Ecclesiâ lectæ XVIII, 31.
Hominem præstantiorem ipso Christo esse posse, Carpocratiani docuerunt XXIV, 2.
Honor altarium sequitur eorum sanctitatem XVI, 6. tribuitur iis non propriè, sed impropriè ibid. declaratur verbis honorificis 7. & re ipsa 8. non quidem flexis genibus 9. & 10. sed ornamentis 11. osculis 12. cancellis 13. munditie 14. armorum depositione 15. admissione certorum hominum 16. abstinentia à cibo & somno 17. asylia 18.
Honor Diaconorum Primorum 69. Ecclesiasticorum qualis 70. Diaconissarum 85.
Hospinianus notatur VI, 2, ejusdem de origine altarium sententia refellitur X, 2.
Hostiolæ Eucharisticæ veterum XXIV, 8.
Hymni dicuntur Patribus sacrificia II, 43. VIII, 9. ad altare cantati VIII. 8 non tamen ubique, ibid, ubi cœperit hic mos, ibid. laudatur ab his, culpatur ab illis, ibid. cantati in dedicatione altaris XI, 15. vide *Cantiones*.
Hypodiaconorum munus XVIII, 47. & 48. vestis alba 73. orario iis interdictum, ibid. & seq.

I.

Jacere sub altari, quid significet VII, 6.
Jacob an primum jussu DEI ædificarit altare X, 2.
Janua, vide *Fores*.
Idololatria Pontificiorum ad altare XI, 32.
Immunitas Diaconorum XVIII, 71.
Imperatores Christiani disturbabant aras & templa gentilium XXV, 7. ædificabant altaria Christianorum, non gentiles V, 6. quid moverit eos 12. deponebant arma & diadema ad altare accessuri XVI, 15. eorum leges de jure ἀσυλίας XVII, 6. seq. an in his recte imitati Hebræos sint XVII, 20. obsecrandi erant pro supplicum incolumitate 26. an eis apud Græcos semper patuerit altare XX, 5. quando Latini altare eis patefecerint, 6.

Incolumitas supplicum XVII, 26.
Indigni S. Eucharistia ab altari exclusi XX, 1.
Initiationis ethnicæ ritus XVII, 16.
Innocentes asyliæ beneficio gaudere debent XVII, 7. gavisi etiam eodem sunt 8.
Inscriptiones altarium VII, 8.
Invocatio sanctorum apud altare damnatur XXIII, 5. ejus origo, ibid. seq.
Irenæus an mensam Domini appellarit altare? II, 31. Græce scripsit XII, 13.
Israelita, vid. *Hebræi*
Ite Missa est, formula solemnis XVIII, 51.
Judæi criminum rei vel ære alieno obruti non gaudebant beneficio ἀσυλίας XVII, 7.
Judicia Christianorum quomodo conveniant cum asylis XVII, 29.
Juramenta ex mente Hebræorum vel magna, vel parva erant II, 5. Juramentum per altare usitatum apud Judæos ibid. minoribus annumeratum à Rabbinis, ibid. Juramentum κορβᾶν duplex, ib. utrumque ad Magnum per ipsum DEum, relatum, ibid. Juramenta per res creatas non sunt licita II, 5. quo sensu vera dici possint, ib. conscientiam obligant ibid à Christo non permittuntur, ibid.
Justinus Martyr altaris vocem de mensâ non usurpavit II, 31. sola mystica sacrificia in N.T. facienda agnoscit XXIV, 2.

K.

Κειμήλιον quid XII, 5.
Κηρύξαι εὐχὴν quid XVIII, 41.
Κηρύσσειν quid XVIII, 35.

L.

Labri consecratio XI, 12.
Laici exclusi ab altari à Græcis XX, 5. seq. etiam à Latinis 6. tandem admissi omnes promiscue 8. eorum Diptycha XIX, 14.
Lapidea altaria VI, 5. primo libera, deinde necessaria facta apud quosdam 6. ratio, cur lapidea esse debuerint 7. eorum consecratio XI, 9. & 11.
Latini admisere laicos ad altare tempore oblationum, non Eucharistiæ XX, 6. non tamen semper 7. tandem

misere

admisere omnes promiscue 8.
Laus DEI dicitur sacrificium VIII,9. in primo usu locorum sacrorum non negligenda XI, 20.
Lectio Evangelii fiebat à Diacono XVIII, 30. homiliarum in Ecclesia 31. S.Scripturæ in Ecclesiâ à quibus facta ibid. & 40. Proph. Esaiæ 40. Vet & N.T. 56. ante lectionem silentium & attentio imperata â Diacono 40.
Lectorum officium XVIII, 30, & 40.& 56. vestis alba 73. orario iis interdictum, ib.
Leges Hebræorū de asylis cujusmodi fuerint XVII,20 forenses quomodo abrogatæ sint 25. Mosaicas Deum habere auctorem, negarunt Carpocratiani XXIV, 2.
Leges Imperatorum de jure asyli XVII,6. & 7. an bonæ sint 25. quæ eis vis obligandi insit, & quomodo distinguantur à canonibus 6.
Λειτεργοὶ apud Dionysium quinam? XVIII. 48.
Levitæ N. T. id est Diaconi XVIII, 5.
Levitæ V.T. cum Diaconis collati XVIII, 78.
Libellus oblationum XIX, 4.
Lignea altaria VI,1. ligneum Primorum Pontificum 3. quid de eo sentiendum sit 4. eorum consecratio XI, 8. lignei calices XII, 11.
Lintea altarium XII,7. linteolo Diaconus moderabatur sacrarum actionum ritus XVIII,38. vid. *Diaconus* & *Orarium*.
Literati Diaconi esse debuerunt XVIII,11.
Loca altarium extraordinaria, templa 3. altare in medio 4. nec tamen semper 5. pleraque in orientem conversa 7. quædam in occidentem, quædam in Meridiem, quædam in Septentrionem 6. Ratio, cur in Orientem pleraque spectarint 10.
Loculorum figura VII, 3.
Locus, ubi sacra mensa reposita altare dicitur II,28.
Lotio altaris XVI, 14. manuum, factâ oblatione XVIII, 19. & perpetratâ cæde XVII, 16.
Luctus, gradus pœnitentiæ XVI.10.
Lugubri veste induta altaria ob vindictam, quod improbatur XXIII, 3.
Luminarium exstinctio in Ecclesia ob vindictam damnatur XXIII, 3.

Lustrandi ritus ethnicus XVII, 16.

Lutherana Ecclesiæ cum antiquâ convenientia in ornandis altaribus XII, 5. 6. 7. 8. & 18 in numero altarium XVI, 18. in asylia altarium XVII, 29.

Lutherus S. cœnam rectè appellavit Sacramentum altaris VIII, 12.

M.

M*Agistratus* causa efficiens altarium V, 6. & juris asyli XVII, 6. permittentes idololatriam excommunicantur XX, 2.

Majores & minores Diaconi XVIII, 60. vid. *Diaconi*.

Manus Diaconorum pro altaribus XXI, 2. manuum lotio, facta oblatione XVIII, 19. & perpetratâ cæde XVII, 16. manus sublatione imperabatur silentium XVIII, 37. manuum impositione ordinati Diaconi Apostolici 62. & Ecclesiastici 65.

Μαφόριον quid XVIII, 81.

Marci magi præstigiæ XII, 13.

Mariæ virginis invocatio unde & quando orta XXIII, 5.

Martyrum ad altare recitata nomina XIX, 12. quo fine, ibid.

Materia altarium vid. *Altare*. Calicum vid. *Calix*.

Maximianus, supplex ad altare XVII, 8.

Mens, altare mysticum II, 23.

Mensæ sacræ Christianorum dictæ altaria per omnia secula II, 29. seq. rationes hujus appellationis II, 40. seq. cur sacræ dictæ IV, 6. vocum mensæ & altaris usus promiscuus III, 3. & 4. qualis earum sanctitas fuerit IV. 6. mensæ Domini appellatio non evincit ligneam mensam VI, 2. mensam Domini componere, quid sit XVIII, 23. Mensam, quâ Christus usus, pontificii non possident VI, 4. ejus materia XII, 9.

Metallica altaria VI, 8.

Μετεμψύχωσιν docuere Carpocratiani XXIV, 2.

Ministrare mensis quid sit XVIII, 12.

Ministri altaris dicti Diaconi XVIII, 1 latè ita appellati qui? 3. vid. *Diaconus*. Ministri principum ædificarunt altaria V, 7.

Misericordes, altaria mystica II, 25.

Missa

Missa Catechumenorum XVIII, 47. Missæ sacrificium XXIII, 6.

Mobilia altaria quæ fuerint IX, 5. portata à Diaconis 6 remota à Donatistis, mobilia fuere 7.

Moderatio sacrarum actionum in Ecclesiâ per Diaconos XVIII, 35. fiebat vel voce 36. vel sublatione manus 37. vel linteolo 38. ibid. vel nutu 39. ibid.

Mœnium Hierosolymitanorum consecratio XI, 12.

Monachi vagabundi excommunicati XXI, 2. eorum consecratio ad altare facta VIII, 14.

Monica votum XIX, 11.

Montacutius notatur VI, 2.

Monumenta defunctorum pro aris XII, 2.

Moralitas ἀσυλίας ratione abusus XVII, 22. ratione fundamenti 23. ratione termini generatim 24, & speciatim 25.

Mortis Christi recordatio, vid. *Recordatio*.

Mortuorum nomina ad altare commemorata, & quæ ratio hujus rei XIX, 11. quo fine recitata, 12. quando 17. quorum nomina non sint recitata 13. Diptychis inscripta 14. de sententia Episcopi 16. quod tamen non habuit speciem canonizationis 15. iis non inscribi vel expungi, ignominiosum 16.

Moscovitæ unum tantum in singulis templis altare habent XIV, 3.

Mulieres Diaconissæ, vid. *Diaconissæ*. Mulieres Græci arcebant ab altaribus XX, 5. & cur, ibid. olim admissæ, etiam posterioribus temporibus in nonnullis locis 5. eas oportere esse communes, Carpocrationi docuere XXIV, 2.

Mundities altarium XVI, 14.

Mundum à DEO conditum esse negarunt Carpocratiani XXIV, 14.

Mysteriorum ethnicorum ratio XVII, 16.

N.

NAὸς, pars templi XIII, 3.

Natare per aquam, ritus ethnicorum sacer XVII, 16.

Navis pro ecclesia XIII, 1. pars templi 3.

Neophyti non potuerunt fieri clerici XVIII, 11.

Nicephori error in recensendis Armeniorum erroribus XXIV,3.

Noachi altare an primum fuerit X,2. an injussu divino exstructum, ibid.

Nomina offerentium recitata à Diacono XVIII,20. XIX, 10. sed non pœnitentium, ibid. nec energumenorum ibid. nec omnium prorsus fidelium ibid. exemplum recitationis hujus, ibid. Mortuorum quoque oblata nomina 11. quæ ratio hujus rei, ibid. martyrum commemoratio 12. quo fine cum illorum tum aliorum beatè defunctorum recitata nomina 12. quinam mortui præteriti sint 13. recitabantur autem nomina ex Diptychis 14. vide *Diptycha*. an hoc habuerit speciem canonizationis 15. Diptychis non inscribi vel expungi, ignominiosum 16. altercationes Episcoporum de nomine Johannis Chrysostomi, ibid seq. mortuorum nomina Diptychis de sententiâ Episcopi inscripta, 16. lector nominum Diaconus, ibid. tempus recitationis, 17.

Nudatio altarium ob vindictam improbatur XXIII,3.

Nuditas baptizandorum XVIII,28.

Numerus altarium XIV, 1. unum tantum in una æde, ibid. Diaconorum XVIII, 74. valde auctus ibid. Diaconissarum 86.

Nutu Diaconus sacras moderabatur actiones XVIII, 39.

O.

Oblationes quid fuerint, VIII,10. XVIII,20 dicuntur sacrificia SS. Patribus II, 43. ad altare allatæ XIX, 4. altaribus impositæ VII, 2. omnibus Dominicis diebus XIX, 4. eas Diaconi accipiebant & ad altare ferebant XVIII,21 qui retinebant excommunicati XX,2 oblationes post recuperatam sanitatem 6. oblata etiam aqua XVIII, 25. libellus oblationum XIX,4. ritus offerendi aliquid altari, ibid. oblatio casei rejicitur XXIII, 4. oblatio nominum vide *Nomina*. Offerentium recitata nomina & munera XVIII, 20.

Obligandi vis quomodo insit legibus Impp. & canonibus Episcoporum XVII, 6. forma juris ἀσυλίας 10.

Occidentem ſpectarunt altaria XIII. 6. & 7.
Oeconomus Magnus ejusque officium XVIII, 60.
Officii abrogatio, pœna Diaco- XVIII, 87. quinam eam ſubierint, ibid.
ὠμοφόριον, Epiſcopi amiculum, ejus materia & ſignificatio myſtica XVIII, 73.
Ophitæ venerabantur ſerpentem XXIV, 4 eorum altaria quantum diſtent à menſis Catholicorum, ibid.
Orarium Diaconi XVIII, 38. ejus uſus, ibid. eo interdictum Hypodiaconis, Lectoribus & Cantoribus 73. quid fuerit, ibid. ejus etymon, ibid. ſignificatio myſtica, ibid. forma, ib.
Oratio, vide *Preces*. Oratio Dominica recitata ad altare VIII, 5. idque quotidie XIX, 5.
Ordinatio fiebat à ſolis Epiſcopis XVIII. 10. ſecundum meritum, non ſecundum genus 11. qualis ordinandus eſſe, debuerit, ibid. & 65. Ordinatio Apoſtolicorum Diaconorum XVIII, 62. Eccleſiaſticorum 63. ejus principium, Epiſcopus, qui gratis ordinare debebat, ibid, Subjectum, ordinandus, ejus ætas & qualitas 64. Modus 65. Effectum 66. nempe ordinatus debebat ſuum obire munus, ibid. Tempus 67. Terminus 68. abſoluta ordinatio, quæ ſine titulo, improbatur, ibid. ordinatio Diaconiſſarum in Galliis recepta, deinde abrogata 81. in oriente diutius viguit, ibid. ritus ejusdem, ibid. Seculo XII. hic mos exoleverat, ibid.
Orientem ſpectabant pleraque altaria XIII, 7. & templa 8. ratio hujus rei 10.
Origenes ante Cyprianum uſus voce altaris de menſa Domini eſt II, 32. ejus dictiones periculoſæ 20.
Origo altarium X, 2. Hoſpiniani de ea ſententia, ib. refellitur, ibid. altare primum quodnam fuerit, ib. vera de origine ſententia 3. altaria primorum Chriſtianorum 4. fixorum altarium origo 6. ante Conſtantinum M. fixa ordinaria Chriſtiani non videntur habuiſſe, ibid. quomodo fixa ad nos pervenerint 8.
Origo ἀσυλίας altarium falſa XVII, 15. vera 19.

Origo

Origo consecrationis altarium XI. 23. an ad Apostolos referenda, ib.

Origo ritus reliquias SS. sub altaribus condendi XV, 5.

Ornatus altarium an quis fuerit tempore persecutionum XII, 1. quando cœperit 2. in quibus rebus positus fuerit 4. nempe in tapetibus & supellectile pretiosa 5. seq. cruce 6. linteis 7. floribus 8. vasis 9. ornatu privare altaria vindictæ caussa prohibitum XXIII. 3.

Ornatus templorum XII, 3.

Oscula veterum Christianorum XVIII. 49. indicta à Diaconis, ibid. quibus verbis, ibid. iis honorata altaria XVI, 12.

Osculemur nos invicem osculo sancto, formula sacra XVIII, 49.

Ostia, *ostia*, vox solemnis XVIII, 48.

Ostiariorum munus XVIII, 48.

Ovis perdita & à pastore portata insculpta calicibus veterum XII, 16.

P.

P*Acem* annunciabant Diaconi & Episcopi XVIII, 56.

Pallia altarium XII, 7.

Panis Eucharisticus veterum XXIV, 8. eum sacræ mensæ imponere, Diaconorum erat XVIII, 23.

Paphnutius, patronus conjugii clericorum XVIII, 76.

παραπέτασμα quid? XII, 5.

Pascha more Judæorum adhuc celebrandum docuere Armenii XXIV, 3.

Patella sacræ XII, 17.

Pater consentiens filiæ nuptæ in amore illicito, excommunicatus XX, 2.

Patina consecratio XI, 12.

Patres mensam Domini appellarunt altare per omnia fere secula II, 29. seqq. mos eorum transferendi voces V T. ad N. T. 41. eorum homiliæ lectæ in Ecclesia XVIII, 31.

Patresfamilias ab ædificatione altarium non sunt prorsus excludendi V, 8.

Pauperes, altaria mystica II, 25.

Peccatum originis negant Donatistæ XXIV, 5.

Petri altare ligneum VI. 3. commentitium 4. Petri & Pauli tumuli altaribus fixis annumerati IX, 2.

Petrus Gnapheus, auctor publicæ sanctorum invocationis XXIII, 5.

Philippus

Philippus quomodo dicatur Evangelista XVIII, 16. utrum docuerit & sacramenta administrarit ut Diaconus, an ut Evangelista 17.
Pictura calicum XII, 12.
Pii, altratia mystica II, 25.
Pilatus cur manus abluerit aqua XVII, 16.
Platina nugæ de donis Constantini M XII, 15.
Plebis suffragium in constitutione Apostolicorum Diaconorum XVIII, 8. Ecclesiasticorum quoque 9. licet non semper, ibid.
Ποδήρης quid fuerit XVIII, 73.
Pœna diaconorum civilis & Ecclesiastica XVIII, 87. violatorum ἀσυλίας Ecclesiastica XVII, 31. civilis mitior 32. asperior 33.
Pœnitentes, quum celebranda erat S. Eucharistia, emissi XVIII, 47. & quidem Diaconi voce, ibid. non nominabantur ad altare XIX, 10. exclusi ab altari XX, 4. XVI, 10. accidebant ad genua fidelium Ecclesiam ingredientium XVI, 10. eorum officia 10. reconciliatio per Diaconos quoque facta XVIII, 34. pœnitentiam deserentes excommunicati XX, 2.
Pompa in translatione reliquiarum XV. 5. ritus ejus caussa 6.
Pontifices Romani ædiles Curules V, 3. corruperunt jus asyli XVII, 35. eorum primum altare ligneum VI, 3. commentitium 4. eorum altare majus 4. altaria aurea 8. & argentea 9.
Pontificii multiplicant altaria in una æde contra quàm veteres XIV, 2. eorum idololatria ad altare XI, 32. eorum asyla contraria asylis veterum XVII, 29. altaria quoque pugnant cum altaribus veterum XXIV, 14. origo altarium apud eos X, 2.
Pontis consecratio XI, 12.
Populus respondebat Amen, finitis sacerdotis precibus XIX, 5. ejus negligentia in flectendis ad preces genibus notatur, ibid. & XVIII, 36.
Porticus, prima pars templi XIII, 3.
Prædicare, de Diaconis usurpatum, quid significet XVIII, 35. prædicare preces, quid sit XVIII, 41.
Preces dicuntur sacrificia Patribus II, 43. VIII, 7. ad altaria conceptæ tam publicæ 5. & XIX, 5. quàm privatæ VIII, 6. etiam sub altari XIX, 6. recitatæ à sa-

sacerdotibus monitu Diaconi XVIII,42 XIX,5. etiam à Diaconis ipsis XVIII, 44. sacerdos populum hortabatur ad preces XIX, 5. cujusmodi illæ fuerint, ibid. Populus respondebat Amen & flectebat genua, ibid. Imperatæ à Diacono XVIII, 41. & ante eas silentium 40. adhibitæ in consecratione altaris XI, 15. in Conciliis XVIII, 52. in ordinatione Diaconi 65. cur fundantur in sumtione cibi XI, 21. ritus precandi versus orientem XIII, 10. precum novæ formulæ sec. IV. prohibitæ XXIII, 5. vid. *Oratio*,

Presbyteri iidem initio qui Episcopi XI, 4. olim dicti Diaconi XVIII, 4. quales & quâ ætate ordinandi esse debuerit 64. ordinati ab uno tantum Episcopo 10. ad altaria VIII, 14 qua & ipsi consecrarunt XI,4 & 5. postea iis erepta consecrandi potestas 6. bapti- baptizarunt de sententiâ Episcopi XVIII, 29. legerunt S. Scripturam in Ecclesia 30. visitabant, instruebant, consolabantur captivos 33. hortabantur populum ad preces & ipsi precabantur XIX, 5. Presbyteri mariti XVIII, 77.

Presbyterium, pars templi XIII, 3.

Profanatio altarium opponitur Consecrationi XI, 32. facta per idololatriam, ib. per homicidia 33. excrementa 34. mimicam saltationem 35. jumentorum stabulationem 36.

πρόναος XIII, 3.

προσκλαυσις quid fuerit XVI, 10.

Protecdicus quis fuerit XVIII, 60.

Punge Domine, formula sacra Græcorum XVIII, 42.

R.

Raptores virginum beneficio ἀσυλίας non fruebantur XVII, 7.

Recitatio nominum & oblationum facta à Diacono XVIII, 20. vide *Nomina*.

Reconciliatio pœnitentium per Diaconos XVIII, 34.

Recordatio mortis Christi pro sacrificio oblata in Ecclesia veteri II, 43. fiebat ad altare, ibid.

Reformati negant veram præsentiam corporis & sanguinis Christi in S. Cœnâ

nâ XXIV,6. non edunt corpus & sanguinem Christi 7. improbant placentulas minores 8. convicia eorum in easdem, ibid. nolunt altaris vocem mensis suis tribuere 9. improbant mensas altarium figuram habentes 10. etiam ornatum & situm altarium veterum improbant 11, omnem sanctitatem ab iis removent 12. signum crucis non probant 13. similes sunt Donatistarum in violatione altarium XXII. 5. eorum mensæ non conveniunt cum altaribus Catholicorum XXIV,6.

Religio Christiana, altare mysticum II,26.

Reliquiæ Sanctorum sub altaribus sepultæ XV. 2. an ritus ille sit improbandus, 4. effossæ & translatæ 5. caussæ hujus translationis 6. quid de ea sentiendum 7. cultus earum Papisticus & ethnicus XV. 4.

Remotio ab officio vid. *Officii abrogatio*.

Removere altaria, quid sit Optato Milevit. IX, 7.

Res ad altaria gestæ quæ XIX, 1. vide *Altarium Adjuncta*.

Respondere sacerdotibus in Liturgiis precantibus vel canentibus, Diaconorum erat XVIII,45. etiam populi interdum XIX, 5.

Resurrectionem corporis negarunt Carpocratiani XXIV, 2.

Revelationes vanæ impulere homines interdum ad altaria erigenda V, 13.

Rituum sacrorum moderatores Diaconi XVIII, 35. vid. *Moderatio*.

Romanorum Diaconorum insolentia XVIII, 19.

S.

S*acellarius Magnus* ejusque munus XVIII. 60. Sacelli præfectus ejusque munus, ib.

Sacerdotes aurei & lignei XII, 11. ad preces hortabantur populum, & ipsi quoque eas recitabant XIX, 5. eorum ordini adscripti Diaconi XVIII, 70.

Sacerdotium altare dictum II, 12.

Sacramentorum nomina Græca XI, 16.

Sacramentum altaris i. e. Cœna Domini VIII. 12.

Sacrificia mystica hymnorum II,43. laudum DEI VIII, 9.

precum II, 43. VIII, 7. ad altare facta II, 43. VIII, 5. soli Deo offerenda VIII. 1. proprie ita dicta antiquitati puræ ignota & sola mystica ei cognita XXIV, 2. ab illis Christiani abhorrebant XXV, 4. illis Ethnici religionem metiebantur II, 44.

Sacrificium, corpus Christi II, 42.

Salomon an recte jusserit Joabum ad altare occidi? II, 16.

Saltatio pueri in altari XI, 35.

Sancta Sanctis, formula solemnis XVIII, 50.

Sanctitas cui propriè & per se competat IV, 6. mensarum qualis fuerit, ibid. altarium ad verbum asserta à PP. XVI, 1. & vocibus aliis idem valentibus 2. ratio hujus appellationis 3. qualis illa sanctitas fuerit 4. ejus origo 5.

Sanctorum invocationis origo XXIII, 5. ossa & reliquiæ sub altaribus sepultæ, XV, 2.

Scelerati beneficio ἀσυλίας non gaudebant XVII, 7. & 8. nec eorum nomina ad altare recitabantur XIX, 13.

Scevophylax magnus ejusque munus XVIII, 60.

Schismatici altare contra altare erigere dicuntur II, 26. eorum altaria multa XIV, 1.

Scortatores excommunicati XX, 2.

Sebastianus quâ occasione adversus pestem valere creditus sit V, 13.

Securitas, effectum ἀσυλίας XVII, 26. altaribus, an principibus sit adscribenda, 26.

Sedilium in templo locus XIII, 3.

Sensus Scripturæ mysticus II, 5.

Septem primò diaconi, deinde multo plures XVIII, 74.

Sepulchra Episcoporum sub altari XV, 3. an mos iste sit improbandus 4. origo hujus ritus 5. sepulchra Sanctorum altaria Christianorum IX, 2.

Servi quidam, apud Socratem, ad altare confugientes an recte gavisi sint ἀσυλίας beneficio XVII 8.

Signa sacrorum conventuum tempore persecutionis XVIII, 54.

Silentium in Ecclesiâ imperatum XVIII, 40. manuum sublatione 37. & Voce 40. à Diacono, ibid. auctoritate Ecclesiæ, ibid. ante le-

ctionem S. Scripturæ, ibid. & cantiones, ibid.
Simonia prohibita XVIII,63.
Situs altarium XIII, 4. vide *Altare*, templorum 8.
Solemnitas consecrationis altarium quando cœperit XI. 26, ejus modus 26. origo an ad pontifices Rom. sit referenda 27.
Solitudines frequentatæ à Christianis XIII, 1.
Somnia vana impulere interdum homines ad ædificanda altaria V, 13.
Somnum ad altare capere non licitum XVI, 17.
Spelunca, Christianorum ædes sacræ XIII, 1.
Stabulatio equorum & jumentorum ad altare XI, 36.
Stationes veterum quid fuerint II, 32.
Statuæ Impp. asyla XVII, 15.
ϛϱογγύλον quid significet XXIV, 8.
Subdiaconus, vid. *Hypodiaconus*.
Suggesti locus in templo XIII, 3.
Supellex pretiosa altarium XII. 5.
Superstitio hominum in ædificandis altaribus V, 13. de Sebastiani contra pestem præsidio unde nata, ibid.
Supplices sub altari jaciebant VII, 6, ad altare confugiebant, ibid. an cryptæ altarium iis patuerint, ibid. arma deponere debebant XVI, 15. & abstinere à cibo & somno 17. ornamenta altarium 18. eorum nomina XVII, 7. quinam admitti debuerint ib. quinam admissi sint. 8. quid eos, quid item eorum defensores facere oportuerit 10. eorum securitas & incolumitas 26. altaribus, an principibus sit accepta referenda 26. Supplicum ratio apud gentiles XVI, 10. hominum & Deorum genua tangebant, ibid. velamina quoque sua ad illorum genua protendebant vel deponebant, ibid. ratio hujus moris supplicum 10.
Supplicia violatorum ἀσυλίας XVII, 33. vid. *Pœna*.
Synesius Episc. uxorem habuit XVIII. 77.

T.

Tabulæ Ecclesiasticæ, vid. *Dypticha*.
Tapetes altarium XII, 5.
Templi vox vel late vel stricte sumitur II, 7. ejus consecratio XI, 12. cum eâ conjuncta consecratio altaris 15. & 26. cognata quoq; eadem consecrationi altaris 30. templorum ornamenta XII, 3. & 8. eorum partes

tes XIII, 3. situs 8. ἀσυλία XVII, 28. Templi Hebræorum atrium II, 7.
Tertullianus uxorem habuit XVIII, 77. ante Cyprianum voce altaris pro mensa Domini usus est II, 32.
Testes falsi excommunicati XX, 2.
Theatri consecratio XI, 12.
Theodosius Imp. quando accesserit ad altare XX, 5. & 6. quâ modestiâ XVI, 15.
Θυσιαστήριον Vox de altaribus Christianorum fere semper usurpata III, 1. etiam de loco, ubi sacra reposita mensa II, 28.
Tolle Domine, formula sacra XVIII, 42.
Tonsio, pœna ἀσυλίας violatorum XVII. 32.
Tractator ubi in templo fuerit XIII, 3.
Translatio reliquiarum XV, 5. ejus caussæ 6. quid de eâ sentiendum 7.
Tumuli pro aris XIII, 2. XV, 1. & 2.
Turpitudinem morum necessariam esse ad obtinendum in cœlo locum docuere Carpocratiani XXIV, 2.
Tutores fieri non debebant clerici XIX, 13.

V. U.

Vasa altaris XII, 9. pretiosa Ecclesiis à Constantino M. donata 15. confracta ab Ambrosio ad redimendos captivos, ibid. consecrata XI, 14. XII, 15.
Verberatio, pœna ἀσυλίας violatorum XVII. 32.
Vestitus primorum Diaconorum, Christi & Apostolorum XVIII. 72. Ecclesiasticorum peculiaris 73. simplex tamen non splendidus, ut cæterorum clericorum, esse debuit, ibid. luxus vestium ad Clericos unde pervenerit 73. secularis iis interdictus ib. eorum velum & palla, ibid. vestis alba XVIII, 52. & 56. & 73. quando & cur eâ usi sint 73. Orarium, ibid vid. *Orarium*. Veste lugubri induere altaria vindictæ caussa, prohibitum XXIII, 3.
Vindicta caussâ altaria nudare, vel lugubri veste induere, vel luminaria exstinguere prohibitum XXIII, 3.
Vinum aquâ mixtum in S. cœnâ dispensatum XVIII, 25.
Violatio altarium duobus modis intelligi potest XXII, 2. violata altaria vel ex toto vel ex parte 3. à Donatistis, ibid. & ethnicis principibus 4. à Reformatis etiam 5.

Violatio ἀσυλίας altarium XVII, 30. violatorum pœna Ecclesiastica 31. civilis eaque mitior 32. & asperior 33

Virgines dicuntur Patribus sacrificia II, 43. consecratæ apud altare VIII, 14. XIX, 8. post votum nubentes excommunicatæ XX, 2.

Vitrei calices XII, 12. & 13.

Vivorum nomina recitata ad altare XIX, 10. à Diacono XVIII, 20. eorum Diptycha XIX, 14. vide *Diptycha.*

Unctio altarium Christianorum XI, 17. ejus origo, ib. quid significarit unctio altaris in V. T. ibid. quomodo abrogata sit in N. T. 17. quid spectarint Patres eam retinentes, ib. an recte adhibuerint, ib. quam ob caussam postea tollenda fuerit, ibid. an hodie ab orthodoxis usurpari possit? ibid.

Unum altare in una æde veteribus XIII, 1. Abyssinis item & Æthiopibus 2. & Moscovitis 3.

Voces V. T. ad res N. T. accommodatæ II, 41.

Voëtius refutatur XVIII, 16. & 17.

Y.

ὑδρανὸς XVII, 16.

Z.

Zacharias apud Lucam XI, 51. ubi occisus? II, 7.

IN-

INDEX IV.

Exhibens

EDITIONES SS. PATRUM ALIORUMQUE SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM,

In hoc libro conficiendo adhibitas.

A

ALCIMI AVITI Carmina vide in Poëtis Christianis.
AMALARII Trevirensis de Officio Missæ liber Moguntiæ 1549. fol.
AMBROSII Opera Tom. V. Basil. 1567. fol.
ARATORIS Carmina vide in Poëtis Christianis.
ARNOBII adversus gentes Paris. 1605. cum notis Desiderii Heraldi 8vo.

ATHANASII Opera Græcè & Latinè edit. Commelin. 1600. Tom. II. fol.

ATHENAGORÆ Apologia pro Christianis, Græcè & Latinè, Parif. 1636. fol.

AUGUSTINI Opera Tom. X. Basil. 1569. fol.

B

BASILII Magni opera Tom. V. Latinè. Basil. 1566. fol.

- - - - eadem Græcè Basil. 1551. fol.

BEDÆ Opera. Tom. VIII. Basil. 1563. fol.

BERNHARDI Opera. Parif. 1548. fol.

BIBLIOTHECA Magna Patrum, XXVII. Tom. Lugdun. in Galliâ, 1677. fol.

D

CÆSARII Arelatensis Homiliæ, vide in Tom. VIII. Magnæ Biblioth. Patr.

CANONES Apostolorum, Tomo I. Orthodoxogr.

CANONUM eorundem & Conciliorum ab Ecclesiâ Græcâ receptorum Pandectæ, cum scholiis Balsamonis, Zonaræ, Alexii Aristeni, & Annotationibus Guilielmi Beveregii, Oxonii 1672. Tom. II. fol.

CANONES Ecclesiæ Universæ, item Africa-

næ & multorum adeo Conciliorum, à Dionyſio Exiguo, Fulgentio Ferrando, Criſconio, Martino Bracarenſi, Joanne Antiocheno, Alexio Ariſtino, Simeone Magiſtro & Logotheta, Arſenio Monacho &c. collecti, & II. Tomis comprehenſi in Juſtelli Bibliotheca Juris Canonici veteris, Pariſ. 1661. fol.

CAROLI MAGNI Capitulare Pariſ. 1588. 8.

CHRYSOSTOMI Opera, Græce, Tomis VIII. edita Etonæ curâ Errici Savilii ann. 1612. fol.

- - - - Eadem Latine Tom. V. Pariſ. 1556. fol.

- - - - Ejusdem Homiliæ in Matthæum, Johann. Acta & Epiſt. Paulinas, Tom. III. Græce & Latine, ex officina Commeliniana 1603. fol.

CLEMENTIS Alexandrini Opera, Græce & Latine, Pariſ. 1641. fol.

CONCILIA omnia Pariſiis edita ſumtu Regio, curâ Cardinal. Richelii Tom. XXXVII. ann. 1644 fol.

CONCILIA illuſtrata Hartmanni & Rûelii Tom. IV. Noribergæ 1675. 4to.

CONCILIA Surii, Tom. IV. Coloniæ 1567. fol.

CYPRIANI Opera, Baſil. 1558.

CYRILLI Alex. Opera, Latine Tom. II. Parif. 1572. fol.
CYRILLI Hierof. Opera. vid. Tom. IV. Magnæ Biblioth. Patrum.

D

DIONYSII AREOPAGITÆ Opera cum Scholiis Maximi &c. Græce Parif. 1562. 8vo.
- - - eadem Latine, Venetiis 1556. 8.

E

ENNODII Opera Parif. 1611. 8vo.
EPIPHANII Opera Græce. Bafil. 1544. fol.
- - - - Eadem, Latine, Bafil. 1578. fol.
EVAGRII Hiftoria Ecclef. Græce Parif. 1544. f.
- - eadem Latine Bafil. 1570. fol.
EUSEBII CÆSAR. De Præparat. Evangel. lib. XV. Græce & Latine, Parif. 1628. fol.
- - Ejusdem de Demonftrat. Evangel. lib. X. Græce & Latine, Parif. 1628. fol.
- - Ejusdem & aliorum Hiftoria Ecclefiaftica Græce, Parif. 1544. fol.
- - Eadem Latine Bafil. 1570. fol.

F

FULGENTII opera. Bafil. 1566. 8vo.

Gr

G

GILDÆ de Excidio Britanniæ, Trid. Tom. I. Orthodoxogr.
GREGORII Magni Opera Tom. II. Basil. 1564. fol.
GREGORII NAZIANZENI Opera, edit. Jacobo Billio, Græce & Latine, Paris. 1609. fol.
GREGORII NYSSENI Opera Latine versa per J. Sifanium & Levvenklaium, Basil. 1571. fol.
GREGORII THAUMATURGI Epistola Canonica. vid. Pandect. Canon. Beveregii Tom. II. f. 24. seq.
GREGORII TURONENSIS Opera. vid. Tom. XI. Magn. Bibl. Patr.

H

HIERONYMI Opera. Tom. IX. Basil. 1565. fol.
HONORII Gemma Animæ, vid. in Speculo antiquæ devotionis circa sacra, Mogunt. 1549. fol.

I

IGNATII Epistolæ, Græcè & Latine Tom. I. Orthodogr. & Paris. 1558. Græcè 8vo.

IRENÆI Opera, Colon. Agrippin. 1596. fol.

ISIDORI HISPALENSIS Opera, Parif. 1601. fol.

ISIDORI PELUSIOTÆ de Interpretatione divinæ Scripturæ Epiſtolarum lib. IV. Græcè & Latine cum not. Conrad. Rittershuſii, ex Officin. Commelin. 1605. fol.

JUSTINI MARTYRIS Opera Græcè & Latine Pariſ. 1636. fol.

\- - - - - Eadem Græce, Pariſ. 1551.

L

LACTANTII Opera Venet. 1521. fol.

LITURGIÆ JACOBI, BASILII, CHRYSOSTOMI. Græce Pariſ. 1560. & Latine, ibid. fol.

M

MINUTII FELICIS Octavius, Pariſ. 1605. 8.

N

NICEPHORI CALLISTI Hiſtoria Eccleſiaſtica, Francofurti 1618. fol.

O

OPTATI MILEVITANI lib. VII. de ſchi-

ſmate

ſmate Donatiſtarum adverſus Parmenianum, edit. Commelin. 1599. 8vo.
ORIGENIS opera, Latine. IV. Tomis, Pariſ. 1512. fol.
- - - eadem Latine II. Tom. Baſil. 1571. fol.
ORTHODOXOGRAPHA Monumenta SS. Patrum, Tom. VII. Baſil. 1569. fol.

P

PASCHASII RATBERTI Liber de Sacramento Euchariſtiæ, Helmæſtadii 1616. 8vo.
PAULINI NOLANI Epiſtolæ, vid. Tom. II. Orthodoxogr.
PAULI OROSII adverſus Paganos Hiſtoriarum lib. VII. Colonia 1582. 8vo.
PETRI CHRYSOLOGI Sermones, Moguntiæ 1607. 8vo.
PHOTII Nomocanon cum Commentariis Theodori Balſamonis, vid. Tom. II. Biblioth. Juris Canon. vet. Juſtelli.
POETÆ Chriſtiani, editi à Georgio Fabricio, Baſil. 1562. 4to.
PRUDENTII Poëmata cum notis variorum, Hanov. 1613. 8vo.

R

REGINONIS Prumienſis de diſciplina Eccleſiaſtica

ſiaſtica veterum lib. II. Helmæſtadii 1659. 4to.

RUFFINI Hiſtoria Eccleſiaſtica Baſil. 1570. f.

S

SALVIANI Opera. Baſil. 1630. fol.

SIDONII APOLLINARIS opera. Lugdun. 1598. 8vo.

SOCRATIS & SOZOMENI | Hiſtoria Eccleſ. Græce Pariſ. 1544. f. - - - Latine Baſ. 1570. f.

SULPICII SEVERI Opera cum Comm. Georgii Hornii. Lugdun. Batav. 1654. 8vo.

SYNESII Opera. Græce & Latine. Pariſ. 1612. f.

T

TERTULLIANI Opera cum annot. Rhenani Baſil. 1562. fol.

THEODORITI Opera Latine II. Tom. Col. Agripp. 1573. fol.

- - Ejusd. Hiſtor. Eccl. Græce Pariſ. 1544. f.

- - - - eadem Latine Baſil. 1570. fol.

THEOPHYLACTI Comm. in Epiſt. Pauli, Græce & Latine. Londini 1636. fol.

F I N I S.

S. D. G.

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Voigt, Gottfried,

Thysiasteriologia sive de Altaribus veterum christianorum liber postumus

Hamburg 1709

Liturg. 1323
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10591865-1
VD18 14760789-001